QUAESTIONES PRINCIPALIORES POLEMICO-DOGMATICO-THEOLOGICAE DE...

Hermannus Josephus : a S. Hilario,
Josè Maria Fonseca de Evora




43
5 D
19

QUÆSTIONES PRINCIPALIORES POLEMICO-DOGMATICO-THEOLOGICÆ DE SACRA SCRIPTURA ET TRADITIONIBUS,

DUABUS PARTIBUS COMPREHENSÆ.

QUIBUS

ECCLESIÆ ROMANO-CATHOLICÆ DOCTRINÆ DOGMATA DEFENDUNTUR: HÆRETICORUM ERRORES, ET EFFUGIA REFELLUNTUR.

AD USUM, ET COMMODUM THEOLOGIÆ POLEMICO-DOGMATICÆ AUDITORUM COLLECTÆ, ET IN ORDINEM REDACTÆ

AB ADM. REV. AC EXIMIO

P. HERMANNO JOSEPHO A S. HILARIO,

S. ORDINIS EREMITARUM DISCALCEAT. S. P. AUGUSTINI SS. THEOLOGIÆ, ET SS. CANONUM LECTORE; ALMÆ PROVINCIÆ GERMANO-BOEMICÆ DEFINITORE, AC PROVINCIALE EMERITO, CELSISSIMI AC REVERENDISSIMI PRINCIPIS EPISCOPI LABACENSIS CONSISTORIALE ASSESSORE, CONVENTUS LABACENSIS AD S. JOSEPHUM ACTUALI PRIORE, ET CONCIONATORE GERMANICO.

CUM FACULTATE SUPERIORUM.

LABACI,

TYPIS JOANNIS FRIDERICI EGER, INCLYT. PROV. CARNIOL. TYPOGRAPHI.

CIƆ. IƆCC. LXVI.



REVERENDISSIMO, EXIMIO, AC RELIGIOSISSIMO,

P.P. PROSPERO â S.M. MONICA

S. ORD. FRATRUM EREM. DISCALC. S.P. AUGUST.

DE ALMA PROVINCIA MESSANENSI

SS. THEOLOGIÆ LECTORI, DEFINITORI,

AC PROVINCIALI EMERITO,

ACTUALI CONGREGATIONIS ITALIÆ ET GERMANIÆ

V. GENERALI

PATRI, AC SUPERIORI VENERANDISSIMO

ADMODUM REVERENDIS EXIMIIS,

IN CHRISTO RELIGIOSISSIMIS

DEFINITORII GENERALIS PATRIBUS

A. R. P. FABIO, â Ss. Annunciata de Alma Provincia Mediolanensi Ss. Theol. Lectori, ac Priori emerito, actuali Procuratori Generali.

A. R. P. MAURO, â S. Josepho de Alma Provincia Ferrariensi, Ss. Theol. Lectori, ac Priori emerito, Actuali Definitori Generali Primo.

A. R. P. ANGELICO â S. Agnete, de Alma Provincia Romana, Ss. Theol. Lectori, Priori, ac Provinciali emerito, Actuali Definitori Generali Secundo.

A.R.P.

A. R. P. AUGUSTINO â S. Januario, de Alma Provincia Neapolitana, Ss. Theol. Lectori, ac Priori emerito Actuali Definitori Generali Tertio.

A. R. P. HYACINTHO â B. V. Dolorosa, de Alma Provincia Genuensi, Ss. Theol. Lectori, Priori emerito, Actuali Definitori Generali Quarto.

A. R. P. MARIANO â Ss. Sacramento, de Alma Provincia Panormitana, Ss. Theol. Lectori emerito, Actuali Visitatori Generali Primo.

A. R. P. MARTINO â S. Catharina, de Alma Provincia Germano - Boëmica, Ss. Theol. Lectori, Priori emerito, Actuali Visitatori Generali Secundo.

A. R. P. JOANNI VINCENTIO â S. Victoria, de Alma Provincia Pedemontana, Ss. Theol. Lectori emerito, Actuali Secretario Generali Definitoriali.

D. D. D.

REVE

REVERENDISSIME, EXIMIE, AC
RELIGIOSISSIME

P. V. GENERALIS

PATER, AC SUPERIOR VENERANDISSIME:

ADMODUM REVERENDI,

EXIMII IN CHRISTO RELIGIOSISSIMI

PATRES DEFINITORII GENERALIS:



Cum non aliud hujus operis, quod Venerandi usurpatis manibus, sit argumenti genus, quam quo Vestra REVERENDISSIMI PATRES præclara indoles voluptuose adeo reficitur, necessum erat, Laborem meum Vestro REVERENDISSIMO Sacrare NOMINI.

En! quod cernitis, Sacrum est, Dogma est Polemica adornatum methodo, eruditas oblectans aures, pias haudquaquam offendens, utrasque deliciis profundens ingeniosis, atque vel inde aptum, ut REVERENDISSIMIS VESTRIS glorietur Auspiciis.

TE enim (ut á Capite ordiar) REVERENDISSIME P. V. GENERALIS non nisi Sacris, quis ignorat, delectari institutis? nonnisi doctis inhiare pagellis? his TE immorari, his TE pasci, Ipse fateris, qui studio incredibili in iisdem volvendis teneris; unde illustre hoc de Do-

ctrina

ctrina ac Eruditione TUA testimonium universum Sacrum nostrum pervadit Ordinem, cui singularis plane TUA VIRTUS haud vulgarem simul præstat Decorem. Hinc eruditus omnium, Ipsiusque de Doctrina, ac VIRTUTE TUA sensus se continere non potuit, quin TIBI supremas Sacri Ordinis deferret Tiaras. TE anxio jamjam conamine expectavêre Honores Totius Ordinis, qui illis in Provincia TUA maturesceres per omnes gradus: præstolari jam nequivêre satis, ne eriperêre Eisdem: hinc TE ex asse fecère SUUM, quem suprema insignivêre Dignitate, Suo TE non amplius dimissuri è sinu.

Nimirum ipsa ancipiti multum volvebatur animo Gloria, quem è Sacro, Sapientissimoque Consessu Primis inauguraret Palmis: dum totam sese VIRIS & Doctrina, & Pietate Illustrissimis persentisceret circumamictam, TE tamen solum (Propitiis fatis) tot Sacris Verticibus quasi Lauream imponere decrevit, Virtute id ei suadente, ipsa quoque Sapientia Genium, Ingeniumque TUUM demirante.

In TE quippe legere licet cunctis (legi & ego coram in Capitulo Generali existens) selecta omnia, quæ in Superiore & Capite Dignissimo desiderantur effulgere. Sedet TUA ad Clavum voluntas, cui â Consiliis intellectus, ab Imperiis Clementia, â Moribus modestia, â Colloquiis Doctrina. Surgis in Celsissimos Montes & profundissimas deprimeris in Valles; tota id TUÆ mentis perorat compages. Montes dixero, altissimos Supremæ Dignitatis Fasces: Valles invenio, dum Te subditorum pedibus humilitate coram Deo substratum intelligo. In TE Uno

Refor-

Reformata Augustiniana Eremus, quem sequatur, habet: qui TE Ipsum Eidem bonorum Operum præbes Exemplum, Virtute Sane, ac Dignitate Altissimus, nec tamen exinde elatus, quem semper timida pulsat cogitatio mentis, Deo TE pro eadem redditurum esse rationem.

En prodigium in miraculo! En Idæam Patris perfectissimam, ac speculum ab unoquoque ritè usurpandum! quod id indolis habet, ut nemo videat sincere in eo, quin claudat sinistrum, cum, quid videatur sinistre, non reperiatur in eo.

At ne vanus jam absens hujus, qua TE celebro, Famæ existam Testis, VOS REVERENDISSIMOS æque ac Sapientissimos appello PATRES, quorum Gremiis se supremum reclinat Caput, illisque dulciter acquiescit; Quorum Sapientia, Consilio, Authoritate, Prudentia illa rerum gerendarum quasi anima Gubernat, arduis negotiis implicatus excelsa Religionis sustinet Munia, quæ non unius Herculis labor sunt; Quorum favore ornantur, foventur literarum studia; Quibus insita in Literas, & literarum studiosos animi propensio, quæ ita in vobis elucet, ut ad hanc virtutem nati esse videamini: huc enim Vestra Consilia tendunt, huc cogitationes Vestræ, ut sub Auspiciis Vestris amæniores floreant Musæ, scientes, Majus esse eruditionem promovere, quam habere, in aliis fovere, quam in se admirari. VOS inquam appello PATRES REVERENDISSIMI, qui una mecum Superiorem Amantissimum, & Caput reveremini Dignissimum: Eum Eidem deferte honorem præsentes, quem me absentem delaturum facile imaginamini: nam quodcunque gratum,

quod-

quodcunque obsequiis plenum Ratiocinio Vestro potestis assequi, illud â me quoque Patri huic super Astra vehendo exhiberi velle, cogitate, illud simul mente retinentes, quod oculis obversatur Vestris: nimirum Pagina præsens, quæ publicam hodie accepit lucem, â Vobis emendicat splendorem, benignum anhelat obtutum, Vestro sese subdit judicio probandam. Si probatis? Sapientibus placuisse, sat est; Vestro amplissimo Patrocinio adversus vitilitigatorum proterviam defensa erit. Hæc libasse mihi sufficiat, ne blandiri iis videar, aut assentari, quos admiratio mea laudari jubet.

Hoc tamen etiam atque etiam rogo & obtestor VOS VIRI REVERENDISSIMI, *ne dextera manu tradita, sinistra accipiatis, sed imitemini Deos, qui magis sæpe placantur pauperiorum Salsa mola, quam ditiorum oblata hecatombe. Quod si, ut minime dubito, obtinuero, lætabundus mihi hunc ipse quasi triumphum nunc cano:*

Sunt Mæcenates, nec deerunt Flacce Marones. Bene Valete PATRES REVERENDISSIMI, DIU *uti* MERITI: PIE *uti* SOLITI *Ecclesiæ, Sacræ Religioni nostræ Augustiniano - Discalceatæ:* DIGNI, *quos neque senium senes faciat, nec naturæ lex vita destituat, nisi meliorem Deus apparasset: ut fine nullo Vester in me definiatur affectus, qui ultra incognitos æternitatis limites Vester perenno*

CLIENTUM INFIMUS
P. F. HERMANNUS JOSEPHUS à S. HILARIO
p. t. PRIOR.

PROLOQUIUM
AD
LECTOREM BENEVOLUM.

A limpidissimum Sapientiæ fontem, quem tuis præsento obtutibus, propera amice Lector, ut ex eo Sitibundi instar Cervi Saluberrimæ Theologiæ Dogmaticæ fluenta cum gaudio haurias Tibi haud parum profutura. His refrigeratus atque confortatus ut miles generosus pro Ecclesia DEI Militante certaturus in arenam descende; inclinata Adversariorum acie Victoriam reportabis, spondeó.

En hoc Sæculo ii vivimus, ut præstigiosa Hæresis (cujus vivacissimum prototypon dæmonium meridianum est) spurio mentitæ veritatis splendore incautas excæcet mentes, atque pervertat: dum corrupta, infectaque Evangelicæ veritatis Dogmata ignaris propinare mentibus non veretur: totque sibi devinctos numerat, quot fideles intuetur asseclas. Lugubre sane spectaculum, madentibus pupillis, lacrymabilique voce deplorandum.


Ast suo semper stare pede fixam Ecclesiam Catholicam, fortissime contra quosvis Hæreticorum errores sua vera propugnantem Dogmata, contra quosvis Heterodoxorum insultus Authoritatis, & rationum momentis inconcussas roborantem veritates, tot ac tanti in lucem editi testantur libri Dogmatici; verum hi mole sua aut emptu, aut lectu difficiles cum sint, quæstiones præsentes de sacra Scriptura, & Traditionibus ex iis Collectas, & ad ordinem redactas Tibi subjicio Lector Benevole ad Tuum faciliorem usum, & commodum.

Jam Davidem æmulare, hasce, quas tuæ porrigo dexteræ, quasi Theologiæ Dogmaticæ fundam arripe, haud difficile Golianthæo fastu tumentem Hæresum superbiam suo in capite feries, prostrabisque.

Ridebo aliorum obtrectantium Zoilorum tela in me tanquam furtivum ex aliena messe collectorem vibrantia: quæ eo minus feriunt, quo longe jam antea fuerant prævisa; alto enim jam dudum hæret animo consuetum D. Hermetis adagium: *Nullam Constitutionem, seu Scripturam tam sanam esse, quam Nasutuli criticare non velint.* Fateor has quæstiones proprii Conceptus non esse partus, proinde pace mea furtum dixerint, conatum tamen damnare non poterunt, quo plurima in diversis Authoribus hinc inde dispersa in unum si non ingeniosa, sat tamen laboriosa investigatione congessi. Tu Amice Lector humanius ages, & dum Te totum sublimi hoc occupaveris studio, certe ut fortis armatus præsentia custodies, & defendes folia.

VALE.

INTRO-



INTRODUCTIO
AD
THEOLOGIAM POLEMICO - DOGMATICAM.

ANtequam ad ipsas Quæstiones Polemico - Dogmaticas proponendas, statuendas, & propugnandas procedamus, aliqua ipsam Theologiam Polemico - Dogmaticam concernentia prælibare necessum est; quod tribus sequentibus Paragraphis per quæstiunculas præstabimus. In 1mo. Naturam Theologiæ Polemico - Dogmaticæ dilucidabimus. In 2do. Naturam Hæresis explicabimus. In 3tio. Præcipuos Hæresiarchas, eorumque errores post Christum secundum ordinem sæculorum numerabimus, ut sciat Theologus Polemico-Dogmaticus quibuscum, contra quos, & circa quam materiam sibi agendum sit: atque positiones Catholicas probandas, contrariasque impugnandas habeat. Sit igitur

§ I.

De Natura Theologiæ Polemico - Dogmaticæ.

QUæritur 1. Quid sit Theologia Polemica? ℞. Theologia Polemica est *sermo de Deo rebusque Divinis, seu Divinitus revelatis belligerans, sive controvertens:* nam *Theologia* juxta nominis ectypon ex voculis *Deus*, & *sermo* derivatur: & ly *Polemica*

a apud

apud Grammaticos idem significat, quod ly *Bellica*, seu *militaris*: & ita Belli-Dux nominatur *Polemarchus*: adeoque Theologia controversistica, ac Theologia Dogmatica sunt synonyma quasi, ut hic loquimur.

Quæritur 2. Quodnam sit objectum Theologiæ Polemicæ? ℞. Objectum *formale quod* adæquatum Theologiæ Polemicæ *ut Theologiæ* præcise, est Deus prout virtualiter revelatus, ita ut Deitas sit *ratio formalis quæ*: revelatio verò virtualis sit *ratio formalis sub qua*: ut cum D. Thoma 1. p. q. 1. a 7. aliisque Thomistis docuimus in Prolegomenis Theologiæ.

Resp. 2. Objectum Theologiæ Polemicæ qua talis, seu *qua Polemicæ*, est vera fides objectiva (id est dogmata fidei, seu res divinitus revelatæ, quæ per formatum fidei actum creditæ denominantur *fides*) prout docenda, roboranda, & defendenda; & sic objectum habitus Theologiæ Polemicæ differt ab objecto habitus fidei, quæ res revelatas immediatè attingit prout credendas. Nam tota Theologia Polemica versatur circa veram fidem *prout docendam*, ostendendo videlicet quid tanquam divinitus revelatum credi debeat; *prout roborandam* firmis argumentis in fidelibus ex S. Scriptura, & Ss Patribus, ex traditione & Conciliis; ac *prout defendendam* contra infideles & Hæreticos, eorum solvendo objectiones.

Quæritur 3. Ex quibus principiis hæc Theologia Polemico-Dogmatica in suis controversiis dirimendis sua depromat argumenta? ℞. Ex Authoritate & Ratione, ita tamen ut Authoritate tanquam proprio utatur principio, quam ratio velut pedissequa sequitur, & in suum obsequium adsciscit: innititur siquidem hæc Theologia potissimum fidei, quæ nisi ab Authoritate proficiscatur, non modo fides esse, sed ne intelligi quidem potest? nam fides juxta Apostolum ad Heb. c. 11. est *argumentum rerum non apparentium*: & in hoc discriminatur hæc Theologia ab aliis scientiis naturalibus, quæ primario innituntur rationi, secundario solum Authoritati.

Quæ-

Quæritur 4. Quænam ſit Authoritas, cui Theologia Polemico Dogmatica innititur? ℞. Eam eſſe multiplicem. 1. Authoritatem S. Scripturæ, ſeu Verbum Dei ſcriptum, & à Deo nobis revelatum: origo ergo ejusdem eſt Divina: veritas ejus & Authoritas eſt fundata in veritate & Authoritate ipſius Dei loquentis, falli & fallere neſcii. 2. Authoritatem Traditionum, ſeu Verbum Dei non ſcriptum, ſed Traditum: plurima ſiquidem occurrunt credenda & obſervanda, licet nec digito Dei in tabulis Moſaicis ſcripta, nec Prophetarum in V. T. nec N. ſacris commentariis conſignata reperiantur: adeoque ex hac Authoritate argumenta præſertim adverſus falſa Hæreſum dogmata petere, neceſſarium eſt Theologo PolemicoDogmatico; quamvis omnes Hæretici Traditiones repudient, ſolaque Scriptura pro fidei regula utantur, ſeu potius abutantur. Sic jam Sadducæi ſpreta omni Traditione ſoli Moyſis Legi ſcriptæ adhærebant: ſic Ariani vocem *Homuſion* in ſolis quærebant S. litteris, cumque non invenirent, Filium Patri eſſe conſubſtantialem in Divinis negabant; ſic Semi-Ariani vocem *coeſſentialem* in S. Codice non repertam, pari cum Arianis auſu rejecerunt: ſic Neſtoriani negantes B. Virginem Deiparam vocem *Deotbocon* velut à S. litteris alienam expunxerunt: ſic Eutyches duas in Chriſto naturas ſociare recuſavit, quia in Scriptura de duabus naturis nulla fit mentio: Sic Wicleffitæ ubique ſparſerunt: *Quidquid Papa & Cardinales ex Scriptura deducunt, credendum, quidquid ultra præſumpſerint, contemnendum ut hæreticum*: Sic Pelagiani clamabant: *Credamus, quod legimus, & quod non legimus, nefas credamus aſtruere.* Sic Lutherus, ſic omnes alii Hæretici in traditiones debachati ſunt: ſed de his plura in parte II. 3. Authoritatem Eccleſiæ: Scriptura ſiquidem Sacra & Traditio etſi maximæ ſint Authoritatis, admittunt velut in conſortium Authoritatem quoque Eccleſiæ, cujus eſt de utriuſque tum genuina conditione, tum ſenſu legitimo judicare, ac ſententiam ferre, qui ſint libri Canonici, qui ſpurii ſeu apocryphi; unicum interim ſufficiat S. P. Auguſtini effatum lib. Cont. Epiſt. fundam. c. 5.

Ego Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ commoveret auctoritas. 4. Authoritatem Pontificis. 5. Authoritatem Conciliorum, præsertim Generalium. 6. Authoritatem Ss. Patrum 7. Authoritatem Theologorum Scholasticorum, quibus adjungendi juris Pontificii periti. 8. Rationem naturalem. 9. Authoritatem Philosophorum. 10. Authoritatem historiæ humanæ per Authores fide dignos scriptæ, non superstitiose, sed gravi fundamento traditæ.

Ex his recensitis septem priores sunt principia intrinseca, & propria Theologiæ Dogmaticæ: ex quibus necessario, & efficaciter concludit: tres posteriores sunt principia extrinseca Theologiæ Dogmaticæ: ex quibus solum probabiliter concludit.

Quæriter 5. An Theologia Polemica sit scientia? ℞. Cum Theologia Polemica eadem specie sit cum Theologia Speculativa, sicut hæc propriè scientia est, ita & illa. Hinc de Theologia dicit S. P. Augustinus lib. XIV. de Trinit cap. 1. *Huic scientiæ attribuitur illud tantummodo, quo fides saluberrima gignitur, nutritur, defenditur, roboratur.* Item cit. loc. dum S. Pater illa Apost. 1. Corinth. c. 12. v. 8. verba: *alii datur sermo scientiæ*, explicat, prosequitur: *qua scientia non pollent fideles plurimi, quamvis polleant ipsa fide plurimum. Aliud est enim scire tantummodo, quid homo credere debeat propter adipiscendam vitam beatam, quæ nonnisi æterna est; aliud autem scire, quemadmodum hoc ipsum & piis opituletur, & contra impios defendatur; quam proprio appellare vocabulo scientiam videtur Apostolus.* Hæc autem scientia non est alia, quam Theologia Polemica.

Quæritur 6. An usus Dialecticæ, seu Philosophica, aut Scholastica methodus Theologiæ Polemicæ sit utilis, & necessarius? ℞. Affirmative. Nam Theologus Polemicus debet incredulos, contradictores arguere, versutias sermonum, & sophismata argumentorum detegere, & dissolvere: interrogantibus de his, quæ profitemur, congruam veramque rationem reddere: atqui hæc omnia suppeditat ars Dialectica, Scholastica methodus: ergo. maj. constat ex S. Scriptura, Apostolus

Paulus

Paulus ſiquidem in Epiſt. ad Titum c. 1. v. 11. affirmat opus eſſe, ut Eccleſiarum Rectores fidelem amplectantur ſermonem, ut exhortari poſſint, & eos, qui contradicunt, arguere, quoniam *multi ſunt docentes, quæ non oportet.* D. Petrus Epiſt. 1. c. 3. v. 15. vult nos paratos eſſe *ad ſatisfaciendum omni poſcenti rationem de ea, quæ eſt in nobis ſpe*: nimirum Apologiam exhibere, ſi quis à nobis cauſam propoſcerit Religionis. Debemus etiam juxta monitum ſapientis c. 8. v. 8. *ſcire verſutias ſermonum, & diſſolutiones argumentorum.* S. P. Auguſtinus lib. 2. de doct. Chriſt. c. 31. ait: *Diſputationis diſciplina ad omnia genera quæſtionum, quæ in literis ſanctis ſunt, penetranda & diſſolvenda plurimum valet.* Idem habet l. 1. c. 13. Contra Creſconicum Grammaticum. S. Clemens Alexandrinus in 6. Strom. ſcribit: *Sepimentum eſt Dialectica, ut ne à Sophiſtis veritas conculcetur.* Ergo ars Dialecticæ, ſeu ars diſputandi eſt pediſſequa Theologiæ Polemicæ. Sixtus V. in Bulla, in qua D. Bonaventuram Eccleſiæ Doctoribus connumerat, ait: *Hujus tam ſalutaris ſcientiæ cognitio, & exercitatio ſemper certe maximum Eccleſiæ adjumentum afferre potuit, ſive ad Scripturas ipſas vere & ſane intelligendas, & interpretandas; ſive ad Patres ſecurius & utilius perlegendos, ſive ad varios errores & hæreſes Detegendas, & refellendas - - Quanto igitur magis illi, id eſt Hæretici, hanc munitiſſimam Scholaſticæ Theologiæ arcem oppugnare, & revertere conantur, tanto magis nos decet hoc invictum fidei propugnaculum defendere, & hæreditatem Patrum noſtrorum conſervare & tueri.*

Quæritur 7. An etiam naturalis Philoſophia utilis ſit Thologiæ Polemicæ? ℞. Plurimum: nam Chriſtus, Apoſtoli, & Ss. PP. ſæpe ſæpius veritatem Philoſophica, naturalique ratione firmarunt: ſic Chriſtus Matth. 22. c. 20. v. ex imagine numiſmatis intulit Cæſari ſolvendum eſſe tributum. S. Paulus in medio Areopagi ex ipſa Aræ inſcriptione occaſionem arripuit nuntiandi Evangelium. S. Gregorius Thaumaturgus eruditum de Anima conſcripſit volumen ſolis Philoſophicis argumentis compactum. S. P. Auguſtinus lib. 19. de Civit. Dei c. 4. Contra Julianum, ex morte hujusque vitæ miſeriis demonſtrat originale peccatum ab

Adæ Posteris contrahi. Et ratio est: quia Theologus Polemicus frequenter occurrentia hæc vocabula: generatio, processio, hypostasis, libertas, natura &c. usurpare debet ratiocinando: atqui horum vocabulorum notionem & idæam suppeditat Philosophia naturalis: ergo. Interim non debet Theologus Polemicus naturali solummodo duci Philosophia, sed subnixus revelationibus divinis debet illam in obsequium fidei captivare. Ex his

Infertur: Theologiam Polemicam maximè necessariam esse in Ecclesia Dei: cum per hanc aptissime convincantur Sectarii: efficaciter enerventur Hæreticorum errores, instruantur in fide populi.

Contra hanc Theologiam Polemicam uno quasi agmine insurgunt Hæretici, eamque variis contumeliis ac dicteriis afficiunt. Wicleffus in articulis à Constantiensi Synodo damnatis asseruit, Universitates, & studia Theologorum, quorum Gymnasia castra Cainitica nuncupabat, eo modo Ecclesiæ prodesse, *sicut prodest Diabolus.* Lutherus lib. 2. de abroganda Missa S. Thomam ob Theologiam methodicam, qualis etiam est Polemica, ore blasphemo nominat *phialam iræ Dei.* Chemnitius vero eandem Theologiam vocat *negotium perambulans in tenebris.* Calvinus in suis institutionibus ait: *Tota Papatus Theologia immane est chaos, & horribilis labyrinthus, quia neglecto Christo sibi insanis & ventosis speculationibus indulget.* Philippus Melanchton in sua Apologia dicit, *Lutetiæ Parisiorum natam esse prophanam Scholasticen, eaque admissa obscuratum Evangelium, ac fidem extinctam.* Sectarii Wittenbergenses, ut ex Surio in Appendice ad Naucleri Chronicon observat Gammachæus anno 1520. libros Theologicos feretro instar funeris inclusos per mediam Urbis plateam portarunt sequentibus Ministris, officiumque Defunctorum per ludibrium canentibus, ac tandem eos in ardentem rogum injecerunt. Unde tantum in Theologiam odium? nisi inde, quia Sectarii sciunt, suas pseudo doctrinas per eam in fumum redigi: sic traditur Bucerum dixisse: *Tolle Thomam, & dissipabo Ecclesiam.*

Sunt

Sunt autem etiam præter Hæreticos Viri Catholici, qui in Scholaſticam methodum ſummo feruntur odio, & in ſubtiles ac accutas declamant diſputationes: non alia ratione, quam quia experimentali Philoſophiæ operam impenſius navantes remotiora à ſenſibus vix delibarunt, ac ſolum Sermonis, verborumque fucum ubique expetunt. Hi audiant monitum Clementis Alexandrini in 1. Stromateon: *neque probandum eſſe librorum apparatum, in quo plura ſunt condimenta, quam quæ parata ſunt ad alendum, neque Scitum eſſe ſermonis uſum, qui oblectandis potius, quam juvandis Auditoribus ſervit.* - - Contra hanc ergo noſtram Theologiam Polemico - Dogmaticam.

Opponunt AA. I. Iſaiæ c. 54. v. 13. dicitur: *Ponam univerſos filios tuos doctos à Domino*, ſeu ut Joan. c. 6. v. 45. habetur *docibiles Dei.* Item Jeremiæ c. 31. v. 34. dicitur: *non docebit ultra vir proximum ſuum.* Ergo Theologia Polemica non eſt neceſſaria in Eccleſia.

II. Theologia Polemica eſt poſterior fide: ergo non eſt neceſſaria ad generandam fidem. ant. prob. Theologia Polemica naſcitur ex fide: ergo.

III. In Eccleſia datur Chriſti Vicarius potens omnia authoritativo judicio definire, refutare &c. Ergo in Eccleſia non eſt opus diſcurſibus & Theologia. ant. eſt juxta Catholicos certum.

IV. Philoſophia, humanaque ſcientia à S. Scriptura eſt nobis interdicta: Ergo non tantum non eſt utilis, ſed etiam nociva ad Theologiam Polemicam. ant. prob. 1. Eccleſiaſtes c. 1. v. 13. dicit: *Et propoſui in animo meo quærere, & inveſtigare ſapienter de omnibus, quæ fiunt ſub ſole. Hanc occupationem peſſimam dedit Deus filiis hominum:* ergo. 2. Apoſt. ad Coloſſ. c. 11. v. 8. ait: *Videte ne quis vos decipiat per Philoſophiam & inanem fallaciam ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa mundi, & non ſecundum Chriſtum:* ergo. 3. Idem Apoſt. 1. ad Corinth. c. 2. v. 4. dicit: *ſermo meus & prædicatio mea non in perſuaſibilibus humanæ*

manæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis: ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei: ergo.

V. S. Basilius lib. 1. contra Eunomium ita in illum invehitur: *Hæc illum ex mundi sapientia garrire, à qua in præceps abreptus hanc sermonis novitatem ingressus est, non est difficile monstrare. Aristotelis enim sunt, ut qui legerunt, testari possent, sermones illi de habitu, & privatione in libro ejus, qui inscribitur Cathegoriarum:* similia habet S. Greg. Niss. lib. 2. Contra eundem Eunomium & S. Cyrillus Alex. Thes. 11. Ergo.

VI. Tertullianus lib. de Præscript. c. 7. Dialecticam appellat coactam, duram, versipellem, molestam, Operariam Contentionum, ac artificem destruendi: & demum esse ab Ecclesia eliminandam his verbis: *Quid ergo Athenis & Hierosolymis? quid Academiæ & Ecclesiæ? quid hæreticis & Christianis? nostra institutio de porticu Salomonis, qui & ipse tradiderat Dominum in simplicitate quærendum. Viderint, qui Stoicum & Dialecticum Christianismum protulerunt.* Item in lib. de anima non semel clamat, *auferendam esse argumentationem:* Ergo.

VII. Leo Magnus Serm. 5. de Nativ. ait: *Abigatur terrenarum Caligo rationum, & ab illuminatæ fidei oculo mundanæ sapientiæ fumus abscedat:* ergo.

VIII. Si Dialectica ac Philosophia Theologo Polemico aliquid afferret utilitatis, has disciplinas docuisset Spiritus S. Apostolos, atque his disciplinis Concilia ac Patres insurgentes depulissent hæreses: atqui hoc non: ergo. min. prob. Apostoli veri fuerunt Theologi: atqui hi neque Dialecticam nec Philosophiam habuerunt, licet juxta verbum Christi illos Spiritus S. omnem docuerit veritatem: ergo.

IX. S. P. August. disputans contra insaniam Manichæorum gloriantium se initium, finem, & mundi causam adinvenisse, lib. 1. de Actis Contra Felicem c. 10. ait: *Non legitur in Evangelio Dominum dixisse, mitto vobis Paraclitum, qui vos doceat de cursu solis, & lunæ. Christianos enim nos facere volebat non Mathematicos. Sufficit autem ut homines de iis rebus, quantum in Schola*

didi-

didicerunt, *noverint propter humanos usus.* Ergo humanæ rationis doctrina Theologo nihil prodest.

X. Socrates lib. 1. Histor. c. 8. narrat, quod cum in Nicæna Synodo Dialectici quidam argumentantes omnia turbarent, ita illos simplex quidam Laicus compescuit: *Christus & Apostoli non artem nobis Dialecticam, nec inanem versutiam tradiderunt, sed apertam & simplicem sententiam, quæ fide bonisque actibus custoditur:* quibus dictis omnes assenserunt, & Dialectici quieverunt: ergo.

XI. Authoritate & experimento compertum est, hæreses à Philosophia promanasse: ergo. ant. prob. 1. ab Authoritate. Tertullianus lib. de anima c. 3. Philosophos appellat *Patriarchas Hæreticorum.* Et c. 7. de Præscript. hoc discrimen statuit Hæreticos inter & Catholicos, quod hi in simplicitate Dominum quærant, illi autem inferant *Aristotelem, qui illis Dialecticam instituit.* S. Ambros. lib. 1. de fid. c. 3. & in Psal. 118. scribit: Arianos in perfidiam ruisse, quod elegerint disputationum tendiculas *secundum Dialecticæ disciplinam.* Et S. P. August. Serm. 81. de Temp. asserit: Ciniphes, qui tertia plaga vexarunt Ægyptios, designare Philosophos simul & Hæreticos, qui *verborum stimulis animas terebrant.* Ergo Authoritate compertum est, hæreses à Philosophia promanasse. ant. prob. 2. ab experimento. Aristotelicis inventis ad exitium ac pestem abusi sunt Arius, Eunomius, Ætius, ut scribunt Basilius, Gregorius Niss. & alii. Unde narratur in Gestis Philippi. Sub illo Aristotelis Metaphysicam anno 1204. Parisiis damnatam esse. &c. Ergo.

XII. Scholastica Theologia teste Tertull. de Præscript. c. 8. nec ad credendum, nec ad fidem formandam exigitur, dicit enim loc. cit. *Nobis curiositate opus non est post Christum Jesum, nec inquisitione post Evangelium:* ergo.

XIII. Perfectius est simpliciter credere, quam veritatem inquirere, testante Cassiano Serm. de fid. *Quid mihi quærere, quomodo verum sit, quod Deus dixit, cum dubitare non debeam, quia*

verum sit, quod Deus dixit? Ergo Scholastica Theologia minuit perfectionem fidei.

XIV. Scholastica Theologia tollit meritum fidei, ut docet S. Greg. hom. 26. *Fides amittit meritum, ubi ratio præbet experimentum.* Ergo.

XV. Scholastici ipsi nunquam inter se conveniunt, sed de rebus etiam ad fidem pertinentibus scandalosa contentione dissferunt: ergo. Item in pluribus metaphysicis quæstionibus tempus conterunt, quæ apud priscos Ecclesiæ Patres fuerunt prorsus inauditæ. Tandem quid sibi volunt illa turpia ac barbara vocabula: *Entitas, quidditas, opus operatum, materialiter, formaliter* &c. Ergo.

XVI. Tria sunt genera argumentorum, nempe *demonstrativum, probabile*, ac *Sophisticum:* atqui nullum ex his in explicandis rebus divinis afferre potest utilitatem: ergo. min. prob. Non *demonstrativum*: quia demonstratio propositiones exigit claras ac certas conclusione notiores, & vel inductione, vel sensibus, vel experientia manifestas: quarum nulla in fidei Dogmatibus potest occurrere, eo quod ad contemplandum difficiles sint rerum Divinarum rationes. Non *probabile*: quia hoc non generat certitudinem, sed opinionem. Non *Sophisticum*, quia hoc potius generat errorem, & fallaciam: ergo.

XVII. Scholastica Theologia est recens in Ecclesia, à tempore nempè D. Joannis Damasc. Ergo.

℞. ad I. neg. conseq. Alias Christus, ut scribit Apost. ad Ephes. c. 4. v. 11. & seq. non *dedisset Pastores, & Doctores?* Unde in oppositis textibus adductis sensus est, quod Deus homines amplius non doceat per Prophetas, sed per filium suum & ab hoc datos pastores, & Doctores. Præterea dictorum textuum sensus est, quod Deus se ipso per interiorem gratiæ influxum mentes nostras illustret, & moveat voluntates: nisi enim Deus aures cordis nostri interius aperiat, externa verbi prædicatio non proficit, sed potius evanescit, & ad salutem inutilis redditur.

Ad

Ad II. dist. ant. Theologia, quæ est in docente, est posterior fide ipsius docentis, conc. ant. est posterior fide ipsius docendi, seu in fide instruendi, neg. ant. & sub eadem dist. conseq.

Dices 1. Primus fidelis acquisivit fidem Theologia adhuc in nullo præsupposita: ergo Theologia unius non est necessaria ad generandam fidem alterius. ℞. dist. ant. Theologia creata adhuc in nullo præsupposita Conc. ant. increata, neg. ant. & conseq. Unde salvatur, Theologiam semper fuisse priorem fide, quæ in primo fideli fuit genita docente supremo Theologo, scilicet Deo.

Dices 2. Ut quis instruatur in iis, quæ ad habitum primorum principiorum spectant, non requiritur nova scientia præsupposita, sed sufficit, ut quis ea simpliciter proponat: ergo etiam ut quis instruatur in iis, quæ ad fidei habitum spectant, nulla prærequiritur scientia Theologica. ℞. Neg. conseq. Disp. est: quia prima principia ex se ipsis sunt evidentia: ergo bene ex sola terminorum explicatione cognoscuntur, & percipiuntur. At vero ea quæ ad habitum fidei spectant, nempe, Articuli credendi, cum sint obscurissima, nec credantur, nisi quia Deus revelavit, necessario indigent suæ credibilitatis evidentià, quam sola facit Theologia.

Dices 3. In veteri lege ad evidentiam credibilitatis faciendam non erat quædam necessaria Theologia: Ergo nec in nova lege. ant. prob. In veteri lege non erat ulla Theologia: ergo. ℞. Neg. utrumque ant. In omni namque Ecclesiæ statu tam antiquo quam novo necessaria fuit Theolgia: cum Ecclesia in nullo statu potuerit recte subsistere absque legitimo Controversiarum Judice, qui doctrinas de fide tenendas proponat, explicet, atque prava dogmata indies scaturientia damnet: qualis Judex absque Theologia id præstare nequit.

Ad III. Dist. ant. potens respectu fidelium, perfecteque subditorum, conc. ant. potens respectu hæreticorum, & rebellantium, neg. ant. & dist. conseq. ergo non est opus discursibus respectu hæreticorum & rebellantium, neg. conseq. respectu fide-

lium, & perfecte obedientium, subdist. pro illis ut fidelibus manentibus conc. seq. pro illis ut potentibus in errorem cadere, neg. conseq. Cum *oporteat esse hæreses*, oportet etiam præter Christi Vicarium esse & alios hæresum confutatores, qui *in doctrina sana* valeant errantes *redarguere*, quod sine discursibus Theologicis fieri non potest.

Ad IV. Neg. ant. Sacræ enim literæ volunt Ecclesiæ Doctorem idoneum esse ad hortandum, docendum, corripiendum, & ad distinquendas versutias sermonum: solùm monent, ne ad humanarum rationum momenta fides potissimum exigatur. Ad Eccles. ℟. Illum de felicitate hujus vitæ verba facere, & ex tali inquisitione evincere, quod omnia vana sint, ut in nullo hujus sæculi bono vera felicitas rationalis creaturæ consistere possit, atque beatitudo, & hoc contra eos, qui hanc in bono creato collocarunt. Paulus autem ibi hortatur fideles, ut caveant ab Epicureorum secta, quæ per inanes fallacias Dei providentiam evertens, plurimos à vera Religione retrahebat. Explosit ergo Paulus illam tantum Philosophiam, quæ adhæret falsis improborum hominum traditionibus. Vel dicatur, Paulum solum vulgari populo vetare Philosophiam, non item Pastoribus & Doctoribus: nam neque nos dicimus necessariam esse Theologiam omnibus Ecclesiæ membris, sed tantum aliquibus.

Ad V. S. Basilium & Cæteros Patres reprobare usum Philosophiæ tanquam pestilentem ac noxium, quando sola credendi ratio in humana ratiocinatione concluditur, & dum ad circumveniendos rudes callida & versuta Dialectica usurpatur: uti fecere Ariani (contra quos ibi Basilius loquitur & Greg. Niss.) qui per ideam humanæ generationis Divinum verbum creatum esse temere contendebant: non vero reprobare usum disciplinarum mundanarum, dum præsidio sunt Religioni, eique tanquam ancillæ deserviunt.

Ad VI. Tertullianum Philosophos carpere: qui *gloriæ solius & eloquentiæ libidinosi, si quid in S. Scripturis offenderunt digestum, pro instituto curiositatis ad propria verterunt; qui affectant*

veri-

veritatem, & affectando corrumpunt, qui de una via obliquos multos & inextricabiles tramites sciderunt: tales enim *fuisse illius ætatis Philosophos* affirmat Tertullianus c. 47. Apologetici, qui non Philosophi, sed Philodoxi nuncupandi sunt. Minime vero Tertullianum improbasse usum verum Philosophiæ. In Lib. vero de anima loquitur contra asserentes, eam esse mortalem, pertinaciter innixos solis sensuum animadversionibus, quibus observabant homines nasci, crescere, & mortalia appetere ad vitam alimenta.

Ad VII. S. Leonem in eodem sensu, ut supra ad V. dictum est, loqui nempe illuminatæ fidei oculum non esse fumo mundanæ sapientiæ obfuscandum.

Ad VIII. Exemplum Apostolorum in nobis non valere: nam illis omnia Spiritus S. suggerebat, ita ut nec Grammatici nec eloquentes ex tempore ad Philosophos ac Tyrannos revincendos sapientissime loquerentur; nos autem sumus hoc peculiari munere destituti.

Ad IX. Jure S. P. Augustinum reprehendere Felicem Manichæum: cum nihil pertineat ad fidem Catholicam esse Mathematicum, & Syderum cursum metiri.

Ad X. Socratem loqui de quibusdam Dialecticis, qui licet Scripturarum auctoritatem reciperent, spretis Divinis literis solis paralogismis conabantur adstruere Filii Divinitatem.

Ad XI. dist. ant. hæreses à Philosophia dimanasse, cum aliqui sacras literas ac traditiones arte Dialectica tentarunt convellere, atque credendi regulam in sola humana sapientia constituerunt, conc. ant. cum posita in Divinis revelationibus ratione credendi, humanis disciplinis usi sunt in fidei præsidium & fulcimentum, neg. ant. & conseq. Per quod patet responsio ad probas. Imo Hæretici abutuntur etiam S. Scriptura, ut scribit S. Hilarius ad Constantium Augustum: *Nemo hæreticorum est, qui se non secundum Scripturas prædicare ea, quibus blasphemat, mentiatur:* & tamen S. Scripturam esse noxiam, vel inutilem nullus dixerit.

Ad XII. dist. ant. Scholastica Theologia nec ad credendum, nec ad fidem formandam exigitur, id est, ad nova dogmata invenienda, conc. ant. id est, ad defensionem, & explicationem eorum dogmatum, quæ sunt tradita, neg. ant. & conseq. solutio ex terminis claret.

Ad XIII. dist. ant. Perfectius est simpliciter credere, quam veritatem inquirere: libidine rixandi, & contentionis prurigine, conc. ant. ad ipsius fidei præsidium, & proximorum instructionem, neg ant. & conseq. Et ita explicatur Cassianus.

Ad XIV. Expl. S. Greg. sub dist. Fides amittit meritum, ubi ratio præbet experimentum, & ubi hoc experimentum quæritur motivo incredulitatis, ut in Thoma Apostolo, qui noluit credere Christum resurrexisse, antequam vulnera ejus palpasset, & deq uo loc. cit. loquitur Gregorius, conc. ubi ratio præbet experimentum ad revincendam obcæcatorum perfidiam, neg.

Ad XV. dist. ant. Scholastici ipsi inter se non conveniunt in iis, quæ ad fidem spectant, & certa nituntur revelatione, neg. ant. in iis, quæ extra fidem sunt, conc. ant. & neg. conseq. Duo quæstionum genera sunt distinquenda; unum earum, quæ dogmata fidei comprehendunt, v. g. Deum esse unum & trinum, Christum esse incarnatum &c. alterum earum, quæ in utramque partem absque fidei discrimine defendi possunt, v. g. an attributa Divina distinquantur virtualiter, aut formaliter ex natura rei: an si Adam non peccasset, Christus venisset, &c. In prioribus omnes Scholastici penitus conveniunt, secus in posterioribus. Ad alterum ℞. Illas quæstiones ab ipsis Hæreticis in Theologiam fuisse inductas: ut patet de Arianis Divinitatem Verbi trecentis Sophisticis argumentis impugnantibus, ex quo Theologi impulsi sunt, ut subtilius & accuratius de Divina verbi generatione inquirerent. Idem patet de Sabellianis, Nestorianis, Græcis Spiritus S. à Filio originem negantibus, ex quo in Theologiam disputationes de Relationibus, de Personarum notione, de principii unitate &c. invectæ sunt. Imo patet in ipsis Calvinianis præsentiam Corporis Christi in Eucharistia

ristia negantibus, ex idea corporis loci extensione circumscripti impossibilitatem illius præsentiæ in cælo & in terra demonstrantibus: ex quo Theologos provocarunt ad investigandam corporum & specierum naturam, &c. Ad additum ℞. Per illa vocabula tolli sermonis æquivocationem, & planiori via dissidia dissolvi, licet obscuram reddant latinitatem.

Ad XVI. neg. min. ad prob. ℞. Veram demonstrationem exigere quidem principia, quæ sint conclusione notiora, sed opus non esse, ut hæc notitia manifestata sit sensu atque experimento, sed sufficere si principia nota sint lumine superioris scientiæ, ut in Prolegomenis Theologiæ Scholasticæ dictum est; Theologiæ proinde principia fide ac revelatione nota sunt, ideoque demonstrationes inde deduci possunt. Argumenta vero probabilia proferuntur ad solam veritatis ampliorem confirmationem. Sophismaticis argumentis Theologus non utitur ad implicandos simpliciores, sed ad ipsos Sophistas compescendos.

Ad XVII. Scholasticam Theologiam esse recentem in Ecclesia quoad methodum, ac partium dispositionem, quæ etiam pro Doctorum arbitrio potest etiamnum immutari: non vero quoad ejus dogmata & usum.

§. II.

De Natura Hæreticarum Propositionum.

Quæritur 1. Quid sit Dogma fidei? ℞. Est illud, quod in Verbo Dei scripto vel tradito revelatum, & nobis ut tale ab Ecclesia Catholica propositum est.

Quæritur 2. An idem sit, *esse aliquid de fide quoad se*: & *esse de fide quoad nos*, seu à nobis fide Divina credendum? ℞. Negative: ad hoc enim ut aliquid sit de fide *quoad se*, sufficit, quod à Deo revelatum sit: ut vero aliquid sit de fide *quoad nos*, non sufficit, qnod revera in se à Deo revelatum sit, sed debet insuper nobis infallibiliter constare hoc à Deo revelatum esse,

idque

idque ex eo, quia non omnis leviter audienda eſt revelatio, nec omni ſpiritui credendum, ut S. Joan. in Epiſt. 1. c. 7. v. 1. nos monet. Ergo id Eccleſia nobis debet proponere hoc revelatum, quia ſola in diſcernendo Dei Verbo ſive ſcripto ſive tradito infallibilis eſt.

Quæritur 3. Quid requiratur ad hoc, ut aliquid ſit de fide Divina Catholica? ℟. Hæc duo: 1. ut illud Verbo Dei ſcripto vel tradito revelatum ſit. 2. Ut illud ab Eccleſia qua tale propoſitum ſit: ratio eſt: quia fides ex auditu, auditus per verbum Dei, verbum Dei autem per Eccleſiam illud proponentem, diſcernentem, & cuſtodientem habetur.

Quæritur 4. An ea, quæ novimus per quaſcunque revelationes Viris Sanctis quibuſcunque poſt Apoſtolorum tempora factas, ſint de fide Divina? ℟. Negative: ratio eſt: quia nihil eſt de fide Divina, niſi in Verbo Dei ſcripto vel tradito revelatum ſit: Verbum autem Dei ſive ſcriptum ſive traditum per ſolos habemus Prophetas, Apoſtolos, & Scriptores Sacros: ergo quidquid poſt horum tempora quibuſcunque revelatum eſt, fide Divina tenendum non eſt.

Quæritur 5. An Concluſio Theologica qua talis ſit de fide? ℟. Concluſionem Theologicam qua talem ſive ex una, ſive ex duabus præmiſſis de fide illatam, non eſſe *formaliter* & *immediate* de fide, ſed ſolum *virtualiter* & *mediate.* Ratio eſt, quia nulla concluſio qua talis formaliter eſt revelata, ſed ex revelatis tantum illata: unde etiam nec concluſio qua talis ab Eccleſia unquam fide Divina credenda nobis proponitur, ſed in quantum veritatem à Deo nobis revelatam in ſe complectitur: ergo

Contra hæc dices I. Ad hoc, ut aliquid ſit de fide Divina, ſatis eſt, quod ſit in Verbo Dei ſcripto vel tradito revelatum: ergo non eſt neceſſe, ut qua tale ab Eccleſia proponatur.

II: Qui veritatem aliquam in Scriptura vel traditione revelatam negaret, eo ipſo eſſet Hæreticus: ergo ad hoc, ut aliquid ſit fide Divina tenendum, non requiritur Eccleſiæ propoſitio, ſed ſufficit id ipſum revelatum eſſe.

III.

III. Ecclesia non potest facere de fide, quod de fide non est: ergo esse aliquid fide Divina tenendum non ab Ecclesia, sed unice à revelatione Divina dependet.

IV. Si ad hoc, ut aliquid sit de fide Divina quoad nos, requiratur propositio Ecclesiæ, sequitur Hæreticum esse non illum, qui resistit Verbo Dei revelato, sed illum, qui resistit judicio Ecclesiæ; atqui hoc dici nequit: ergo.

V. Si ad hoc, ut aliquid sit fide Divina à nobis tenendum, requiratur auctoritas Ecclesiæ proponentis nobis, illud esse de fide Divina credendum, committitur circulus vitiosus: tali enim casu foret credendum Scripturæ, propter Ecclesiam, & rursus Ecclesiæ propter Scripturam: ergo.

Res. Ad I. Dist. ant. Ad hoc, ut aliquid sit de fide Divina *quoad se*, satis est &c. conc. ant. Ad hoc, ut aliquid sit de fide Divina *quoad nos*, omnes sub pæna Hæreseos ad credendum obligante, satis est &c. neg. ant. & conseq. Ut enim aliquid sit de fide Catholica omnes sub pæna Hæreseos ad credendum obligante, debet certo & infallibiliter constare, quod sit in Verbo Dei scripto vel tradito revelatum: hoc autem non constat, nisi sit ab Ecclesia Universali propositum.

Ad II. Dist. ant. Eoipso esset Hæreticus, si haberet animum permanendi in suo errore, etsi Ecclesia Catholica contrarium illi manifestaret, conc. ant. absque tali animo neg. ant. & conseq. Ita D. Th. 2 2. q. 11. a 2. ad 3. citans D. P. August. Epist. 16. ℞. 2. neg. ant. Nam S. P. August. lib. contra Epist. fundamenti c. 5. ait: *Non crederem Evangelio: nisi Ecclesiæ Catholicæ me commoveret auctoritas.* Ideo enim credimus Evangeliis Matthæi, Marci, Lucæ, Joannis: & econtra non credimus Evangeliis, quæ sub nomine Petri, Andreæ, Bartholomæi, & Thomæ circumferuntur, quia ad prima suscipienda nos movet Ecclesiæ proponentis auctoritas, non vero ad altera.

Ad III. Conc. ant. intellectum, quod Ecclesia nil possit facere de fide *quoad se*, licet facere possit *quoad nos*, quatenus aliquid nobis ut revelatum proponit, & de fide esse declarat:

& dist. conseq. Ergo esse aliquid de fide Divina tenendum non dependet ab Ecclesia tanquam à causa efficiente, ut sit de fide, conc. conseq. tanquam à signo ostendente, & declarante illud esse de fide, & pro tali habendum, neg. conseq.

Ad IV. Neg. maj. quia qui resistit judicio Ecclesiæ, resistit etiam Verbo Dei Ecclesiæ judicium commendanti, & dicenti Matth. c. 18. v. 17. *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus.*

Ad V. Neg. ant. Non est circulus vitiosus, dum unum per alterum probatur sub diversa ratione, & in diverso genere causæ, ut in præsenti contingit, ubi Ecclesiam probamus per Scripturam tanquam per certam fidei regulam, sed inanimatam: Scripturam vero per Ecclesiam tanquam per fidei regulam animatam, & per modum Judicis viva voce proponentem, & judicantem. Plura de hoc dicentur in subsequentibus Quæst.

Quæritur 6. Quid sit proprie Dogma Catholicum? ℟. esse doctrinam, quam Catholica Ecclesia omnibus fidelibus cum obligatione credendi proponit: hujusmodi Dogmata sunt, quod Deus sit unus in essentia & non multiplex contra Polytheos. Quod sit Trinus in Personis realiter distinctis contra Sabellianos. Quod Christus sit Patris æterni filius, eique consubstantialis contra Arianos. Quod Spiritus S. sit Deus contra Macedonium. Quod duæ in Christo sint naturæ contra Eutychianos: duæ voluntates contra Monothelitas: una tantum Persona, eaque Divina contra Nestorianos: &c.

Quæritur 7. An Dogma proprie Catholicum sit fidei Dogma? ℟. Affirmative: cum omnibus fidelibus Ecclesia illud cum obligatione credendi proponat, & refractarios ejusdem ut Hæreticos ejiciat.

Quæritur 8. Quid sit Articulus fidei? ℟. Esse principalem fidei veritatem omnibus ad explicite credendum propositam, & distinctam continentem difficultatem. Notanter dicitur: *distinctam continentem difficultatem* ad credendum: cum enim de ratione objecti fidei sit obscuritas, & inevidentia, etiam de ejus

ratione

ratione eſt, quod ſit creditu difficile: jam ſi ſint quidem objecta diverſa, non tamen plures ſed unam eandemque difficultatem afferant, talia objecta non plures conſtituunt articulos, ſed ad eundem fidei articulum revocantur: v. g. Paſſio, Mors, Sepultura Chriſti tria ſunt quidem fidei objecta, cum tamen non tres ſed unam difficultatem afferant, etiam unum tantum, non plures articulos conſtituunt. Econtra Reſurrectio Chriſti cum ſpecialem ac diſtinctam afferat difficultatem, diſtinctum etiam articulum fidei conſtituit. Sacramentum vero Euchariſtiæ etſi ſpecialem difficultatem afferat, non tamen ſpecialem articulum conſtituit: ait enim D. Th. 2 2. q. 1. a 8. ad 6. *In Sacramento Eucharistiæ duo poſſunt conſiderari, unum ſcilicet, quod ſacrum eſt, & hoc habet eandem rationem cum aliis effectibus gratiæ ſanctificantis. Aliud eſt, quod miraculoſè ibi corpus Chriſti continetur, & ſic concluditur ſub Omnipotentia, ſicut & omnia alia miracula Omnipotentiæ attribuuntur.*

Quæritur 9. An omne fidei Dogma ſit Articulus fidei? ℞. Solas veritates fidei principales conſtituere ſpecialem articulum, quales ſunt, quæ in duabus illis generalibus claſſibus continentur, & novam rationem non viſi, ut ait: D. Th. ſeu novam difficultatem ad credendum ab omnibus explicite afferunt, & non alias.

Dices: Nulla eſt fidei veritas, quam quisque fidelis non teneatur credere ſub pæna Hæreſis: ergo nulla eſt fidei veritas, quæ non ſit Articulus fidei. ℞. Conc. ant. neg. conſeq. quia ut veritas fidei ſit Articulus fidei, ſatis non eſt, ut fidelis quisque teneatur eam credere ſub pæna Hereſis, ſed requiritur ulterius, ut ſit veritas fidei principalis explicite credenda, & ſpecialem in credendo afferens difficultatem, nec etiam ad aliquem ſpecialem articulum fidei reduci poſſit, quod non convenit omnibus veritatibus fidei.

Quæritur 10. Quænam doctrina pro fidei Catholicæ nociva habenda ſit? ℞. Omnem illam, quam ut nocivam notat, & reprobat. Nam Eccleſia non minus infallibilis eſſe debet in rejicienda doctrina non ſana, & fidei Catholicæ quomodocunque ad-

versa, quam in admittenda doctrina sana & fidei consona: ergo sicut non est tenendum aliquid esse revelatum, & de fide, donec Ecclesia ut tale illud proposuerit, ita neque tenendum aliquid esse contrarium fidei, donec Ecclesia sua censura illud non notaverit.

Quæritur 11. Quid sit Censura, qua Ecclesia propositionem fidei Catholicæ adversam notat? ℞. Esse notam, qua Ecclesia præhabito rigoroso examine propositiones aliquas tanquam non continentes doctrinam sanam, & fidem Catholicam lædentes declarat.

Quæritur 12. Quotuplici modo pravæ propositiones notari solent ab Ecclesia? ℞. Duplici modo: 1. In particulari 2. In globo. In particulari notantur, quando Ecclesia eas proscribendo singulis suas notas tribuit, v. g. eam esse Hæreticam, hanc erroneam &c. Et circa has omnes conveniunt, quod decreta, in quibus propositiones proscribuntur, & cuilibet specialis aliqua censura affigitur, sunt judicia Ecclesiæ dogmatica, ipsumque mentis obsequium à fidelibus exigant. In globo notantur, quam omnes simul proscribuntur tanquam falsæ, perniciosæ, scandalosæ, hæreticæ, &c. respective, non determinando in particulari propositiones, quæ una vel pluribus ex his notis censoriis debeant affici.

Quæritur 13. An modus, quo Ecclesia plures in globo damnat propositiones heterodoxas, sit legitimus, & ab omnibus approbandus? ℞. Affirmative. Ratio est: quia illud est legitimum, & ab omnibus probandum, quod sua praxi probat, & semper probavit Ecclesia, juxta illud S. P. August. Epistol. 118. *Insolentissimæ insaniæ est disputare, an faciendum sit, quod tota per orbem frequentat Ecclesia.* Atqui Ecclesia sua praxi probat, & semper probavit modum plures in globo damnandi propositiones: ergo. min. prob. Concil. Constant. Sess. 8. libros Joannis Wicleffi, & 45. articulos ex ipsis extractos ita in globo damnavit, non determinando quænam nota singulis articulis debeat applicari, ut ex verbis ipsius Concilii loc. cit. patet. Leo X.

Bulla

Bulla quæ incipit, *Exurge Domine*, Lutheri 34. articulos proscripsit in globo. S. Pius V. damnavit in globo 79. propositiones Michaelis Baji. Alexander VII. & Innocentius XI. in globo damnavit 68. propositiones Michaelis Molinos: hoc ipsum egit Alexander VIII. decreto dato die 7. Decembris 1690. Clemens XI. Bulla quæ incipit, *Unigenitus*, damnavit in globo 101. propositiones ex libro reflexionum moralium excerptas. Ergo.

Dices 1. Damnatio propositionum incerta non est legitima: sed damnatio propositionum in globo est incerta: ergo. ℞. Neg. min. In hujusmodi enim censuris illud certum est, de quo Ecclesia nos certos vult fieri, nempe nullam esse è damnatis propositionibus, quæ non mereatur aliquam saltem è censuræ notis, quæ in decreto exprimuntur, & vice versa, nullam esse in decreto notam, quæ non possit in aliquas è damnatis propositionibus cadere, & consequenter *omnes damnatas propositiones esse pernitiosas si tradantur*, *periculosas si credantur*, ut Cardinalis Palavicinus respondit Fra-Paulo objicienti Leonis X. censuram, quæ Lutheri articulos in globo solum damnabat, insufficientem fuisse.

Dices 2. Per censuram in globo factam non potest certo sciri, quænam nota singulis conveniat propositionibus: ergo illa censura est incerta. ℞. Trans. ant. neg. conseq. Certum quippe est, nullam esse propositionem, quæ non mereatur unam saltem è notis in decreto memoratis, quæcunque tandem ea sit: illud porro sufficit, nec in aliud ferri debet mentis obsequium Ecclesiæ auctoritati debitum, uti declarat Martinus V. in formula interrogatoria, quam sacro approbante Constantiensi concilio digessit. Deinde Doctores possunt scire, quænam nota singulis propositionibus conveniat.

Dices 3. Post famosas quinque propositiones Jansenianas damnatas in globo ab Urbano VIII. octoginta quinque Galliæ Episcopi novum postularunt ab Innocentio X. judicium, quo distincte pronuntiaret, quid de qualibet propositione sentiendum sit? ergo judicarunt censuram in globo latam esse insuffi-

cientem. ℞. neg. conseq. Non enim novum judicium requirunt Gallicani Præsules, quod Bullam Urbani VIII. insufficientem esse putaverint, sed illud unice postularunt, ut per illud frangeretur omnino pertinacia eorum, qui pravo affecti animo inde sumebant inobedientiæ prætextum, quod nulli propositioni certa censuræ nota fuisset inusta.

Quæritur 14. An Ecclesiæ decreta, quibus plures in globo propositiones Damnantur, sint vere dogmatica, ipsumque mentis obsequium à fidelibus exigant? ℞. Affirmative. Ratio est ex Concilio Constantiensi, quod damnans in globo 45. articulos Wicleffi expresse ait, se id facere, *ut de medio Ecclesiæ spurcissima illius doctrina eliminetur.* Atqui decretum, quo de medio Ecclesiæ spurcissima aliqua eliminatur doctrina, vere dogmaticum est, internumque mentis obsequium exigit: ergo.

Dices 1. Decretum dogmaticum habet pro objecto pravam doctrinam, quam proscribit: atqui pleræque censuræ, quæ feruntur in globo, non habent pro objecto pravam doctrinam: ergo non sunt decreta dogmatica. ℞. Conc. maj. neg. min. Nam propositiones censoria nota non inuruntur, nisi sacræ doctrinæ aliquatenus adversentur: nec ad id necesse est, *ut illæ propositiones certo Dei verbis repugnent, sed satis est, si aut gravia extent indicia hujus repugnantiæ, eo quod adversentur seu communi Scholæ sensui, seu veteribus Ecclesiæ usibus, seu Ss. Patrum auctoritati, aut deprehendantur ut semina operum, quæ officiunt Christianæ reipublicæ, ac proinde mereantur aliquam censuram, quæcunque tandem ea sit;* ait Cardinalis Pallavicinus respondens objectioni factæ à Petro Suavi, seu Fra-Paulo. Unde illæ propositiones sic censuratæ non possunt ab ullo Catholico defendi, sed animo sincero debent rejici, quamdiu & ubi eandem significationam retinebunt.

Dices 2. Censuræ in globo latæ hoc tantum præstant, ut usum prohibeant quarumdam propositionum, quas habita ratione circumstantiarum loci vel temporis non expedit enuntiare, licet in se veræ sint, vel etiam in aliis circumstantiis necessariæ:

riæ: ergo non habent pro objecto pravam doctrinam. ℞. neg. ant. Non enim debet confundi simplex prohibitio gratia servandæ pacis facta, cum censura alicujus doctrinæ. Per censuram enim decernitur, doctrinam expressam aliqua propositione esse nocivam, unde ipsum mentis obsequium exigit, & qui eam infringit, violatæ fidei se reum constituit. Econtra simplex prohibitio fit quandoque de libris & opinionibus, quarum occasione in Ecclesia tumultus possent excitari, unde qui eam infringit, inobedientiæ legibus debitæ non tamen violatæ fidei reus efficitur.

Quæritur 15. Quæ sint censuræ, quibus propositiones Heterodoxæ notari solent ab Ecclesia? ℞. Alias esse *Hæreticas*: alias *Erroneas*: alias *Hæresi proximas*: alias *suspectas de Hæresi*, & *Hæresim sapientes*: alias *Schismaticas*: alias *Seditiosas*: alias *Hæresi aut Schismati faventes*: alias *blasphemas*: alias *impias*: alias *scandalosas*: alias *perniciosas*: alias *captiosas*: alias *male sonantes*: alias *piarum aurium offensivas*: alias *temerarias*: alias *falsas*: alias *verbo Dei contrarias*.

Propositio Hæretica est ea, quæ formaliter & directe adversatur propositioni explicite, vel implicite revelatæ, cum hac differentia, quod propositio opposita propositioni explicite revelatæ sit hæretica ante Ecclesiæ definitionem: propositio vero opposita propositioni implicite tantum revelatæ non sit hæretica nisi post Ecclesiæ definitionem. Sic hæc Jansenii propositio: *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur*: est hæretica etiam ante Ecclesiæ definitionem, quia contradictorie opponitur huic expresse revelatæ: *Vos semper Spiritui Sancto resistitis.* Hæc vero propositio: *Baptismus datus ab Hæreticis non est validus*: est hæretica sed tantum post expressam Ecclesiæ definitionem; nec enim ante hanc definitionem omnibus Ecclesiis constabat contrariam propositionem in Verbo Dei sive scripto sive tradito implicite contineri.

Propositio erronea est ea, quæ opponitur veritati, quam vel universa tenet Ecclesia, quamvis non sit de fide: vel commu-

nis

nis Catholicorum Doctorum sententia mediate revelatam judicat, licet ab Ecclesia id nondum expresse fuerit definitum. Sic hæ propositiones: *Expedit, ut linqua vulgari Sacra celebretur liturgia:* Item *Beata Virgo non est in cælum corporaliter assumpta*: sunt erroneæ, quia propositiones contradictoriæ constanter tenentur ab universa Ecclesia. Hæc propositio: *Invalidus est baptismus ab Hæreticis datus*: quæ post Ecclesiæ expressam definitionem est hæretica, ante talem definitionem fuit tantum erronea.

Dices: Propositio erronea est ea, quæ opponitur veritati, quæ deducitur ex una præmissa de fide, & altera evidenter vera: ergo. ℞. neg. ant. Nam hæc propositio: *Christus non habet humanam voluntatem*: est hæretica, & ut talis damnata contra Monothelitas: ergo non est tantum erronea: & tamen sequitur ex una propositione revelata, nempe *Christus est homo*, & ex altera evidenter vera, nimirum *omnis homo habet humanam voluntatem*: ergo.

Propositio Hæresi proxima est ea, quæ maxima cum probabilitate judicatur hæretica: quæ nimirum tantam cum doctrina hæretica connexionem habet, ut à majori & saniori Doctorum Catholicorum parte hæretica censeatur, quamvis aliqui non infimæ notæ Theologi contendant hanc ipsi notam non esse inurendam. Hæc non videtur distinqui à propositione erronea, ipsi enim tantum deest expressa Ecclesiæ definitio, ut sit hæretica.

Propositio suspecta de Hæresi est ea, quæ licet aliquo sensu tolerari possit, & enuntiari, tamen magna cum probabilitate judicatur hæretica.

Propositio Hæresim sapiens est ea, quæ majori cum probabilitate, quam suspecta de hæresi, judicatur hæretica. Sic ista propositio: *Christus est creatura*, vel *Patre minor*: Catholice quidem posset intelligi ratione humanitatis: sed prolata tempore Arianismi etiam ab eo, qui non est de Ariana hæresi suspectus, est *suspecta de hæresi*: prolata vero ab eo, qui de Arianismo suspectus est, *hæresim sapit* Arianam. Sic hæc vox *Christotocos* tempore Nestorianismi erat *suspecta de hæresi*, & prolata ab eo, qui su-

suspectus erat de Nestorianismo, *hæresim sapiebat*; hodie est Catholica, in lytaniis enim dicitur, *Mater Christi*. Itaque, ut propositio dicatur suspecta de hæresi, aut hæresim sapere, in se sola considerari non debet, sed attendenda est circumstantia loci, temporis, & Scriptoris. Hinc propositiones, quæ apud unum authorem sunt orthodoxæ, apud alium, qui eis abutitur, suspectæ sunt de hæresi, vel hæresim sapiunt: sic hæc propositio, *Pater major me est*, in sensu Catholico prolata vera est, in Arii libros transfusa sapiebat hæresim. Sic hæ propositiones Quesnellianæ 13. *Quando Deus vult animam salvam facere, & eam tangit interiori gratiæ suæ manu, nulla voluntas humana ei resistit - - - Omnes, quos Deus vult salvare per Christum, salvantur infallibiliter:* prima fronte videntur similes quibusdam S. P. Augustini & S. Prosperi expressionibus, quæ de voluntate Dei absoluta, quam adversus Pelagianos propugnabant, intelliguntur: verum hæresim sapiunt in ore Quesnelistarum, qui negant Deum sincere velle aliorum quam Prædestinatorum salutem, quod in sensu Janseniano blasphemum, & hæreticum declaravit Ecclesia.

Propositio Schismatica est ea, qnæ fideles ab obedientia Summo Pontifici, aliisque superioribus Ecclesiasticis debita retrahit. Talis esset propositio illius, qui diceret, summi Pontificis tyranicum esse imperium: talis quoque est propositio eorum, qui docent à Bulla *Unigenitus* licitum esse appellare ad futurum concilium, prout anno 1718. declararunt Episcopi Gallicani circiter 50.

Propositio Seditiosa est ea, quæ per se nata est subditos ad rebellionem contra Principes Civiles, vel Rempublicam inducere, eos à debita Principibus obedientia retrahendo: v. g. si quis diceret, Principibus vectigalia non debere: vel eis, aut Magistratibus obtemperandum non esse, quia homines sunt ejusdem cum aliis conditionis.

Propositio hæresi aut Schismati favens est ea, qua hæretici, aut Schismatici uti possunt ad suos errores, suamque inobedienti-

am propugnandam: ſic qui doceret, Euchariſtiæ Sacramentum ſolemni ritu per vias publicas non eſſe circumferendum: faveret errori Calviniſtarum docentium, Chriſtum ſubſtantialiter non contineri in Euchariſtia. Item qui doceret, Clementem XIII. non eſſe canonice electum, faveret Schismati, retrahendo fideles ab obedientia legitimo Pontifici debita.

Propoſitio blaſphema eſt ea, quæ Deo vel ſanctis eſt injurioſa: ſic hæc Janſenii propoſitio: *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus & conantibus ſecundum præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia; deeſt quoque illis gratia, qua poſſibilia fiant:* eſt damnata ab Innocentio X. non ſolum ut hæretica, ſed etiam ut blaſphema: reddit quippe Deum injuſtum legislatorem.

Propoſitio impia eſt ea, quæ cultum Deo debitum minuere de ſe nata eſt: talis eſt prædicta mox Janſenii propoſitio: ex eo enim, quod Deus impoſſibilia homini præcipiat, deſitque gratia, qua poſſibilia fiant, ſequitur fruſtra Deum orandum ad obtinendas gratias ad obſervanda præcepta neceſſarias.

Propoſitio Scandaloſa eſt ea, quæ per ſe nata eſt proximum inducere ad peccatum, eumque à virtutum exercitio retrahere: v. g. ſi quis diceret, ex auriculari confeſſione graviſſima ſequi incommoda: hæc enim propoſitio per ſe retrahit fideles à peccatorum confeſſione, & per accidens eſt, ſi non retrahat.

Propoſitio pernicioſa eſt ea, ex qua facile poſſunt deduci concluſiones contra fidem, aut bonos mores: ut ſi quis diceret, Scripturam Sacram indiſcriminatim eſſe legendam, & omnibus tradendam. Ad hanc reducitur propoſitio *periculoſa.*

Propoſitio captioſa eſt ea, quæ ſub pietatis ſpecie venenum obtegens apta eſt ſimplicium mentes ſeducere: talis erat iſta Arianorum propoſitio: Chriſtus eſt ſimilis Patri: nam prima fronte videtur ſignificare, Chriſtum eſſe ſimilem in natura, & tamen in auctorum ſenſu ſignificabat Chriſtum eſſe ſimilem Patri in potentia ipſi tradita à Patre, non vero in natura.

Pro-

Propositio male sonans est ea, quæ licet duplicem habeat sensum, unum bonum, & alium malum, absolute tamen & sine distinctione profertur; sic ista propositio: *Christus est Creatura rationalis*: male sonat, quia videtur negare Divinitatem Christi.

Propositio piarum aurium offensiva est ea, quæ aliquid indecorum de Deo, vel Sanctis ejus profert: ut si quis Sanctos rogando, eorum peccata ipsis improperaret; v. g. *S. Paule persecutor Ecclesiæ ora pro nobis.*

Propositio temeraria, est ea, quæ absque ullo aut Scripturæ aut traditionis, aut rationis Theologicæ fundamento à communi Theologorum sententia recedit; v. g. si quis diceret, B. V. Mariam in cœlum quoad corpus non fuisse assumptam.

Propositio falsa est ea, quæ factum aliquod, quod ad fidem pertineat, eique nocere possit, veritati contrarium enuntiat; v. g. si quis negaret, quinque famosas propositiones à SS. Pontificibus Clemente X. & Alexandro VII. damnatas, ex libro Janseny fuisse excerptas, propositionem enuntiaret falsam. Dixi *quod ad fidem pertineat*: nam si talis propositio nullatenus pertineret ad fidem, nec ei foret nociva, non posset ei nota falsitatis theologice inuri. Unde opiniones Philosophicæ, licet absurdæ, non debent notari ab Ecclesia, nisi saltem indirecte fidem lædant, quo sensu quædam fuerunt damnatæ à Concil. Lateran. V.

Propositio Verbo Dei contraria est ea, quæ contraria est Scripturæ, & traditioni: nec tamen est hæretica, quia illa contrarietas nondum est supremo Ecclesiæ judicio definita.

Quæritur 16. Quid intelligatur per adverbium *respective*, cum in decreto, in quo plures propositiones damnantur, dicitur eas esse respective hæreticas, erroneas, temerarias, scandalosas &c.? ℟. Hanc particulam *respective* significare, nullam esse ex damnatis propositionibus disjunctive, in quam non cadat una saltem ex notis, quæ in condemnationis decreto refe-

d 2 run-

runtur; æqualiter ergo propositiones damnantur, cum in globo damnantur, sed non æquali censura afficiuntur: unde decreto Apostolico sic concepto sufficientem exhibet obedientiam, qui credit nullam esse propositionem damnatam, in quam non cadat una saltem ex censuris, quibus in globo notantur.

§ III.

Enumerantur præcipui Hæresiarchæ juxta ordinem sæculorum.

SÆCULO I.

SImon *Magus* Gittis Samariæ vico oriundus, a quo & *Simoniani*, qui, cum repulsam passus fuisset ab Apostolis, quibus pecuniam obtulerat, ut virtutem conferendi Spiritum S. acciperet, totum se magicis artibus dedit, variaque doctrinæ monstra docuit. Commenta, in quæ malitiosus impostor lapsus est, præter Sacrilegam rerum sacrarum nundinationem assignantur sequentia: 1. Se Deum esse profitebatur cœlo delapsum, & Helenam Scortum suam suæ mentis primum conceptum esse. 2. Mundum non fuisse à Deo conditum. 3. Non esse in homine liberum arbitrium. 4. Resurrectionem mortuorum pernegabat. 5. Bona opera non esse necessaria: imo ut Eusebius lib. 2. Hist. ait: *Nihil tam impurum esse potest, quod flagitiosissima hæc secta non attingat.* Damnatus est à D. Petro Act. 8.

Cerintus, vel *Cherinthus* (à quo *Cerinthiani* vel *Merinthiani* nomen accepere) post Simonem Magum Hæresiarcha putatur fuisse primus. Docuit 1. Mundum ab Angelis fuisse factum. 2. Vetus testamentum ad literam esse observandum. 3. Jesum esse purum hominem, eum nondum resurrexisse, sed resurrecturum esse &c. Hos errores D. Paulus damnavit in Epist. ad Galat.

Me-

Menander, unus ex præcipuis Simonis Magi discipulis, à quo Menandriani nomen acceperunt: Hic una cum Simonis impietatibus addebat, se esse Salvatorem mundi. Hanc hæresim S. Linus ab Ecclesiæ gremio ejecit. In illum etiam invectus est S. Ignatius Martyr, qui ad Trallenses his verbis scripsit: *Fugite Menandrum, & totam collectionem malignitatis ejus.*

Ebion, à quo *Ebionitæ* dicti, docebat, Christum esse purum hominem, & legis mandata more Judaico esse observanda. Hunc S. Lucas apud Ecclesiam Antiochenam damnavit: & adversus Ebionis perversa dogmata S. Joannes suum Evangelium scripsit:

Nicolaus unus ex 7. Diaconis, à quo *Nicolaitæ* dicti: quamvis antiquissimi Authores, ut Clemens Alexandrinus, Theodoretus, Eusebius, Ignatius hunc Nicolaum hujus sectæ Authorem negent. Hi docebant 1. Uxores esse communes. 2. Licere vesci Idolothitis. 3. Mundum non esse à Deo factum. Hos damnavit Deus Apoc. c. 2. v. 6. Hos & confutavit S. Joannes Evang. Clemens, Irenæus, Origenes &c.

SÆCULO II.

Elxai, sub Trajano Imperatore anno Christi 110. hæreticas excogitavit perversitates: *Helcesëitarum* hæreticorum, qui & *Sampsæi* dicti sunt, fons, & origo. Hic docebat: Deum habere mensuram milliariorum 96 in longitudinem, & 24. in latitudinem. Christum esse simplicem creaturam. Spiritum S. esse ejus sororem fœmineo sexu præditam &c. Refutatus est ab Origene.

Gnotistici, quorum *Carpocrates* fuit Coriphæus, docebant 1. Mundum à Deo non esse factum; 2. Christum merum fuisse hominem ex Josepho & Maria natum. 3. Nihil esse malum natura, sed opinione. 4. Animas in alia subinde immitti corpora, ut amplius peccent. Horum spurcissimam doctrinam

abominati sunt, & refutarunt Irenæus, Clemens Alexand. Epiphanius &c.

Ophitæ à Colubro sic dicti docebant, serpentem, à quo Adam & Eva fuerunt decepti, esse Christum, unde habebant verum serpentem, quem nutriebant, & adorabant. Hos expunxerunt Theocritus Chalcedoniæ, & Evander Nicomediæ Episcopi.

Cainitæ, qui docebant, Cainum, Judam proditorem, Core, Dathan, & Abiron, imo & Sodomitas Colendos esse. Hos refutat S. Epiphanius Hæref. 38. & Tertullianus.

Millenarii, qui docebant electos post extremum judicium per mille annos cum Christo regnaturos in terris, omnibus corporeis voluptatibus indulgentes. Hi à Concil. Trid. sess. 25. & Florent. Sess. ult. rejecti sunt.

Marcionistæ à *Marcione*, quem tria principia, boni, justi, & pravi admisisse scribit D. Epiph. Hi ab Origene fuerunt confutati.

Cataphrijges, seu *Montanistæ* à Montano, qui se dicebat Paraclitum docebant 1. Secundas nuptias esse Sceleratas. 2. Peccatores non admittebant ad pænitentiam. 3. Conficiebant Eucharistiam ex farina sanguine infantis anniculi delibuta. Docebant cum Sabellio, in Trinitate unicam esse Personam. Damnati sunt à SS. PP. Zephirino, & Aniceto, ut scribit Tertul. L. contra Psychicos. c. 1.

Quarto-Decimani, sic dicti, quod 14. Luna Martii Pascha celebrabant, qualibet septimanæ occurrerit die. Damnati sunt à Victore S. P.

Adamitæ, sic dicti, quia imitabantur Adami innocentis nuditatem: unde nuptias damnabant, eo quod Adamus non prius, quam dimissus esset de Paradyso, cognoverit uxorem. Hos Polycarpus Presbyter eliminavit.

SÆ-

Sabelliani à *Sabellio*, qui unicam in Trinitate Perſonam admittebant. Hos damnavit Doſithæus Epiſcopus Seleuciæ.

Tertullianiſtæ à *Tertulliano*, qui ſectæ Montani nomen dedit, ac inſuper docuit 1. Animas cum corporibus fuiſſe genitas. 2. Deum eſſe Corporeum. 3. Animas damnatorum in diabolum converti.

Origeniſtæ ab *Origene*, qui aſſerebat 1. Animas longe ante Corpora fuiſſe creatas, & in corpora immiſſas propter peccata ab ipſis antea commiſſa. 2. Dæmones & damnatos poſt mille annos fore beatos. Origenem non ſolum anno Chriſti 400. Anaſtaſius Pontifex cum ſuis ſcriptis damnavit, verum etiam anno Chriſti 553. in quinta generali Conſtantinopolitana Synodo ſub Vigilio Papa, & Juſtiniano Imperatore anathema dicitur Origeni, ac ſcriptis ejus.

Pauliani à *Paulo Samoſateno*, docebant Chriſtum eſſe purum hominem, qui non prius extiterit, quam natus ſit de B. V. Maria Hi deficiebant in forma baptiſmi. Horum dogmata damnata fuere à Concilio Nicæno I. in quo ejecto Paulianiſtarum baptiſmo, ad gremium Eccleſiæ redeuntes juſſi ſunt vero baptiſmo inſigniri.

Rebaptizantes, qui ab Hæreticis baptizatos rebaptizandos docebant. Refutati ſunt à Stephano Pontifice.

Manichæi à *Mane*, qui 1. negabant Trinitatem. 2. Duo admittebant rerum principia, unum bonum, alterum malum. 3. Negabant Chriſtum vere eſſe paſſum, &c. Hos acerrime refutavit præter alios S. P. Auguſtinus pluribus libris.

Novatiani à Novato, qui contendebant, ſemel lapſos nunquam ad pænitentiam recipiendos: ſecundasque nuptias tanquam malas damnabant &c. Hanc hæreſim refricavit *Meletius*, à quo dicti ſunt Meletiani, qui poſtea cum Arianis ſeſe conjunxerunt. Novatiani damnati ſunt in Concilio Diœceſano Car-

tha-

thaginensi & Romano sub Cornelio Pontifice anno Christi 253. Item Concil. Nicæn. I. anno 325. sub S. Sylvestro.

SÆCULO IV.

Ariani ab *Ario* Presbytero sic dicti, negabant Christum esse Patri consubstantialem, ac proinde negabant eum esse Deum. Damnati sunt in Concilio Nicæno I.

Semi-Ariani, qui negantes Christum esse consubstantialem Patri, fatebantur eum esse similem in natura, quomodo homo similis est alteri homini. Horum Principes fuerunt *Aetius*, & *Eunomius*. Docuerunt etiam nullum peccatum quantumvis grave imputari in fide sua manentibus (quod etiam moderni sentiunt Lutherani) solamque fidem absque ullo alio bono opere sufficere ad consequendam vitam æternam &c. Contra hos veritatis patrocinium suscepit S. Basilius in libris quinque contra Eunomium. S. Hieron. lib. adversus Vigilantium &c.

Apollinaristæ ab *Apollinare* Juniore dicti, docebant, Verbum Divinum assumpsisse quidem naturam humanam quoad corpus, sed sine anima, cujus vices Verbum Divinum gessit: Verbum Divinum sic caro factum esse, ut penitus in ipsam transmutatum sit: quemadmodum ex corporibus corpora traducuntur, ita ex animabus animæ, &c. Hos damnavit in Romano Concilio anno 373. Damasus Papa. Et in Synodo Constantinopolitana I. anno 381. Contra hos etiam egit S. Athanasius, Gregorius Nazianzenus, S. Epiphanius Hæres. 77. &c.

Donatistæ à Donato, qui primum propter Cæcilianum contra suam voluntatem ordinatum Ecclesiæ Carthaginensis Episcopum Schisma fecit, quod in hæresim verterunt Donatistæ docentes 1. Hæreticos iterum baptizandos. 2. Solos, qui remanserant in parte Donati, esse de Ecclesia. 3. Baptismum à Christo institutum eundem esse, quem Joannis. 4. Negabant confirmationis Sacramentum. 5. Monachos & Episcopos, quos Pharisæos

riſæos nuncupabant, perſequebantur odio, & præprimis Pontificem, cujus ſedem cathedram peſtilentiæ intitulabant &c. Fuerunt damnati à Melchiade Papa.

Macedoniani à *Macedonio* Epiſc. Conſtantinop. ſic dicti docebant, Spiritum Sanctum eſſe puram creaturam, &c. Damnati ſunt à Concil. Conſtantinop. I.

SÆCULO V.

Pelagiani docebant 1. Peccatum Adami illi ſoli nocuiſſe. 2. Nullum in ejus poſteritate fuiſſe peccatum originale. 3. Mandata Dei ſolis naturæ viribus poſſe obſervari, ſicque hominem poſſe juſtificari ſine gratia, &c. damnati ſunt ab Innocentio I. & à Concil. Carthaginenſi.

Neſtoriani ſic dicti à *Neſtorio* Epiſcopo Conſtantinop. qui duas in Chriſto Perſonas admittens, unam Divinam, alteram humanam, B. Virginem negabat eſſe *Theotocon*, ſed ſolum *Chriſtotocon*, ſeu Chriſti genitricem. Damnati ſunt in Concil Epheſino I.

Eutychiani ſic dicti ab Eutychete Abbate Conſtantinop. qui, ut contradiceret Neſtorio, docuit unam tantum eſſe naturam in Chriſto. Damnati ſunt in Concil. Chalcedonenſi.

SÆCULO VI.

Monothelitæ, qui auctore *Cyro* Patriarcha Alexandrino, quem ſecutus eſt Sergius Conſtantinopolitanus, unam tantum in Chriſto voluntatem atque operationem aſſerebant: Damnati ſunt in Synodo VI.

SÆCULO VII.

Machumetiſmus auctore *Machumete*, qui in Alcorano ſua impia dogmata diſſeminavit, quorum præcipua capita ſunt 1. De-

um eſſe corporeum. 2. Unicam in Deo eſſe Perſonam. 3. Chriſtum non eſſe Deum, ſed magnum quemdam Prophetam. 4. Cæremonias Moſaicas eſſe neceſſarias. 5. Poligamiam eſſe licitam. 6. Vitam æternam conſiſtere in voluptatibus corporeis &c.

SÆCULO VIII.

Iconomachi, ſeu *Iconoclaſtæ*, qui cultores ſacrarum imaginum Idololatria accuſabant: unde Leo Isauricus Imperator Iconoclaſta edictum propoſuit, ut ſacræ imagines de templis tollerentur. Damnati ſunt in VII. Synodo.

Albanenſes admittebant 1. Duo rerum principia, unum bonum, aliud malum. 2. Aliquem ante adventum Chriſti juſtum fuiſſe negabant. 3. Docebant mundum eſſe æternum. 4. Animas de novo non creari, ſed eas de corporibus mortuorum in alia corpora transmigrare. 5. Juramentum nunquam eſſe licitum. 6. Non extare peccatum originale. 7. Sacramenta à peccatoribus collata nullam vim habere. 8. Confeſſionem non eſſe neceſſariam. 9. Matrimonium eſſe illicitum. 10. Ab Eccleſia nihil eſſe poſſidendum, niſi in communi. 11. Reſurrectionem corporum negabant.

Paulianiſtæ à *Paulo* & *Joanne* ſic dicti, præter Manichæiſmum, quem profitebantur, contendebant, formam baptiſmi in his verbis conſiſtere: *Ego ſum aqua viva*: & Euchariſtiæ in his: *Accipite*, *manducate*, & *bibite*.

SÆCULO IX. & X.

Gotheſcalcus renovavit hæreſim prædeſtinianorum, docendo Deum ſine præviſione boni & mali aliquos abſolute prædeſtinaſſe, alios abſolute reprobaſſe, & conſequenter tenebat Chriſtum pro omnibus non fuiſſe mortuum, nec Deum velle omnium ſalutem.

Græci

Græci duce *Photio* Schisma fecerunt, seseque ab Ecclesia Romana diviserunt, & errorem de processione Spiritus S. à solo Patre spargere cœperunt: qui successu temporis in varias hæreses prolapsi sunt.

SÆCULO XI.

Sacramentarii Berengario Duce, qui docebat primùm Christi corpus non existere in Eucharistia nisi figurate: at cum postea hunc errorem revocasset, docuit substantiam panis remanere cum corpore Christi, additque solos adultos esse baptizandos.

Simoniaci, qui venditionem rerum sacrarum esse licitam prædicabant.

SÆCULO XII.

Petrobusiani à Petro *de Bruiis* Antuerpiensi docebant 1. Baptismum non esse parvulis necessarium. 2. Christum non esse in Eucharistia. 3. Preces pro mortuis esse inutiles.

Valdenses, seu *Pauperes de Lugduno* sic dicti à *Valdone* Lugdunensi, qui sua bona pauperibus errogaverat, omnia pene Ecclesiæ Romanæ dogmata rejiciebant. Hos damnavit Lucius Papa

Albigenses, qui tempore Innocentii III. non solum concionibus, sed etiam armis Ecclesiam diu vexaverunt, duo admittebant principia: animarum transmigrationem asserebant: resurrectionem corporum negabant: Baptismum & Eucharistiam rejiciebant, &c.

SÆCULO XIII.

Flagellantes docebant, non posse salvari eos, qui se non baptizarent in proprio sanquine per flagellationem extracto: flagel-

gellationem esse martyrio præstantiorem: Sacramenta, & cætera bona opera esse inutilia: purgatorium in altera vita non esse.

SÆCULO XIV.

Fraticelli auctore quodam *Hermano* docebant, 1. S. Pontificem in Ecclesia nullam auctoritatem habere. 2. Se solos constituere veram Christi Ecclesiam. 3. Se nullius obedientiæ subditos esse. 4. Copulam cum omnibus mulieribus exercebant, puerosque ex illis procreatos occidebant. Hos damnavit Bonifacius VIII.

Begardi & *Beguinæ*, qui auctore *Bogonato* monasticam vitam sine votis profitebantur, docebant 1. Hominem posse in hac vita fieri impeccabilem. 2. Hominem statum impeccabilitatis adeptum non amplius teneri ad jejunia, & orationem, & in gratia crescere non posse &c. Damnati sunt in Concil. Vienensi.

SÆCULO XV.

Wicleffitæ à Joanne Wicleff, cujus articuli 45. erronei damnati sunt à Concil. Constantiensi, in quibus inter alia multa asserebat 1. Substantiam panis & vini manere in Sacramento Altaris. 2. Deum debere obedire diabolo. 3. Homini contrito Confessionem exteriorem esse superfluam. 4. Bonorum temporalium possessionem esse Ecclesiasticis illicitam. 5. Religiosos non esse de Religione Christiana. 6. Omnes Religiosos mendicantes esse hæreticos. 7. Romanam Ecclesiam esse Synagogam Sathanæ. 8. Papam non esse Vicarium Christi, nec Petri successorem &c.

Hussitæ à Joanne *Huss* dicti, omnes fere Wicleffi errores propugnabant, quibus sequentes addebant 1. Ecclesiam solis prædestinatis constare. 2. Romanum Pontificem non esse caput Ecclesiæ Catholicæ. 3. Obedientiam Ecclesiasticam non esse

fun-

fundatam in Scriptura. 4. Nullum esse Dominum temporalem, nullum Prælatum, nullum Episcopum, dum sunt in peccato mortali &c. Damnati sunt in Concil. Constantiensi.

SÆCULO XVI.

Lutherani à Martino *Luthero*, qui primum in Indulgentias tanquam in sacrilegos abusus insurrexit: deinde Summorum Pontificum, Conciliorum, & Patrum auctoritatem impugnavit, Secramenta mutilavit, liberum arbitrium negavit, Sacrificia & preces pro mortuis rejecit &c.

Hæresis Lutherana in varias sectas dividitur, quarum præcipua est *Anabaptistarum*, qui ultra errores Lutheri docent, parvulos non esse baptizandos, & si baptizati fuerint, iterum esse baptizandos, dum ad annos discretionis pervenerint.

Syncretistæ, seu *Indifferentistæ* sibi persuadentium, quod in omnibus, vel saltem pluribus Religionibus obtineri possit salus æterna.

Syncretistæ, seu *Indifferentistæ* sunt duplicis generis, *laxiores* videlicet & *strictiores*. *Laxiores* sive *Libertini* sunt, qui aditum ad cælum nimis laxant dicendo, quemlibet in sua Secta vel Religione posse salvari, modo in unum Deum credat, eumque juxta suæ Religionis leges colat, sive dein Judæus, sive Turca, sive Christianus sit. *Strictiores* sunt, qui aditum salutis ad solos Christianos stringunt dicendo, quemlibet Christianum in sua Religione posse salutem consequi, si juxta ejusdem Religionis leges vivat, sive postea Catholicus, sive Lutheranus, sive Calvinista (quæ tres Religiones in Romano Imperio maxime vigent, & tolerantur) sive Zwinglianus, Anabaptista fuerit.

Syncretistæ strictiores in tres species subdividuntur. *Prima* est eorum, qui putant ad fidem salvificam sufficere, si quis Christianus in Deum unum, Trinitatem Personarum Divina-

 rum,

rum, & in Christum modo quodam confuso credat, ac simul ita honeste vivat, ut nihil opprobrii ei objici queat. Cæterum inquiunt, omne potest in suo statu relinqui, quipquid *Papa* vel *Lutherus*, aut *Calvinus* prætendit: nec erit necessarium in specie & explicite credere præcipua de Christo mysteria v. g. passionem, resurrectionem, duplicem naturam in una Persona hypostatice unitam &c. Et talium *Syncretistarum* species jam est exigua invenire. *Secunda* est illorum, qui docent, ad salutem requiri, & sufficere, si quis baptizatus credat præcipua Christianæ Religionis mysteria, seu præcipuos articulos tum de Christo, tum etiam Sss. Trinitate, quos articulos vocant *fundamentales*, *substantiales*, *essentiales*, & ad salutem *necessarios*: reliquos autem appellant *adiaphoros*, seu *accidentales*, & *arbitrarios*, quos scilicet quis pro árbitrio ac libitu suo, atque citra salutis periculum credere, vel non credere possit: imo quos quis salvo fidei fundamento non solum ignorare, sed etiam negare valeat: Et horum Syncretistarum magnus jam est numerus: quibus accenseri possunt *Pietistæ* circa annum 1686. exorti: qui tamen se *genuinos Lutheranos* vocant. *Tertia* est eorum, quos *Politicos* appellant, qui aliquid Christianæ fidei, Deum & Christum concernens admittunt, cum tamen nec *Lutheranis*, neque *Calvinistis* actu adhæreant, sed parati & in procinctu stent eam fidem ac Religionem acceptare, quæ iis utilissima erit, & fors magnificum matrimonium, pinquem hæreditatem, nobile officium &c. adferret.

Calvinistæ à Joanne *Calvino*, qui errores Lutheri refricavit ipsisque plures alios addidit circa prædestinationem, liberum arbitrium, justificationem, bona opera, & Missæ Sacrificium &c.

Sociniani à Fausto *Socino* & *Lælio Socino* ejus Nepote & discipulo, universam Theologiam corruperunt, imprimis de Sss. Trinitate, & justificatione hominis coram Deo, docentes 1. Christum esse purum hominem. 2. Non dari peccatum originale. 3. Nullam futuram corporum resurrectionem. 4. Euchari-

stiam

ſtiam eſſe meram Cæremoniam in commemorationem mortis Chriſti inſtitutam &c.

SÆCULO XVII.

Janſeniani, qui quinque famoſas propoſitiones ex libro Jànſenii extractas à SS. PP. Innocentio X. Alexandro VII. & Clemente IX. damnatas propugnant.

Quietiſtæ, qui Michaelis de Molinos prava dogmata ſequuntur: damnati ſunt ab Innocentio XI.

Deiſtæ, qui aſſerunt, Deum exiſtere credendum eſſe, & nihil aliud: qui ad rationis naturalis normam Chriſtianæ Religionis myſteria ita commenſurant, ut quidquid rationis captum ſuperat, rejiciant.

Quenelistæ à quodam *Quenello*, qui ſcripſit librum reflexionum moralium cum notis in novum teſtamentum, in quo continentur una ſupra centum propoſitiones damnatæ à Clemente XI. in Conſtit. *Unigenitus*, edita 8. ſeptemb. 1713. quæ propoſitiones renovant hæreſes Janſenii, Lutheri, Calvini &c. ita ut *Quenelisinus* participet cum multis præcedentibus ſæculorum hæreſibus.

Pro Complemento quæres 1. Unde iſtud Prædicatum, *Proteſtantes*? ℞. Inde: cum anno 1529. in Comitiis Spirenſibus cautum fuiſſet, ut uſque poſt bellum contra Turcas in Ungariam irruentes decretum (ad quod à Principibus, & ſtatibus Imperii auxilia quoque poſcebantur) & uſque ad futuri Concilii Generalis definitionem nihil in Religionis negotio mutaretur, contra id ſex Principes, qui Luthero adhærebant, proteſtati ſunt. Unde prædicatum hoc *Proteſtantium* ſpectata ejus origine ſolis *Lutheranis* eſt proprium. Id tamen ſolet communiter jam etiam tribui *Calviniſtis*.

Quæres 2. Quo jure Lutherani ſe nuncupent *Evangelicos*? ℞. quod nullo: nam 1. ſunt Eccleſiæ ejusque capiti rebelles: quid

quid autem de his dicit Evangelium? hoc: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus*, Matth. c. 18. v. 17. 2. quia bonis operibus denegant mercedem, quam tamen iis Evangelium Matth. 10. v. 41. & alibi tribuit. &c. Solent se etiam appellare *Confessionistas* ab Augustana Confessione.

Quæres 3. Quo jure *Calvinistæ* se vocitent *Reformatos*? ℞. quod etiam nullo: nam Ecclesia Romano-Catholica, utpote quæ nunquam in ullo fidei articulo potest deficere, aut in errorem labi, non est reformabilis &c.

Quæres 4. Quinam dicantur *Athei*? ℞. Illi impii, qui Deum esse negant: tales Psalmista Psal. 13. v. 1. proclamat insipientes.

Quæres 5. Quinam vocentur *Pagani*? ℞. Illi, qui Christi fidem nec in figura (in quo a Judæis differunt) nec in re admittunt. Quales etiam sunt Machumetani, quia etiam non credunt in Christum tanquam in Redemptorem.



PARS



PARS PRIMA
DE
SCRIPTURA SACRA
QUÆSTIO PRIMA
DE
Essentia & Existentia S. Scripturæ.



Notandum 1. Juxta Catholicos quatuor esse fidei Catholicæ Regulas, duas inanimatas, videlicet *Scripturam* & *traditionem*: & duas animatas, videlicet *Ecclesiam*, & *Concilium Generale*: quibus si cum plerisque addatur *sedes Apostolica*, animatæ regulæ adnumerabitur. In præsenti parte Solum agemus de prima Fidei Catholicæ Regula, nempe Sacra Scriptura.

Notandum 2. Scripturam Divinam variis insigniri nominibus 1. Appellatur *Scriptura*, & hoc per excellentiam quamdam, vel quia Sola digna est, ut legatur, & scribatur: vel quia Sola Spiritu Dei conscripta est. Dicitur *Sacra*: & hoc vel ab Authore velut causa efficiente: primarius enim Sacrorum librorum Author est Deus ipse, cujus instrumenta fuere homines, quo-

rum manu & opera principalis Divina causa uti dignata est, ut essent velut Amanuenses Spiritus S. juxta illud 2. Petri. cap. 1. v. 21. *Non enim voluntate humana allata est aliquando Prophetia, sed Spiritu S. inspirati locuti sunt Dei homines.* Dicitur *Sacra* ex fine, qui est vel ultimatus, & est Dei gloria & salus nostra: vel non ultimatus seu propinquus, & est major Dei cognitio & Amor: *Hæc Scripta sunt, ut credatis, quia JEsus est Christus Filius Dei, ut credentes vitam habeatis in Nomine Ejus.* Joan. cap. 20. v. 31. Dicitur *Sacra* ex materia, quia aliud non tractat Argumentum, etiam dum peccata & errores hominum recenset, quam declinare à malo, & facere bonum: nam ut habetur 2. ad Timoth. c. 3. v. 16. & 17. *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus:* priora duo, nempe *docere* & *arguere* ad dogmata spectant, cum & vera doceantur, & falsa redarguantur: posteriora vero, videlicet *corripere* & *erudire* ad mores pertinent, ut pravi corrigantur, boni autem & recti amplius proficiant. In Sacra ergo Scriptura Deus suæ voluntatis beneplacita manifestat, normam vitæ præscribit, fundamenta Religionis stabilit; denique in compendio docet nos recte credere, bene vivere, beate mori. Dicitur Sacra ex *forma*, quia stylus est Sanctus, & phrasis Scripturæ gravissima: audiatur S. P. August. lib. 4. de doct. Christ. c. 8. ita loquens: *Ita est & quædam* (eloquentia) *quæ viros summa Authoritate dignissimos, planeque Divinos decet; hac ipsi locuti sunt, nec ipsos decet alia, nec alios ipsa.* Sicut ergo in Sacrificiis non solum *Hostia*, sed etiam *Ara, vasa, manus* ipsæ Sacerdotum, & *Vestes*, in quibus offerebatur, Sacra erant, sic non solum Dei Verbum quod Scriptum est, sed & reliqua, quæ ad illud pertinent, sacra vocantur.

Appellatur 2. *Sacra Pagina*, in qua Dei Verbum Scriptum est: *Sacræ Litteræ*, quibus exaratum est: *Sacrum Volumen*, priscis enim temporibus Codices Sacri non ligabantur per folia, sed

papy-

papyrus, aut membrana instar voluminis convolvebatur, prout vidit Zacharias c. 5. v. 5.

Appellatur 3. Scriptura Sacra βιβλίον, hoc est *liber* per excellentiam nempe, quia hujus intuitu nullus in orbe liber cum hoc comparabilis est: sicut enim Author hujus libri, utpote Deus ipse, omnium aliorum librorum Authores dignitate superat, ita & ipse hic *Liber* omnibus aliis literariis monumentis excellentior est, Antonomastice autem *Biblia* plurali numero Sacra Scriptura dicitur, quod nimirum in se locupletissimam sapientiæ cœlestis contineat *Bibliothecam*, de qua S. Chrysostomus Hom. 9. in Epist. ad Coloss. *Comparate vobis Biblia, medicamenta animorum.*

Appellatur 4. Divinæ Sapientiæ *Instrumentum*, quod generaliter significat omne Organum, sive adminiculum, quo artifex ad opus suum perficiendum utitur. Est ergo verbum hoc divinum in Sacris paginis consignatum *Organum*, & quasi manuale Dei instrumentum ad omnia justitiæ opera accomodatum, per quod in nobis Deus insculpsit imaginem Filii sui. Porro *instrumenta* vocantur etiam Scripturæ illæ, quæ fiunt ad fidem publicam à Notariis publicis, probatisque testibus consignata ad majorem pactorum & contractuum firmitatem ac robur; Scripturæ autem Sacræ continent Divinas promissiones, quas Prophetæ, Evangelistæ, & Apostoli velut testes & Notarii publici Divina authoritate confirmarunt.

Appellatur 5. *Testamentum* Dei, quia in illa continetur ultima voluntas Legislatoris æterni, quam adimpletam vult ab eo, qui hæreditatis æternæ cupit esse possessor.

Appellatur 6. *Verbum Dei Scriptum*, quia S. Scriptura tanquam certissimo oraculo à Deo alloquimur, instruimur, certificamur.

Notandum 3. Cum S. Paginæ ut plurimum *Scriptura* nuncupentur, eo quia Sola Spiritu Dei conscripta, & transcripta

eſt à Creatore ad Creaturam, duobus præcipuè modis, nempè *via naturæ, & via Prophetiæ.* Via naturæ ſcripſit Creator Creaturæ, in quantum ipſi largitus eſt lumen rationis, quo mediante in magnis Cœlorum tabulis, in paginis elementorum, in voluminibus temporum, & Creaturarum omnium *inviſibilia ipſius à Creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.* Rom. c. 1. v. 20. Via prophetiæ ſcripſit Creator creaturæ per prophetas & alios Scriptores ſacros in antiquo teſtamento: per Apoſtolos & Evangeliſtas in novo teſtamento.

Notandum 4. Deum rexiſſe humanam rempublicam in prima mundi ætate ab orbe condito uſque ad finem diluvii per vivæ vocis oracula: qua ætate viguit Sola lex naturalis; à diluvio vero ſucceſſit altera mundi ætas uſque ad egreſſum populi Iſrael ex Ægypto, quo tempore ultra legem naturalem adjecit Deus non pauca ſingularia præcepta pro Abrahamo & poſteris ejus, v. g. præceptum Circumciſionis &c. ut hoc charactere diſcerneret electum populum à reliquo numero, ſed adhuc viva voce, & necdum per Scripturam; tandem in tertia mundi ætate, quæ incæpit cum Moyſe, voluit legem ſuam, & Divinas promiſſiones Scripto authentico roborare tum per tabulas legis datas in Monte Sinai, tum per Pentatevchum dictante Spiritu Sancto conſcriptum à Moyſe, tum ſucceſſive per plures Prophetas. His prænotatis.

Dico 1. S. Scriptura optime definitur, quod ſit Verbum Dei, nobis à Deo revelatum, manifeſtatum per Eccleſiam, ac literis exaratum. Explicatur hæc definitio. Dicitur 1. *Verbum Dei*: quod teſtatur D. Paulus Epiſt. 1. ad Theſſal. c. 2. v. 13. his verbis: *Gratias agimus Deo ſine intermiſſione, quoniam cum accepiſſetis à nobis Verbum auditus Dei, accepiſtis illud non* UT VERBUM HOMINUM, SED SICUT EST VERE VERBUM DEI, *qui operatur in nobis, qui crediſiſtis.* Item Epiſt. 2. ad Timoth. c. 3. v. 16. *Omnis Scriptura Divinitus inſpirata utilis eſt ad docen-*

docendum &c. Teſtatur & id S. Petrus in Epiſt. 2. c. 1. v. 20. & 21. his verbis: *Hoc primum intelligentes, quod omnis Prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata eſt aliquando prophetia, ſed Spiritu Sancto inſpirati locuti ſunt Sancti Dei homines.* Una autem eademque eſt ratio de aliis Scripturis Divinis, quæ eſt de prophetiis: ergo. Confirmat id ipſum S. P. Auguſt. Concio. 2. in Pſalm. 90. his verbis: *De illa Civitate, unde peregrinamur, hæ literæ nobis venerunt. Ipſæ ſunt Scripturæ, quæ nos hortantur, ut bene vivamus.* Confirmat & id S. Gregorius M. L. 4. Epiſt. 84. ad Theodor. inquiens: *Quid eſt enim S. Scriptura, niſi quædam Epiſtola Omnipotentis Dei ad ſuam creaturam.* Dicitur 2. *Manifeſtatum per Eccleſiam:* quia Eccleſiæ, ſeu ſummi Pontificis ex Cathedra loquentis requiritur auctoritas, ut nobis certo conſtet librum aliquem eſſe verè Scripturam Sacram, etſi hæc auctoritas non requiratur, ut Liber ille *quoad ſe* ſit Scriptura Sacra.

Dico 2. Datur Scriptura Sacra. Hæc Concluſio non quidem convincenti, ſed congrua ratione Probatur: Agnoſcendus eſt aliquis ſupremus rerum omnium Dominus: ergo etiam agnoſcenda eſt aliqua Scriptura Divina. ant. eſt certum, nam quamvis multi practicè inſipienter dicant: *Non eſt Deus:* theoricè tamen & ſpeculative Deum admittunt, cum omnibus hominibus ad rationis uſum pervenientibus innata ſit idæa, & ingenita notio Dei, ut & ipſi gentiles Philoſophi agnoverunt. conſeq. autem prob. Supremus rerum Dominus, utpote Auctor naturæ & gratiæ ab omnibus eſt colendus: homo autem de ſe minime Scire poteſt, quo modo Deus velit ab ipſo coli: ergo debuit Deus mediantibus Prophetis, Apoſtolis, aut aliis ab eo ſpecialiter selectis ſigno quodam certo manifeſtare, atque poſteris omnibus transmittere (præcipue cum jam non ut olim per ſe ipſum hominibus loquatur) ritum, quo colendus ſit, atque leges & præcepta dictare, quorum adimple-

tione honorandus sit: hæc vero omnia continet Scriptura S. Ergo.

Objectiones contra 1. Conclus. sunt sequentes.

I. TRadita definitio convenit omnibus aliis Scripturis v. g. S. P. Augustini, D. Thomæ &c. Ergo. ant. prob. Deus juxta sententiam D. Th. est omnium actionum, adeoque & Scripturarum Auctor, quia Deus non solum prædeterminat ad substantiam actionis, sed etiam ad omnem modum illius actionis: ergo.

II. Deus est etiam specialis Auctor Canonum, Definitionum, & Decisionum Ecclesiæ: ergo Deus non est specialis Auctor solius Sanctæ Scripturæ. ant. prob. Ex VI. Synodo, ubi de Epistola Leonis Magni act. 11. dicitur: *A Deo fuit inspirata.* Item ex VII. Synodo, ubi act. 3. de Conciliorum œcumenicorum Canonibus, & Definitionibus dicitur: *Rectis, & à Deo inspiratis Dogmatibus sunt conspicua.* Item Regula S. Francisci dicitur divinitus inspirata: ergo.

III. Potest dari Verbum Dei Scriptum, quod non sit S. Scriptura: ergo. ant. prob. Si Christus, dum erat in terris, mandante vel rogante Matre scripsisset aliquam epistolam, illa continuisset Verbum Dei: atqui illa epistola non fuisset S. Scriptura: ergo.

IV. In S. Scriptura variæ reperiuntur contradictiones, & vitia grammaticalia: atqui hæc Verbum Dei non patitur: ergo.

V. Verbum Dei nequit esse Verbum mendax: atqui Scriptura continet plura mendacia: ergo nequit esse verbum Dei. min. prob. I. Gen. c. 22. Abraham refertur dixisse ad servos: *Expectate hic, ego & puer postquam adoravemus, revertemur ad vos:* per quæ verba tamen mentitus fuit, cum secundum voluntatem Dei eidem manifestatam intenderit filium suum immolare. 2. Isa. 18. v. 1. ægrotanti Ezechiæ Regi Deus per os Prophetæ dixit: *Morieris tu, & non vives:* quia tamen Ezechias demum convaluit, videtur

detur non tantum Scriptura, ſed ipſe Deus fuiſſe mentitus. 3. Reg. lib. 3. c. 22. Propheta Michæas dicit: *Ecce dedit Dominus Spiritum mendacii in ore omnium Prophetarum ejus, qui hic ſunt, & Dominus locutus eſt contra te malum*: Si itaque Prophetæ mentiti ſunt, facile etiam in Scriptura reperiri poterit mendacium: ergo.

VI. Si in S. Scriptura contineretur Verbum Dei, deberet in illa eſſe conſenſio: Sed non eſt: ergo. min. prob. Doctrina novi teſtamenti ſæpe opponitur doctrinæ veteris teſtamenti: ergo. ant. prob. 1. Gen. c. 1. dicitur: quod Deus *creaverit cælum & terram.* Et Joan. 2. dicitur: quod *mundus per ipſum* (id eſt per Chriſtum) *factus eſt.* ergo. 2. Gen. c. 2. dicitur: *quod compleverit Deus die ſeptimo opus ſuum, quod fecerat, & requieverit die ſeptimo ab univerſo opere, quod patrarat.* Et Joan. c. 5. ſic loquitur Chriſtus: *Pater meus uſque modo operatur, & ego operor:* ergo. 3. Gen. 1. dicitur: *hominem formatum eſſe ad imaginem & ſimilitudinem Dei.* Et Joan. 8. Chriſtus dixit Phariſæis: *Vos ex patre diabolo eſtis:* ergo. 4. Vetus teſtamentum terrena ſolum & temporanea præmia, ac beneficia viris juſtis proponit: & novum teſtamentum ſpiritualia, cœleſtia, & æterna bona promittit: ergo. 5. In veteri teſtamento multa ſunt præcepta v. g. circumciſio, ſabbathi obſervatio, quæ tamen à Chriſtianis obſervari in novo teſtamento diſtricte prohibentur: ergo.

VII. In S. Scriptura multa ſunt, quæ incredibilia apparent: ergo non eſt Verbum Dei. ant. prob. In Geneſi refertur, quod Deus impoſuerit Adamo præceptum de non edendo pomo, & eo violato grandi pæna non modo in Adam, ſed in totam poſteritatem ejus animadverterit. Item Serpentem cum Eva fuiſſe locutum, eam decepiſſe, & demum ſerpentem fuiſſe à Deo punitum, ut terram comederet, & ſuper pectus ſuum graderetur, quaſi vero ante Adæ peccatum ſerpens fuiſſet pedibus inſtructus, & poſtea in pœnam iiſdem mutilatus: ſed hæc omnia incredibilia apparent, uti & alia inibi contenta, qualia ſunt:

lignum utpote rem corpoream arcanam quamdam vim habuisse ad spiritualem effectum producendum, qualis est Scientia boni & mali. Item ad formationem Evæ costam fuisse Adæ subtractam, quia alias corpus Adæ mansisset imperfectum. Denique de existentia paradysi, quia omnes viatores, qui illas regiones, quas Tygris & Ephrates alluunt, frequentarunt, nullum hujus paradysi vestigium offenderunt: ergo.

VIII. Si S. Scriptura esset Verbum Dei, deberet nonnisi digna sanctitate divina referre: sed non refert: ergo. min. prob. In S. Scriptura referuntur multa vitia, & passiones Patriarcharum, & Prophetarum: sic 1. refertur, quod Noe bibens vinum sit inebriatus. 2. Quod Abraham non contentus cum sua conjuge Sara cum Agar ancilla sua impudice versatus sit: nec coram duobus Regibus Abimelecho & Pharaone mentiri eruбuerit dicens, Saram esse suam sororem, quæ tamen uxor erat. 3. Quod Loth inebriatus vino cum duabus filiabus suis commixtus sit. 4. Quod Jacob, ut libidini suæ indulgeret, non solum Liam & Rachelem duas germanas sorores sibi matrimonio copulaverit, sed etiam earum famulas in uxores duxerit. 5. Quod Judas Patriarcha cum nuru sua Thamar commixtus sit; quod David adulterium & homicidium comiserit. Salomon trecentas concubinas, & septingentas uxores habuerit. Quod Propheta Osee de muliere fornicaria filios procreaverit. Quod denique Moyses crudelia bella gesserit, & Auctor Hebræis fuerit, ut vasa aurea & argentea Ægyptiis diriperent: ergo.

SOLUTIONES.

AD I. dist. ant. Deus est omnium actionum Author universalis, conc. ant. particularis, neg. ant. Deus ergo omnium nostrarum actionum est Author universalis, in quantum ut causa prima & universalis præmovet, & concurrit.

S. ve-

S. vero Scripturæ eſt Author ſpecialis, in quantum ſpeciali modo Scriptoris miniſterio utendo & inſpirando concurrit.

Ad II. diſt. ant. Deus eſt ſpecialis Author Canonum &c. eo modo quo S. Scripturæ, neg. Alio modo conc. ant. Verum quidem eſt, quod Deus dici poſſit ſpecialis Auctor deciſionum Eccleſiæ, in quantum Spiritus S. ſpecialiter aſſiſtit Pontifici & Eccleſiæ Patribus, ne in ſuis deciſionibus errent, attamen relinquit illorum voluntati & electioni verba, quibus punctum illud fidei proponant. Et idem eſt de Epiſtola Leonis Magni, & Regula S. Franciſci, ſuppoſito quod illa ſint à Deo inſpirata: Sacræ autem Scripturæ Deus ita eſt ſpecialis Author, ut Scriptori Sacro etiam omnia & ſingula verba dictet, & ſic S. Scriptura proprie & rigoroſe eſt Verbum Dei. Præterea, quando Concilia, vel Pontifices aliquid fide Divina credendum definiunt, non proponunt nobis Verbum Dei novum, ſed tantum declarant illud, quod revera erat Verbum Dei, ſed confuſe tantum & nobis minime clarum, à parte rei in Verbo Dei ſcripto, vel tradito fuiſſe contentum, in quo ne errent, Spiritus S. eis aſſiſtit, non tamen Deus illis inſpirat Verbum proprie ut ſuum.

Ad III. diſt. maj. illa continuiſſet Verbum Dei proprie, neg. maj. improprie conc. maj. Illa enim Epiſtola non continuiſſet Verbum, quod Deus proprie ſcripſiſſet ut ſuum, ſed tantum ut Matris ſuæ Verbum, ſeu mandantum: de ratione namque Verbi Dei eſt, quod procedat ab eo tanquam à dicente, & ad illum dicat relationem originis: verba vero hujus Epiſtolæ non dicerent relationem originis ad Chriſtum ut Deum, ſed ad Matrem ejus ut mandantem, ſeu conſulentem, & ad Chriſtum ut hominem obedientem, & Filium Matri ſuæ ſubjectum ratione humanæ ſolum naturæ, & conſequenter non exprimeret conceptum Divinum, ſed humanum.

Ad IV. dist. maj. reperiuntur variæ contradictiones, & vitia grammaticalia in S. Scriptura ut à Deo dictata, neg. maj. ut illam de facto habemus, transeat maj. In præsenti præscindimus de textu Hebræo, Græco, & Vulgata nostra, & inferius de eo specialiter agemus.

Ad V. neg. min. ad 1. prob. dico cum S. Ambrosio lib. 1. de Abrah. c. 8. Abrahamum prophetasse, adeoque verum dixisse: *Ipse solus disponebat redire immolato filio, sed Dominus per os ejus locutus est.* Accedit, si etiam ultronee concedatur Abraham fuisse mentitum, quis prudenter inferet, ergo S. Scriptura mentitur? nam historice quiscunque referens mendacium, nunquam ipse contra mentem loquitur, quod est mentiri. Ad 2. prob. cum. S. Th. 2. 2. q. 174. a. 1. dico, hanc Prophetiam fuisse Prophetiam comminationis, non vero præscientiæ, aut prædestinationis. Videatur etiam S. Th. 2. 2. cit. q. 171. a. 6. ad 2. ad 3. prob. Explico textum sub dist. Deus dedit spiritum mendacii in ore omnium Prophetarum, & ad hoc permissive se habendo, conc. & hoc jubendo vel ad hoc malum efficaciter movendo, neg. Verbum enim imperandi non semper præceptum, aut Consilium, sed aliquando etiam permissionem significat, ut patet ex illo Joan. 13. *quod facis, fac citius.*

Ad VI. Conc. maj. neg. min. ad prob. Dico, quod dum dicitur Gen. c. 1. *In principio creavit Deus cœlum & terram* per lii *Deus* intelligatur tota Sancta Trinitas, ac proinde Christus ut Deus est: quod vero tota Trinitas intelligatur, eruitur ex textu Hebræo, ubi legitur: *Berescit, Bara Elochim* quæ phrasis conformiter ad illam dictionem Hebraicam *Elochim* sic latine reddi deberet, in principio creavit Dy, *Elochim* enim apud Hebræos nomen plurale est, cum igitur Moyses hoc nomen plurale *Elochim* conjungat cum verbo singulari *creavit*, significare voluit totam Ss. Trinitatem ad creationem mundi indivisibili operatione concurrisse. Ad 2. prob. dico: locum Geneseos solum velle, quod

Deus

Deus ab instituendis rerum naturis post earum rerum perfectionem cessaverit, non autem quod in illis administrandis, videlicet gubernando, illuminando, animas creando, conservando cessaverit, & non operetur, de qua operatione sunt intelligenda apud Joan. verba Christi. Ad 3. prob. ajo: Pharisæos fuisse quidem natura filios Dei, factos ad illius imaginem & similitudinem: ast doctrina & imitatione fuisse filios diaboli. Ad 4. prob. dico: legem veterem fuisse quidem divinam ut legem novam, cum hoc tamen discrimine, quod lex vetus comparate ad legem novam fuerit infirma ac imperfecta; caduca autem tantum promisit bona, quia ut S. P. Aug. epist. 19. ait: talis promissio temporibus & personis congruebat, siquidem Judæi ut plurimum carnales terrenis bonis inhiantes à peccato non tam amore justitiæ, sed formidine pænæ amittendi bona temporalia à peccato abstinuerunt. Ad 5. prob. dico: præcepta data in veteri lege de circumcisione, & sabbathi observatione, & alia cæremonialia fuisse quidem divina, eorum tamen nullum in lege Evangelica prohibitum esse: sed cum tanquam figuræ ordinata sint ad Christum verum Messiam, qui in se omnes figuras adimplevit, ipso præsente tanquam Figurato eadem evanuisse.

Ad VII. neg. ant. Omnia namque in argumento adducta non sunt incredibilia. 1. Non præceptum de non edendo pomo, quia Deus illud Adamo jure supremi Dominii imponere potuit, nec refert præceptum fuisse circa objectum leve, & pænam violationi annexam fuisse grandem: quia Deus jure sui supremi dominii etiam circa rem levem obedientiam exigere potuit. 2. Neque serpentis cum Eva Colloquium incredibile est, quia non serpens per se ipsum, sed diabolus per serpentem Evam allocutus est, sicut olim per idola fundebat oracula. Neque 3. incredibilis est pæna serpenti inflicta, quia per eam non intelligitur pedibus serpentem privatum esse utpote nunquam

iisdem instructum, sed Deum ad puniendum serpentem solum fecisse, ut ea, quæ antehac serpenti erant naturalia, in pænam & probrum ipsi post peccatum hominis verterentur. Neque alia ex Genesi adducta creditu sunt difficilia. Nam lignum vetitum appellatum *lignum Scientiæ boni & mali* non est tale dictum, quasi vim quandam naturaliter sibi congenitam habuisset producendi bonum & malum, sed est tale dictum solum ab eventu, nempe quia primi parentes nostri ex degustato vetito fructu funesta experientia didicerunt, quam grave malum esset Deo non obedire, non quidem quod antehac nescirent malum esse Deo non obedire, sed quia sua experientia edocti manifestius intellexerunt, quam nefandum crimen perpetrassent. Neque incredibile est, quod Deus ex costa Adæ Evam formaverit: non enim per subtractionem hujus Costæ Adamus mansit imperfectus, quia ut D. Th. 1. p. q. 92. a. 3. docet, hæc costa fuit superflua Adamo, quatenus Adamus singularis persona erat, nec ad ejus corporis integritatem ac perfectionem pertinuit, licet necessaria fuerit, quatenus juxta Dei Decretum Adamus destinatus erat parens omnium hominum, seu principium totius generis humani. Neque incredibilia sunt, quæ de Paradyso voluptatis referuntur, licet enim hic à nullo viatore hactenus detectus sit, inferri nequit illum nunquam extitisse, sed solum universali diluvio deletum esse.

Ad VIII. dico, quod dum peccata referuntur, non referantur approbative, sed exprobrative, quod sanctitatem potius commendat. Ad adducta. ℞. quod gesta memoratorum Patriarcharum ab omni culpa excusari possint: 1. Juxta S. Cyrillum, Ambrosium & alios non censetur peccasse Noe, quia hæc inebriatio improvisa fuit, & ab imperitia, non ab intemperantia profecta, cum Noe vim vini nunquam ante dignoverit. 2. Nec peccarunt Abraham, Isaac, & Jacob, aliique Patriarchæ plures uxores habentes, quia licet juremerito culpe-

tur-

tur Lamechus, qui ante diluvium plures duxerat uxores, cepitque violare legem Monogamiæ latam Gen. c. 4. his verbis: *relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una:* non peccarunt tamen Patriarchæ post diluvium ducentes plures uxores, quia post diluvium Polygamia speciali Dei dispensatione concessa, eisque dispensatio hæc ad multiplicandum genus humanum inspirata fuit. Nec obstat, quod Scriptura mulieres illas concubinas nominet, nam Scriptura S. etiam veras & legitimas uxores aliquando concubinas, & quandoque concubinas uxores vocat. Sic Gen. 16. Agar appellatur uxor Abraham. Et c. 25. Cethura etiam uxor Abrahami dicitur, & paulo tam ipsa quam Agar Concubinæ dicuntur: pariter Judic. 19. unica cujusdam legitima uxor nunc concubina, nunc uxor vocatur. Nec 3. peccavit Oseas, quia ille non fornicarie commixtus est meretrici, sed illam, quæ meretrix erat, jubente Deo in uxorem duxerat, & ex ea ad meliorem frugem conversa filios procreavit. Denique nec 4. peccavit Moyses bella gerendo, quia ille bella hæc non domandi libidine, nec ulciscendi crudelitate, sed Deo jubente suscepit, qui etiam ut supremus rerum omnium Dominus Hebræis ab Ægyptiis improbis laboribus vexatis in bona Ægyptiorum dominium tribuit.

Objectiones Contra 2. Conclus. sunt sequentes.

I. POtuit Deus omnia hominibus necessaria ad salutem sine Scriptura per inspirationem internam revelare: ergo.

II. Joan. 2. v. 27. dicitur: *Non necesse habetis, ut aliquis doceat vos, sed unctio ejus*, scilicet Spiritus S. interius inspirantis, *docet vos de omnibus:* ergo.

III. Usque ad Moysen non fuit necessaria Scriptura S. similiter ab initio prædicationis Christi usque ad novi testamenti scriptionem præcepta Evangelica sine Scriptura conservata sunt: ergo & conservari postea poterant.

IV. S. Scripturam perpetuæ possunt supplere traditiones, uti suppleverunt in lege naturæ usque ad Moysem, & modo in lege scripta multa supplent: ergo:

V. In S. Scriptura gravissimæ occurrunt difficultates, & antilogiæ: ergo.

VI. Si extaret Scriptura S. esset ei deferenda fides: sed non est: ergo. min. prob. Scriptura hæc favet locum spiritui contradictionis: ergo. ant. prob. 1. Gen. 5. c. v. 25. dicitur: Mathusalem vixisse annis 187. dum genuit Lamech, illoque genito adhuc annis 782. universim 969. vixisse annis, sicque interfuisse in Arca Noe, sed hujus non facit commemorationem Scriptura, dum octo solum enumerat animas fuisse in illa Arca, nempe *Noe*, *Sem*, *Cham* & *Japhet*, quorum quilibet suam uxorem habuit, ut legitur Gen. c. 6. ergo. 2. Gen. 46. c. v. 26. legitur, quod ex domo Jacob 66. animæ ingressæ sint in Ægyptum, & v. 27. habetur: *Omnes animæ domus Jacob, quæ ingressæ sunt in Ægyptum, fuere septuaginta.* Et act. c. 7. v. 14. numerantur 75. animæ: ergo. 3. S. Lucas actor. 8. narrat Jacobum & Patriarchas translatos fuisse in Sichem, ubi tamen Josephus 2. Antiquit. L. c. 8. affirmat Fratres Josephi conditos esse in Hebron. Denuo ait. S. Lucas translatos esse in Sichem in sepulchrum emptum ab Abraham: sed hoc fuit situm in Hebron, & non Sichem, uti legitur Gen. c. 23. ergo.

VII. Textus scripturistici in multis inter se pugnant: ergo S. Scripturæ non est deferenda fides: ergo non extat. ant. prob. 1. Matth. 26. c. v. 29. fertur Christum dixisse: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis usque in diem illum cum bibam vobiscum novum in regno Patris mei.* Et Petrus de se & aliis actor c. 10. v. 41. ait: *Manducavimus, & bibimus cum illo, postquam resurrexit à mortuis:* ergo. 2. Simeon Luc. c. 2. v. 34. de Christo dicit: *Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum.* Et c. 9. v. 56. legitur: *Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare:*

vare: ergo. 3. Christus apud Joannem ait c. 5. v. 31. *Si ego testimonium perbibeo de me ipso, testimonium meum non est verum.* Et ibid. c. 8. v. 14. inquit. *Si ego testimonium perbibeo de me ipso, verum est testimonium meum:* ergo. 4. S. Lucas act. c. 1. v. 1. scribit: *Primum sermonem feci de omnibus ó Theophile, quæ cæpit Jesus facere, & docere.* Econtra S. Joan. c. ult. ait: *sunt & alia multa quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt libri.* Ergo: si enim libri de Christi gestis scribendi capax non sit mundus eos capiendi: quomodo solus S. Lucas fuit sufficiens ad conscribenda omnia ejus gesta? 5. Apostoli invicem congregati Act. c. 15. v. 28. definiverunt sic: *Visum est spiritui S. & nobis, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum:* sed tum Spiritui S. tum Apostolis videtur contradicere S. Paulus 1. ad Timoth. c. 4. v. 3. inquiens: *In novissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis Dæmoniorum, in hyprocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium suam conscientiam, prohibentium nubere, abstinere à cibis, quos Deus creavit:* ergo. 6. Gen. 1. legitur, mundum à Deo creatum fuisse sex dierum spatio: & Eccles. 18. Scriptum est: *qui vivit in æternum, creavit omnia simul:* ergo. 7. Gen. 1. dicitur, lucem creatam fuisse prima die, sed hæc tanquam solis proprietas debuit creari cum sole, qui die 4. primò creatus est: ergo. 8 Gen. 4. De Enoch legitur: *Iste cæpit invocare nomen Domini:* Et ibidem dicitur à Cain & Abel jam fuisse oblata sacrificia, adeoque fuisse invocatum nomen Domini: ergo. 9. Patriarcha Jacob Gen. 32. v. 30. gloriatur: *Vidi Dominum facie ad faciem, & salva facta est anima mea.* Econtra Exod. c. 33. v. 20. Deus ait: *Non videbit me homo, & vivet;* ergo. 10. Deus Exod. c. 20. v. 5. dicit se visitaturum iniquitatem patrum usque ad tertiam generationem. Econtra Ezechiel. c, 18. legitur: Filius non portabit iniquitatem patris: ergo. 11. Joachim 2. Reg. c. 14. legitur: Filius fuisse octodecim annorum, cum regnare cæpisset. Econtra 2. Paralipom.

c. 36. dicit eum Scriptura fuiſſe tantum hominem octo annorum: ergo. 12. lib. 3. Reg. c. 8. narratur, quod in Arca fœderis nil aliud fuerit præter tabulas teſtamenti. Econtra ad Hebr. 9. Paulus dicit in Arca contineri præter tabulas manna & Virgam Aaron, quæ floruerat: 13. De Ochozia legitur 2. Paralip. v. 2. quod fuerit homo 42. annorum, cum regnare cæpiſſet: & 2. Reg. c. 8. v. 26. Scriptum eſt, eum fuiſſe tunc ſolum 22. annorum hominem: ergo: 14. S. Matthæus hanc ſententiam: *Percutiam Paſtorem, & diſpergentur oves gregis:* applicat Chriſto ut prænunciato à Zacharia: ſed Zacharias hoc loquitur de Pſevdo-Propheta ſceleratiſſimo, unde etiam non dicit, *percutiam*, ſed *percutite*: ergo: 15. S. Paulus ad Rom. c. 3. dicit nos juſtificari per fidem ſine operibus: econtra Jacob. c. 2. legitur: nos juſtificari per opera: ergo:

VIII. Si extaret Scriptura S. ſic haberet Auctorem Deum: ſed multa ſunt in Scriptura à ſolo homine: ergo. min. prob. 1. S. Paulus 2. Corinth. c. 7. v. 12. dicit: *Ego dico, non Dominus.* Item c. 11. *Quod loquor, non loquor ſecundum Deum, ſed quaſi in inſipientia:* ergo. 2. S. Paulus epiſt. 2. ad Timoth. c. 4. ſcribit: *Lucas eſt mecum ſolus - - - Tychicum autem miſi Epheſum, Penulam, quam reliqui Troades apud Carpum: veniens affer tecum & libros, maxime autem membranas:* ſed hæc ſunt mere naturalia: ergo. Item 1. ad Corinth. c. 7. ait: *Cæteris ego dico, non Dominus: ſi quis frater habet uxorem infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat illam:* ergo.

SOLUTIONES.

Ad I. diſt. ant. Potuit Deus de potentia abſoluta Conc. ant. de potentia ordinaria, neg. ant. Verum eſt, quod Deus de ſua abſoluta potentia potuiſſet per ſe ipſum cuilibet ſuam voluntatem intimare: quia vero connaturalius Creaturæ ſenſibiles percipiunt intimanda miniſterio ſenſũum: & cum regula,

quæ

quæ nos ducit ad finem nostræ salutis, debeat esse certa, & ab erroribus immunis: Deus juxta suavem suam providentiam se creaturis accomodavit, suam voluntatem scriptura manifestando. Præterea quis discerneret inspirationem, sitne à Deo, an à spiritu mendace? in Angelum enim lucis Diabolus se sæpe transformat.

Ad II. S. Joannem ibi non impugnare S. Scripturæ existentiam, cum & ipsa Epistola, quam scribit, sit S. Scriptura, sed hortatur fideles, ut permaneant in doctrina à SS. Apostolis accepta, & fugiant novos Pseudo-Apostolos contraria docentes: v. enim 24. dicit, *quod audistis ab initio, in vobis permaneat.* Et v. 26. *Hæc scripsi vobis de his, qui seducunt vos:* & tunc subjungit: *non necesse habetis* &c. ubi seductores tantum excludit, non vero scripturam ut superfluam rejicit.

Ad III. Scripturam *absolute* non fuisse necessariam, fuisse tamen necessariam ad *melius esse*, ut videlicet salus citius, certius, & commodius obtineretur: & ideo salus facilior fuit tempore legis scriptæ quam naturæ, & tempore novæ legis, in quo lex nova non solum jubet, sed etiam juvat gratiam, auxilium ejus inspirando, ut docet D. Th. 1. 2. q. 106. a 2. Deinde ante Moysem nulla data fuit hominibus lex positiva, vel si aliqua præcepta familiaria data sint, tantum fuit unum vel alterum, quod faciliter memoria retineri poterat. Quod additur de præceptis Evangelicis etiam non urget: nam ex eo, quod exiguo tempore sine scriptura conservata sint, non bene infertur, ea etiam per longum tempus facile absque scriptura conservari posse.

Ad IV. Neg. ant. ob rationem jam datam ad I. & III. Doctrinæ enim à Deo revelatæ, ejusque perpetuitati ac puritati magis accomodatæ sunt literæ scriptæ non in incertum volitantes, sed suo loco immobiliter affixæ, ad quod non sufficiunt solæ traditiones, utpote quæ ex rerum multitudine confundi possunt: quæ ratio non currit de lege naturæ, & lege Nova.

Ad V. Dist. ant. in S. Scriptura occurrunt gravissimæ difficultates, & antilogiæ tantum apparenter tales, quæ tamen ab Ecclesia & SS. Patribus jam sunt explanatæ conc. ant. Secus neg. ant. Antilogiæ siquidem tantum sunt apparenter tales, quia re ipsa ibi non dantur, nec dari possunt. Cur autem Deus voluerit, ut difficultates; & etiam tantum apparenter tales antilogiæ extarent in Scriptura? Ratio est, ut hoc pacto S. Scriptura esset obscura sive ad exercenda hominum ingenia, sive ad domandam superbiam, sive denique ad ostendendam sublimitatem arcanorum, seu altitudinem mysteriorum.

Ad VI. Conc. maj. neg. min. ad prob. neg. ant. ad ejus prob. 1. dico, quod ultimus Mathusalæ annus fuerit solum inchoatus, & non completus: cum constet ex Scriptura eum non fuisse in Arca Noe, sed septimo die ante inchoatum diluvium mortuum fuisse tradunt Hebræi. Quod autem LXX. Interpretes in græca versione dicant illum 14. annis adhuc vixisse absoluto diluvio, mendum emendandum esse in græca versione notat post S. P. Augustinum Bellarminus cum alijs. Ad 2. prob. dico, quod loc. cit. enumerentur animæ, quæ solum Jacobum comitatæ sunt, non vero Jacobum & Joseph cum duobus ejus filijs Ephraim & Manasse, quibus quatuor adjectis habentur 70. Clarè hoc dicit Scriptura his verbis loc. cit. *Cunctæ animæ, quæ ingressæ sunt cum Jacob in Ægyptum, egressæ sunt de femore illius absque uxoribus filiorum ejus sexaginta sex, filij autem Joseph, qui nati sunt ei in terra Ægypti, animæ duæ, omnes animæ --- quæ ingressæ in Ægyptum fuere septuaginta.* Dum autem S. Lucas Actor. c. 7. v. 14. numerat. septuaginta quinque, adjecit Nepotes Josephi, filios Manassis & Ephraim, nimirum nominibus *Machis*, *Galaad*, *Sutalaam*, *Taam*, & *Edem* nuncupatos: & hos quoque enumerant LXX. in sua versione. Nec obstat, eos non intrasse in Ægyptum, sed natos inibi fuisse: non inquam obstat, nam licet Ephraim & Manasses nati sint in Ægypto, tamen

Moy-

Moyses in textu Hebræo eosdem enumerat inter animas, quæ Ægyptum sunt ingressæ: ergo & sic fecit S. Lucas imitando Moysem. Ad 3. prob. Dico: quamvis in Libro Josue c. 24. v. 31. legatur Solum Patriarcham Joseph sepultum esse in Sichem, verosimilius tamen est duodecim Patriarchas fuisse inibi sepultos, & eorum ossa cum ossibus Fratris Josephi ex Ægypto translata, atque in Sichem reposita; colligitur namque id ex narratione S. Stephani Actor. 7. Sicut & Hieronymo, qui in Epitaphio S. Paulæ ad Eustochium Paulæ peregrinationem scribendo ait: *Transivit Sichem, & circa puteum Jacob extructam intravit Ecclesiam, atque inde divertens vidit duodecim Patriarcharum sepulchra.* Iterum ad Pamachium scribens inquit: *duodecim Patriarchæ non sepulti in Arboch, sed in Sichem.* Igitur Josephus Hebræus scribens Fratres Patriarchæ Joseph sepultos esse in Hebron memoria lapus censendus est. Pariter S. Lucas de errore non est arguendus, eo quod historiæ veritatem retinere volens ne jota quidem immutaverit, sed rem, ut à S. Stephano narrata fuit, exposuerit.

Ad VII. Neg. ant. ad 1. prob. explico textum sub dist. non bibam de hoc genimine vitis ordinario modo, & ad succurrendum necessitati naturæ, conc. ant. secus, neg. ant. licet itaque Christus post resurrectionem suam cum Discipulis manducaverit, & biberit vinum de genimine vitis, illud tamen non bibit consveto & ordinario modo ad conservationem suæ naturæ: atque hoc modo solo etiam negaverat ante mortem se deinceps cum illis comesturum, & bibiturum. Ad 2. prob. expl. text. sub dist. positus est in ruinam per accidens & occasionaliter, conc. tanquam causa formalis, & per se, neg. sicque explicato 2. textu neg. conseq. Christus namque positus est in ruinam multorum indirecte, quatenus videlicet multi ejus gratiæ & doctrinæ restituri ibunt in ignem æternum ex propria malitia. Ad 3. prob. Duos textus citatos nullam arguere contradictionem,

eo quod non fub eodem ſed diverſo ſenſu eos Chriſtus protulerit. In priori enim textu loquitur præciſe de ſuo teſtimonio, quod de ſe ipſo protulit, & hoc dicit gratis quaſi permittens non eſſe verum, hoc eſt firmum, & ſufficiens alieno judicio, cum teſtimonium unius ſecundum vulgarem ſententiam non ſit firmum, & à fortiori, ſi ſit unius de ſe ipſo teſtantis. In poſteriori vero ait, *teſtimonium meum eſt verum*, quia non unius tantum, ſed duorum, meum nempe, & Patris mei teſtimonium de me perhibentis, qui ſumus duæ Perſonæ Divinæ, duoque de mea Divinitate teſtantes: ergo. Ad 4. prob. diſt. Et loquitur S. Lucas de omnibus abſolute Chriſti geſtis, neg. ſolum de aliquibus, & ad certam uſque ætatem, conc. S. Lucas ergo ſcribit ſolum de præcipuis Chriſti geſtis à prima infantia uſque ad ejus in cœlum aſcenſum: e contra S. Joannes loquitur de omnibus abſolute Chriſti geſtis, ergo nulla eſt contradictio. Ad 5. prob. neg. min. Nam Apoſtolus non dicit, quod abſtinere à certis cibis ſit abſolutè doctrina Dæmoniorum, ſed increpat abſtinentiam ſuperſtitioſam, qualiter Simoniaci, Saturniani, Ebionitæ, Marcionitæ, & nonnulli alii Hæretici abſtinebant à quibusdam cibis, quos à malo Deo, ſive Dæmone procreatos eſſe affirmabant. Unde abſtinere ab aliquibus cibis obedientiæ, temperantiæ, vel pænitentiæ cauſa, aut ex urgentibus certis motivis Eccleſiæ, non Dæmonis, ſed Spiritus S. eſt doctrina. Ad 6. prob. expl. textum ſub diſt. creatum fuiſſe mundum ſex dierum ſpatio quoad diſtinctionem, conc. quoad ſe, & ſecundum ſe, abſolute, neg. Deus namque creavit omnia ſimul, ut perhibetur Eccleſiaſt. c. 18. quia vero hæc opera diſtinxit ſex dierum ſpatio, etiam non eſt erratum c. 1. Gen. Cum enim opus nobis ſaltem non appareat factum, niſi dum eſt diſtinctum, & in quadam ſpecie conſtitutum, ſequitur opera diſtinctionis dici etiam opera creationis. Ad 7. prob. dico lucem quidem Creatam fuiſſe à Deo prima die cum totius

mundi globo, quarta vero die apparuisse distinctam, & separatam à cæteris operibus cum sole, cujus est proprietas: hac die enim determinata fuit ad effectus particulares in sole. Ad 8. prob. expl. text. sub dist. Iste cæpit invocare nomen Domini sub certis ritibus, & formula quadam determinata, conc. cæpit absolute, neg. Nam Adam jam invocaverat Dominum, propter quod etiam justificatus fuisse, sicut & sanctificatus à sapientia legitur, sap. 10. hoc autem contingere non potuit sine bonis operibus, & supremi Dei invocatione. Quod vero Enoch cæpisse legatur, fit ideo, quia illud invocavit sub certis ritibus, & quadam determinata formula, quæ prius nemini fuerat in usu: unde in hebræo legitur sic: *cæptum est tunc invocare nomen Domini.* Ad 9. prob expl. sub dist. Jacob vidit Deum visione mediata, nempe mediante Angelo, qui luctabatur sub forma viri usque mane cum illo, conc. vidit visione intuitiva, neg. Jacob ergo loquitur de familiari visione sub specie externa. Deus autem Exod. loc. cit. loquitur de visione suæ essentiæ in se ipsa, quæ non conceditur nisi post mortem: Ad 10. prob. expl. text. sub dist. Deus dicit se visitaturum iniquitatem Patrum visitatione temporali, & afflictionibus hujus vitæ, conc. visitatione æterna, & privando filios gloria ob iniquitatem Patrum, neg. Exod. loc. cit. Deus loquitur de pæna temporali: apud Ezechielem vero de pæna spirituali privationis gratiæ, & damnationis æternæ: nullum siquidem peccatum (excepto originali, de quo hic sermo non est) cedit posteris in damnationem, sed solum in pœnam temporalem. Ad 11. prob. dist. & hic computantur anni, quibus regnavit Joachim cum Patre suo Sedecia, conc. secus, neg. fuit itaque Joachim tunc octo annorum filius, dum regnum administrare incæpisset cum Patre suo, quando vero Patre ducto in Babylonem gubernare visus est solus (ut legitur 4. Reg. c. 27. & 28.) tunc fuerat octodecim annorum. Ad 12. dist. tabulæ fuerant in Arca, virga vero &

manna ad latus Arcæ, conc. ſecus, neg. fuerat namque in Arca diſtinctio quædam ita, ut aliquid potuerit eſſe in medio Arcæ, & aliquid ad latus, ut eruitur ex illo Deut. c. 31. v. 26. *Tollite librum iſtum, & ponite eum in latere Arcæ ſæderis Domini Dei veſtri*: illud autem latus communiter non vocabatur Arca. In medio igitur Arcæ nil aliud fuit reconditum quam tabulæ teſtamenti, ſicque verificatur textus ex 3. Reg. c. 8. In latere autem fuit virga Aaron, urna aurea cum manna, & ſic verificatur textus Apoſt. ad Hebræ. c. 9. Aliqui ad hanc prob. reſpondent, quod, dum Salomon poſuiſſet Arcam in templo poſt ejus dedicationem, tunc hæc nihil continuerit præter tabulas legis: ſequentibus vero temporibus Sacerdotes poſuerint in ea manna, & virgam Aaron: ideo dicunt, Apoſtolum locutum fuiſſe ſecundum viciniora tempora: prior reſponſio eſt melior. Ad 13. prob. Ochoziam fuiſſe 22. annorum cum regnavit cum Patre, vel conſiliarius ejus fuit: fuiſſe autem 42. annorum, dum ſolus regnavit. Ad 14. prob. conc. maj. diſt. min. loquitur in ſenſu obvio de Pſeudo-Propheta, conc. min. in ſenſu myſtico, & figurativo, neg. min. Myſtice namque intelligitur de Chriſto, quem Judæi perfidi ut ſceleratorem tractarunt. Item cit. text. in genere intelligitur tum de bono, tum de malo Paſtore, quo percuſſo diſperguntur oves, quæcunque illæ ſint. Ad. 15. prob. diſt. Et loquitur hic Paulus de operibus naturalibus ſecluſa gratia Chriſti: vel de operibus legis Moſaicæ, quæ ſublata ſunt, conc. Et loquitur de operibus per fidem in Chriſtum, neg. de his ultimis locutus eſt S. Jacobus c. 2. de primis S. Paulus ad Rom. c. 3.

Ad VIII. Conc. maj. diſt. min. multa ſunt à ſolo homine, inſpirante ſimul & dirigente Deo, conc. min. nullo modo ſunt à Deo, neg. min. Hiſtoriæ itaque continentes facta humana in Scriptura S. ſunt à Deo protegente, ne Scriptor in iis quempiam inducat in errorem. Ad 1. prob. dico, Apoſtolum velle

indicare, quod hæc, quæ protulit, non acceperit immediatè à Christo loquente: nunquam tamen negat se accepisse à Spiritu S. assistente, & protegente eum, ne falsa proferret. Ad id quod additur expl. text. sub dist. sed quasi in insipientia & hoc dicit ex humilitate, conc. ob errores, qui in suos irrepsissent libros, neg. Ad 2. prob. dico: quod Apostolus donatus fuerit sic assistentia Spiritus S. ut etiam in exarandis rebus Civilibus non erraret. Ad additum expl. text. sub dist. & hæc proposuit Paulus seclusa Divina inspiratione, nego. Hæc proposuit secernendo mandata, & præcepta à Deo immediate accepta à Consiliis, quæ licet immediate non acceperit, tamen sine inspiratione non dedit, conc. se ipsum interpretatur Paulus loc. cit. inquiens: *Puto autem, quod & ego Spiritum Dei habeam.* Porro Matthæus & Joannes ea scripserunt, quæ ab ore Christi procedere audierant: Marcus à Petro, Lucas à Paulo informationem acceperunt; Petrus autem fuit ab ipso Christo edoctus: sicut & Paulum ipse instruxit Christus, quando ei aparuit in via Damasci: testatur id ipse S. Paulus ad Galat. c. 1. v. 12. his verbis: *neque enim ego ab homine accepi illud* (scilicet Evangelium) *neque didici, sed per revelationem JEsu Christi.* Scripserunt ergo omnes cuncta Deo inspirante, & assistente.

QUÆSTIO SECUNDA

An Deus per se ipsum immediatè aliquid scripserit?

CUm Deus sit Author S. Scripturæ, oritur quæstio, an Deus aliquid, quod ad Scripturam pertinet, per se ipsum immediatè scripserit? quæstio vero potissimum devolvitur ad primas, & secundas legis tabulas. Pro cujus intelligentia

Notandum 1. Legem Mosaicam esse triplicem, *Moralem*, *Cæremonialem*, & *Judicialem*. *Moralis* summatim continetur in De-

Decalogo, & duo potissimum præcipit, nempe cultum Dei, & justitiam cum proximo. *Cæremonialis* speciatim determinat, quibus ritibus ac cæremoniis Deus sit colendus: *Judicialis*, quibus modis justitia cum proximo servanda sit.

Notandum 2. De lege Morali hanc procedere quæstionem, quæ Decalogus dicitur; cum definiatur: *Lex naturalis & Divina decem præceptis comprehensa, digito Dei in duabus tabulis scripta, & per manum Moysis populo Hebræo delata.* Quæstio ergo est de istis duabus legis tabulis, an illæ sint scriptæ immediatè à Deo? pro resolutione

Dico 1. Primæ legis tabulæ non sunt immediate scriptæ à Deo, sed ab Angelo Dei vices gerente. Probatur 1. Actor. c. 7. v. 53. Stephanus plenus gratia & Spiritu S. dicit Judæis: *Accepistis legem in dispositione Angelorum:* & v. 38. loquens de Moyse ait: *Hic est, qui fuit in Ecclesia in solitudine cum Angelo, qui loquebatur ei in monte Sina, & cum patribus nostris, qui accepit verba vitæ dare nobis,* Et D. Paulus ad Galat. 3. v. 19. dicit: *Lex* (scilicet antiqua) *ordinata per Angelos in manu mediatoris.* In quæ verba S. P. August. lib. 3. de Trinit. cap. ùlt. ita ait: *Disposita per Angelos in manu mediatoris. In quibus Angelis erat utique & Pater, & Filius, & Spiritus S., & aliquando Pater, aliquando Filius, aliquando Spiritus S. aliquando sine ulla distinctione personæ Deus per illos figurabatur, etsi visibilibus, & sensibilibus formis apparens, per creaturam tamen suam, non per substantiam suam.* Ex quibus concludit: *Quod antiquis Patribus nostris ante Incarnationem Salvatoris, cum Deus apparere dicebatur, voces illæ, ac species Corporales per Angelos factæ sunt: sive ipsis loquentibus, vel agentibus aliquid ex persona Dei.* Sic etiam in eadem verba Pauli S. Anselmus loc. cit. inquit: *Lex est ordinata per Angelos, quia non per se ipsum Deus, sed per Angelos Moysi loquebatur, & præcepta legis disponebat.* Ergo.

Pro-

Probatur Conclusio 2. Omnes apparitiones Dei in veteri lege hominibus factæ contigerunt mediante Angelorum ministerio: ergo. ant. prob. ex D. Th. in 2. dist. 8. q. 1. a. 6. *Respondeo dicendum, quod Deus secundum essentiam suam corporalibus oculis nunquam videri potest, - - sed in corporalibus formis hominibus apparuit. Hæc autem apparitio facta est ministerio Angelorum, ut dicit August. in lib. de Trinit. quia Divinæ illuminationes non veniunt in nos, nisi mediante cælesti Hierarchia, ut dicit Dion.* - - - Idem docet 1. 2. q. 98. a. 3. *Lex vetus data est à Deo per Angelos: & præter rationem generalem, quam Dionys. assignat in 4. c. cælest. Hierarch. quod divina debent. deferri ad homines mediantibus Angelis, specialis ratio est, quare legem veterem per Angelos dari oportuit; dictum est enim, quod lex vetus imperfecta erat, sed disponebat ad salutem perfectam generis humani, quæ futura erat per Christum. Sic autem videtur in omnibus potestatibus, & artibus ordinatis, quod ille, qui est superior, principalem & perfectum actum operatur per se ipsum: ea vero quæ disponunt ad perfectionem ultimam, operatur per suos Ministros, sicut navifactor compaginat navem per se ipsum, sed præparat materiam per artifices subministrantes, & ideo conveniens fuit, ut lex perfecta novi Testamenti daretur immediate per ipsum Deum hominem factum: lex autem vetus per Ministros Dei, scilicet per Angelos daretur hominibus. Et per hunc modum Apostolus 1. ad Hebræ. probat eminentiam novæ legis ad veterem: quia in novo Testamento locutus est nobis Deus in Filio suo: in veteri autem Testamento est sermo factus per Angelos.* Ergo.

Dices: verum quidem esse, quod Deus gubernet mundum per Angelos: ob specialem tamen rationem circa tabulas primas, ad ostendendam scilicet bonitatem suam, & amorem, in hac lege dispensavit. Sed

Contra. Hæc conficta dispensatio nullum in Scriptura S. habet fundamentum: ergo talis dispensatio non est adstruenda. ant. prob. Si haberet in Scriptura S. aliquod fundamentum:

esset hoc, quia Exodi c. 24. v. 12. dicitur: *dixit autem Dominus ad Moysen: Ascende ad me in montem, & esto ibi: daboque Tibi tabulas lapideas, & legem, & mandata quæ scripsi:* sed hoc fundamentum non est efficax: licet enim ille, qui hic apparuit, non solum de tabulis dicat, *quæ scripsi: scriptas digito Dei:* sed etiam se ipsum sæpius Deum asserat, suumque nomen esse illud venerandum, & proprium solius Dei, *qui est:* apparitio tamen hæc & à S. P. Aug. & à S. Th. attribuitur Angelo, ut ex superioribus patet textibus: ergo. Unde S. P. August. lib. 3. de Trinit. c. 11. hanc quæstionem instituit: *sed ait aliquis, cur scriptum est: dixit Dominus ad Moysem, & non potius dixit Angelus ad Moysem?* Et respondet: *quia cum verba judicis præco pronunciat, non scribitur in gestis, ille præco dixit, sed ille Judex:* ergo. Imo & hanc apparitionem Angelo attribuit S. Stephanus actor. c. 7. v. 38. ut in 1. proba vidimus.

Dico 2. Moyses secundas legis tabulas scripsit. Prob. Exod. c. 34. v. 1. ait Dominus ad Moysen: *Præcide tibi duas tabulas lapideas instar priorum: & v. 27. Scribe tibi verba hæc, quibus & tecum & cum Israel pepigi fædus. Fuit ergo ibi cum Domino quadraginta dies, & quadraginta noctes: panem non comedit, & aquam non bibit, & scripsit in tabulis verba fæderis decem:* atqui lij *scripsit* non minus, ac lij *non bibit & comedit*, referri debet ad Moysen: ergo sicut Moyses non bibit, nec comedit, ita psemet scripsit secundas legis tabulas.

Dices: Secundum Hebræam dialectum lij *scripsit* non esse referendum ad Moysen, sed ad verbum remotius, scilicet *Deum.* Sed

Contra: Nulla hujus recursus ad verbum remotius est Necessitas: quia hic explicatur, quod Moyses verba fœderis scripserit, quæ Deus ei scribenda versu præcedenti mandaverat dicens: *scribe tibi verba hæc, quibus & tecum & cum Israel pepigi fædus:* cum enim de verbis fœderis mandatum Domini præcesserit,

ſerit, & ſtatim ſubjungatur: *& ſcripſit in tabulis verba fœderis decem:* ergo Moyſes non Deus ſcripſit ſecundas legis tabulas

Neque in præſenti admittenda eſt expoſitio Toſtati, quod, quando Deus dixit *Moyſi*: *ſcribe tibi verba hæc*: non loquatur de verbis decem præceptorum, ſed de verbis quorumdam præceptorum cæremonialium. Non inquam hæc expoſitio eſt admittenda: cum in utroque loco agat de verbis *fœderis*, quæ proprie ſunt verba *Decalogi*: unde dicit S. P. Auguſt. lib. 5. ſuper Deut. q. 15. *Profecto non cogimur violento intellectu ſubaudire, quod Deus ſcripſerit, ubi ſcriptura dicit: & erat ibi Moyſes in conſpectu Domini quadraginta diebus, & quadraginta noctibus: panem non manducavit, & aquam non bibit, & ſcripſit in tabulis verba teſtamenti. Ubi valde ſonat ſcripſiſſe Moyſen.* Idem eod. loc. cit. *Certe illud quod ſequitur: & erat ibi Moyſes in conſpectu Domini quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, panem non manducavit, & aquam non bibit, & ſcripſit in tabulis teſtamenti decem verba, ſatis manifeſtat eundem Moyſen in tabulis hæc decem verba ſcripſiſſe, non Deum*: ergo.

Objectiones Contra I. *Concluſionem.*

I. EXodi cap. 31. v. 18. Item Deut. c. 9. v. 10. habetur: *Deditque Dominus Moyſi - - - in monte Sinai duas tabulas teſtimonij lapideas ſcriptas digito Dei.* Vel ut Paginus vertit: *in digito Dei*: *Cetubim Beëtsbang Elochim*: ergo.

II. Tabulæ digito Dei, vel in digito Dei ſcriptæ non minus Deo videntur tribuendæ, quam cæli immediate Deo attribuntur, quia â Pſalmiſta vocantur *Mangbaſè, etſchengbſtica*: hoc eſt, *opus digitorum tuorum*: ergo.

III. Primæ legis tabulæ ſcriptæ dicuntur digito Dei, quia Deus eas immediate ſcripſit: ergo. ant. prob. S. P. Auguſt. q. 166. ſuper Exod. ita interrogat: *quare illæ* (ſcilicet primæ tabulæ)

bulæ) *opus Dei: istæ* (scilicet secundæ) *opus hominis?* & respondet: *ideo dicuntur opus Dei, quia Deus legem constituit, Deus conscripsit, nullum opus hominis --- opus tantummodo Dei, & conscriptio digito Dei.* Et q. 15. super Deut. *Non habet dubitationem, quod priores tabulas & Deus fecit, & Deus conscripsit --- ubi ergo & tabulæ opus Dei erant, & scriptura eorum digito Dei facta.* Ergo.

IV. Deus immediate primas tabulas scripsit: ergo. ant. prob. omnia Scripturæ loca explicantur, quamvis dicatur Deum immediate primas tabulas scripsisse: ergo.

V. Angelus tantum apparuit tanquam legis promulgator, &non scriptor: ergo. ant. prob. lex illa est solius Dei: ergo.

VI. Lex illa est solius Dei ut scribentis: ergo. ant. prob. Scriptura ponit distinctionem inter dantem legis tabulas, & scribentem: nam Exod. c. 30. v. 18. dicitur: *Deditque Dominus Moysi* (id est Angelus) *scriptas digito Dei* scribentis: ergo.

VII. Nequit intelligi hic Angelum apparuisse, sed Deum: ergo. ant. prob. qui Moysi in rubo apparuit, vocatur *Jehova*: sed *Jehova* est Deus: ergo. min. prob. nomen *Jehova* non potest Angelo tribui ut Dei legato: ergo. ant. prob. natura hujus nominis *Jehova* ita Deo soli propria est, ut alteri tribui non possit: ergo. ant. prob. legatus Imperatoris vocari non potest Imperator, aut ejus nomen sibi habere proprium: quis enim eum vocat *Augustissimum*: neque legatus illud usurpabit: *Nos Josephus*: quia hoc nomen est individuo Imperatoris proprium: ergo à pari.

VIII. Qui apparuit in rubo vocat se *Jehova*, quia erat Deus in persona propria: ergo. ant. prob. sacrificia & holocausta tantum Deo in persona propria possunt offerri, & solus Deus in persona propria potest adorari: atqui Moyses illi, qui apparuit in rubo, sacrificia, & holocausta obtulit, eumque adoravit: ergo.

IX.

IX. Qui apparuit in rubo fuit Deus in propria perſona: ergo. ant. prob. Moyſes moriturus benedicit duodecim tribubus Israel, & perveniens ad benedictionem Joſeph dicit Deut. c. 33. v. 16. *Benedictio illius, qui apparuit in rubo, veniat ſuper caput Joſeph:* atqui hoc non poteſt de Angelo intelligi, ſed de Deo: ergo.

X. Non fuit Angelus, qui apparuit in monte Sinai dicens: *dabo tibi tabulas, quas ſcripſi:* ergo. ant. prob. quando Paulus ad Galat. c. 3. v. 19. de hac lege dicit: *ordinata per Angelos in manu Mediatoris*, hoc intelligitur: inter Angelos auditis tubis, ignibus, tonitruis in promulgatione legis ab ipſis excitatis: ergo.

XI. Variæ apparitiones in lege veteri contigerunt nullo interveniente miniſterio Angelorum: ergo ruit fundamentum concluſionis. ant. prob. Gen. c. 18. dicuntur viri tres apparuiſſe Abraham: atqui unus illorum fuit Deus, & duo alij Angeli: ergo. min. prob. v. 13. unus illorum ſecundum textum Hebræum dicit ſe *Jehova* & duo alij c. 19. v. 2. non vocantur *Jehova* vel Adonai, ſed Angeli à Deo miſſi ad perdendam Sodomam: ergo.

XII. Loth. loc. cit. non dixit in plurali *Domini mei*, ſed *Domine mi* preces ad eum fundens: Onkelos vero nomen etiam Dei *Tetragrammaton* hic loco *Domine* ſubrogat: ergo.

XIII. Angelis tanquam Dei legatis hæc tribui non poſſunt: ergo. ant. prob. Chriſtus & Prophetæ fuerunt Dei legati: atqui nullibi in Scriptura vocantur *Jehova*: ergo.

XIV. Si dicta noſtra vera ſint, ſequitur, quod *Socinianos* hæreticos imitemur, atque eorum cauſam ſuſcipiamus, ac pro Filij Dei Divinitate præclarum eripiamus argumentum: neque tunc ullam vim contra eos obtinebit, quod *Jehova* nomen Scriptura ei ſoleat tribuere: cum enim etiam Angelis tot locis tributum inveniamus: nihil ergo ex hoc capite (dicent Sociniani)

ni) pro Divinitate Filij Dei arguitur, neque ex hoc ostenditur esse Deum: ergo.

XV. Veritas hucusque dictorum huic innititur supposito, quod de mente SS. PP. omnes Dei apparitiones in veteri lege fuerint factæ mediantibus Angelis: atqui D. Th. hoc suppositum destruit. ergo. min. prob. D. Thomas varijs in locis docet, quod Moyses in mortali adhuc carne viderit Dei essentiam: ergo.

SOLUTIONES.

AD I. Illas authoritates, quomodocunque ab Interpretibus vertantur, aliud non innuere, quam tabulas scriptas esse digito Dei, id est, Angeli specialiter vices Dei gerentis, qui vocari potest Deus, & digitus Dei: ut ex S. P. Augustino ostensum est in proba.

Ad II. Neg. ant. & Disp. est: quod in Psalmo id clare colligatur ex circumstantiis: quia Angeli juxta S. Th. 1. p. q. 45. a 5. in Arg. sed Contra. Item in ⊙ art. etiam instrumentaliter nequeunt concurrere ad creationem, non implicat vero, quod ministerio Angelorum illæ tabulæ sint scriptæ, nam illæ cum sua inscriptione à Deo per Creationem non exierunt, utut aliqui hoc velint, quod per creationem à Deo exiverint, quod tamen admittendum non est.

Ad III. S. P. August. q. 166. in Exod. non excludit ministerium Angelorum à scriptione primarum tabularum, sed tantum ministerium ipsius Moysis, & ita per exclusionem ipsius Moysis dicit *opus solius Dei.* Ergo S. P. August. non agit de difficultate hac, an Deus immediate per se scripserit primas tabulas: nam loc. cit. super Exod. hanc sibi proponit quæstionem: *Proinde magna oritur quæstio, quomodo illæ tabulæ, quas erat Moyses, Deo utique præsciente, facturus, non hominis opus esse dicantur*

tur sed Dei, nec ab homine scriptæ, sed scriptæ digito Dei. Ubi clare videtur, Augustinum inquirere, an homo, scilicet Moyses, vel Deus primas tabulas scripserit? quando ergo resolvit: Deum illas scripsisse, tantum exludit Moysem, non vero Angelum vicem Dei gerentem, cum expresse loc. cit. in Prob. lib. 3. de Trinit. c. 11. asserat per Deum hic Angelum intelligi. Eodem etiam modo S. P. Augustin. q. 15. super Deut. difficultatem proponit non inter Deum & Angelum, ut nos in præsenti, sed inter Deum & Moysen, sic enim ait: *discutienda nascitur quæstio, quod utrasque tabulas, id est, & priores & secundas Deus hic legitur scripsisse, non homo.*

Ad IV. Neg. ant. ad prob. dist. ant. omnia loca scripturæ explicantur cum contradictione ad SS. PP. si dicatur Deum immediate primas tabulas scripsisse, conc. ant. sine contradictione neg. ant. Manifesta siquidem sequeretur contradictio: Scriptura namque dicit, quod eadem sit persona, & quæ tabulas dedit, & quæ illas scripsit: in sententia vero Adversariorum non esset eadem persona: Deus quippe tabulas scripsisset, & Angelus apparuisset, easdemque Moysi tribuisset ac tradidisset; si vero dicatur, quod Deus apparuerit, & tabulas scripserit, hoc Patribus opponitur, qui omnes cum D. Thoma probant, & docent, in veteri lege apparitiones factas fuisse per Angelos.

Ad V. Neg. ant. ad prob. dist. ant. lex illa est solius Dei tanquam Authoris principalis, conc. ant. tanquam scriptoris, neg. ant. & conseq. licet enim Angelus legem hanc scripserit, manet tamen quantum ad authoritatem solius Dei: quia scriptio tantum est initialis, & inadæquata promulgatio legis.

Ad VI. Reflexionem hanc aliquorum Neotericorum esse quidem subtilem, sed subtilitate sua evanescere: cum in scriptura nihil communius sit, quam loco nominis possessivi poni ipsam personam.

Ad

Ad VII. Neg. ant. ad prob. con. maj. neg. min. ad prob. neg. ant. ad prob. neg. ant. ad ejus prob. con. ant. neg. conseq. Disp. est: quod legatus quidem à legante mittatur, & authoritatem accipiat, negotia tamen, adquæ mittitur, proprio genio exequitur: Angelus vero est tantum instrumentum Dei, qui illa solum exequitur, eaque verba profert, adquæ Deus ipsum movet, linqua Angeli utens tanquam suo instrumento; sicut Angelus asina Balaam fuit usus. Vere itaque dixit Angelus, qui apparuit in rubo: *Ego sum Deus Abraham, ego sum, qui sum: dixit autem Dominus, dabo tibi tabulas lapideas, & legem, & mandata, quæ scripsi:* quia vere erat Deus, qui in Angelo tanquam locutionis suæ instrumento hæc verba exprimebat: & per Angelum tanquam scribam suum legis tabulas scribebat inspirando, & dictando ei omnia & singula verba. Hinc etiam tota Scriptura etsi ab Authoribus secundariis sit scripta, vere dicitur, & est Verbum Dei.

Ad VIII. Neg. ant. ad prob. conc. maj. dist. min. atqui Moyses illi, qui apparuit in rubo visibiliter & in corporali specie, sacrificia, & holocausta obtulit, eumque adoravit, neg. min. qui apparuit in rubo invisibiliter in se, & visibiliter in Angelo, conc. min. Moyses ergo non obtulit Angelo, sed Deo in Angelo invisibiliter apparenti sacrificia.

Ad IX. Neg. ant. ad prob. conc. maj. dist. min. atqui hoc non potest de Angelo intelligi, tanquam de benedicente principaliter, conc. min. tanquam de benedicente minus principaliter, & nomine Dei, neg. min. & conseq.

Ad X. Hanc expositionem esse contra S. Th. in c. 3. Galat. lect. 7. qui ita exponit: *ordinata, id est, ordinanter data per Angelos, id est, ministerio Angelorum.* Præterea S. Paulus ad Galat. 3 & Heb. 2. dicit: *si enim, qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus* &c. quid ad firmitatem conferre potuit, quod ipsis audientibus fuerit dictus?

Ad

Ad. XI. Dist. ult. maj. unus illorum dicit se *Jehova*, & ille solus specialiter Dei personam gerebat, con. maj. & omnes specialiter Dei personam gerebant, neg. maj. Nihil ergo obstat, quod illi viri apparentes Abraham & Loth fuerint Angeli, qui & viri, & Angeli, & *Jehova* vocantur: ille enim, qui vocatur *Jehova*, solus specialiter Dei personam gerebat, & in persona Dei loquebatur. Unde

Ad XII. Licet Loth plures alloquatur, ad unum tamen sermonem suum dirigit utrique communem: postquam enim Loth v. 18. dixit ad eos, mox singulari numero utitur, & dicit: *quæso Domine mi, quia invenit servus tuus gratiam coram te.* &c. Ex quo videtur, quod Loth hic non secus, ac Abraham in illo, qui cæteris excelsior apparebat, Deum cognoverit, ad quem preces fudit, vocans eum *Jehova* v. 14. dicens ad generum suum: *perdet Jehova Civitatem hanc*: ita docet expresse D. Th. 2. 2. q. 84. a. 1.

Ad XIII. neg. ant. ad prob. dist. maj. Christus & Prophetæ fuerunt Dei legati eodem modo quo Angeli, neg. maj. diverso modo, conc. min. neg. conseq. Quia Angeli fuerunt Dei legati, ut in figura assumpta Deum repræsentarent, & Deus ipsis uteretur tanquam instrumentis, quibus non tantum mentem suam vellet hominibus manifestare, sed etiam verba tanquam propria per illos vellet pronuntiare: Christus vero & Prophetæ in propria apparuerunt persona, & mentem Dei nobis manifestarunt verbis à se efformatis.

Ad XIV. dist. ant. si eodem modo tribueretur hoc nomen *Jehova* Filio Dei & Angelis, conc. ant. si diverso modo, neg. ant. Dei enim Filius vere & proprie secundum personæ rationem dicitur *Jehova*: Angeli vero tantum per quandam repræsentationem.

Ad XV. Moyses vidit Dei essentiam in apparitione corporali, ut in præsenti loquimur, neg. ant. in apparitione intellectuali, conc. ant. neg. conseq. Ex his

Quæres I. Si in omnibus apparitionibus corporalibus non Deus sed Angelus apparuit, cur Moyſes & alii narrant illas tanquam factas à Deo? ℞. Cum Toſtato minime conveniſſe, ut Angeli, qui apparebant, & loquebantur tanquam Dei Miniſtri, ſe eſſe à Deo miſſos dicerent, ne nimis Angelis afficerentur homines, ſed ad Deum magis allicerentur: eamque ob cauſam & Moyſes ita ſolet Angelorum Miniſteria narrare, ut Deum potius loquentem, quam ſe ipſos repræſentent, uti fit Eod. c. 3. & 24. dum datam eſſe à Deo legem commemorat.

Quæres 2. An Moyſes mortali adhuc in carne vivens clare viderit Dei Eſſentiam? ℞. affirmative. Nam Numeror. c. 12. v. 6. Dominus ad Aaron & Mariam de Moyſe loquens, ejusque excellentiam ſuper alios Prophetas oſtendens ait: *Si quis inter vos Propheta Domini, in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad illum: at non talis ſervus meus Moyſes, qui in omni domo mea fideliſſimus eſt: ore enim ad os loquar ei, & non per ænigmata, & figuras Dominum videt:* ergo. Ex his mox citatis verbis & S. P. Auguſt. probat Moyſen clare Dei Eſſentiam vidiſſe: ſiquidem epiſt. 112. c. 13. ad Paulinam de videndo Deo, ubi poſtquam oſtenderat, quod Moyſes Exod. c. 33. petivit, ut claritatem Domini videret, cui dixerat: *Si inveni gratiam ante te, oſtende mihi temetipſum manifeſte:* dicit: *deſiderio ejus etiam illud, quod petierat, fuiſſe conceſſum, in libro Numerorum poſtea demonſtratum eſt, ubi Dominus arguit contumaciam ſororis ipſius, & dicit, aliis Prophetis in viſione ſe apparere & in ſomno: Moyſi autem per ſpeciem & non per ænigmata: ubi etiam addidit dicens, & gloriam vidit: quid ergo eſt, quod eum ſic fecit exceptum, niſi forte quia illa contemplatione dignum etiam tunc habuit populi ſui talem rectorem, & miniſtrum in tota domo ſua fidelem, ut quemadmodum concupiverat, videret Deum ſicuti eſt, quæ contemplatio cunctis filiis in fine promittitur.* Idem docet S. Pater lib. 12. de Gen. ad literam c. 28. Ex cit. loc. Num. c. 12. cum S. P. Auguſt. etiam probat D. Th. in 4. diſt.

dist. 49. q. 2. a. 7. ad 4. Moysen vidisse Dei essentiam his verbis: *Duplex eminentia visionis Moysi adscribitur: una Exod. c. 33. ubi dicitur, quod loquebatur Dominus Moysi facie ad faciem, sicut loqui solet homo ad amicum suum. Ex quibus tamen verbis haberi non potest, quod Deum per essentiam viderit, quod petit dicens: ostende mihi gloriam tuam, quod ei tunc concessum non est, unde dictum est ei, faciem meam videre non poteris --- Alia eminentia visionis Moysi ostenditur Numer. c. 12. ubi Dominus de eo dixit ad Aaron & Mariam: ore ad os loquar ei, & palam & non per ænigmata, & figuras Deum videt, vel gloriam Domini secundum septuaginta, ubi ostenditur impleta fuisse ejus petitio, qua petiverat in Exod. c. 33. ostende mihi faciem tuam, ita quod ante mortem Deum per essentiam vidit, ut August. dicit 12. super Gen. ad literam. Et in libro de videndo Deum.* --- Ergo. Item 2. 2. q. 174. a 4. *Moyses ergo fuit aliis excellentior, primo quidem quantum ad visionem intellectualem: eo quod vidit ipsam Dei Essentiam, sicut Paulus in raptu, sicut August. dicit 12. super Gen. ad literam: unde dicitur Numer. 12. quod palam, non per ænigmata Deum vidit.* Item q. 175. a 3. ad 1. ubi relato duplici modo visionis veritatis Divinæ dicit: *Tertio modo ut contempletur eum in sua essentia, & talis fuit raptus Pauli, & etiam Moysis, & satis congruenter. Nam sicut Moyses fuit primus Doctor Judæorum, ita Paulus fuit primus Doctor gentium:* ergo. Contra hoc

Dices 1. Juxta scripturam, & S. Th. nullus homo vivens potest clare videre Dei essentiam: ergo. ℞. dist. ant. nullus homo vivens potest clare videre Dei essentiam permanenter, conc. ant. transeunter, neg. ant. & conseq.

Dices 2. Visio clara Dei facit hominem beatum: atqui Moyses non fuit in hac vita beatus: ergo. ℞. dist. maj. visio clara Dei permanens facit hominem beatum simpliciter, conc. maj. transiens subdist. facit hominem beatum secundum quid,

 conc.

conc. maj. ſimpliciter, neg. maj. & ſic diſt. min. neg conſeq. ſolutio eſt D. Th. 2. 2. q. 175. a 3. ad 2.

Dices 3. Viſio etiam tranſiens non compatitur ſecum fidem & ſpem, ut habetur 1. ad Corinth. c. 13. v. 13. atqui Moyſes non amſit fidem & ſpem: ergo. ℞. Viſio tranſiens non compatitur ſecum fidem & ſpem quoad actum, conc. maj. quoad habitum, neg. maj. & ſic diſt. min. neg. conſeq. ſolutio eſt D. Th. loc. ſupra cit. ad 3.

Dices 4. Ex verbis Exod. c. 33. non probatur, quod Moyſes viderit Dei eſſentiam etiam tranſeunter: ergo nec probatur ex verbis Numer. c. 12. prob. conſeq. Numer. c. 12. v. 8. de Moyſe dicitur: *ore enim ad os loquor ei*: & Exod. c. 33. v. 11. dicitur: *loquebatur Dñs ad Moyſen facie ad faciem*: ſed ex verbis Exodi non probatur: ergo nec ex verbis Numer. ℞. Neg. conſeq. Diſp. eſt: quod Numer. non ſolum Moyſes dicatur *loqui ore ad os*, ſed etiam *palam*, cui additur, *non per ænigmata, & figuras Dominum videt*: cum ergo negatio ſit malignantis naturæ, deſtruit omnem figuratam, & ænigmaticam viſionem. Exod. vero 33. hoc non additur, roganti Deum Moyſi: *oſtende mihi faciem tuam: non poteris videre faciem meam.*

Dices 5. Plus eſt videre Deum facie ad faciem, quam loqui ore ad os & palam: & patet ex 1. Corinth. c. 13. v. 12. videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Atqui ex verbis Exod. non probatur Moyſen Dei eſſentiam vidiſſe: ergo nec ex verbis Numer. ℞. diſt. maj. plus eſt., ſi nihil addatur, per quod illa viſio excludatur, conc. maj. ſi aliquid addatur, neg maj. & conc. min. neg. conſeq. ſolutio clareſcit ex præcedenti Dices 4.

Objectiones Contra 2. Concluſionem.

I. JUxta S. Scripturam idem ſcripſit poſteriores legis tabulas, qui ſcripſit primas: ſed primas non ſcripſit Moyſes, ergo nec

nec ſecundas. maj. prob. Deus in perſona Angeli apparens Exod. c. 34. v. 1. dicit ad Moyſem: *Præcide tibi tuas tabulas lapideas inſtar priorum, & ſcribam ſuper eas verba, quæ habuerunt tabulæ, quas fregiſti:* ergo.

II. Dominus in præcitato textu Exod. c. 34. dixit *ſcribam:* ad ſignificandum, quod, qui priores ſcripſit, etiam ſcripſerit poſteriores: ergo. ant. prob. ex Deut. c. 10. v. 1. ubi Moyſes totum factum narrat his verbis: *In tempore illo dixit Dominus ad me; dola tibi duas tabulas lapideas, ſicut priores fuerunt, & aſcende ad me in montem: faciesque arcam ligneam, & ſcribam in tabulis verba, quæ fuerunt in his, quas ante confregiſti, ponesque eas in Arca. Feci itaque arcam de lignis ſetim, cumque dolaſſem duas tabulas lapideas inſtar priorum, aſcendi in montem habens eas in manibus: ſcripſitque in tabulis, juxta id quod prius ſcripſerat verba decem, quæ locutus eſt Dominus ad vos in monte de medio ignis, quando populus congregatus eſt: & dedit eas mihi.* Ergo.

III. Dicendo Dominum in perſona Angeli ſine miniſterio Moyſis poſteriores tabulas ſcripſiſſe, nulla eſt antilogia inter locum Exodi & Deuteronomii: ergo ſi ſine miniſterio Moyſis ſcriptæ ſunt priores legis tabulæ, etiam poſteriores. Ant. prob. Quando in Exodo dicitur: *ſcripſit in tabulis*, id referendum non eſt ad Moyſen: ergo. ant. prob. S. P. Aug. ſuper Deut. q. 15. dicit: *violenter quidem, ſed certa neceſſitate compellimur, ubi dictum eſt, & ſcripſit in tabulis &c. non Moyſen ſubaudire, ſed Dominum:* ergo.

IV. Si Moyſes poſteriores legis tabulas ſcripſiſſet, tunc illum laborioſa in lapide ſculptura, pro qua non juſſit Dominus inſtrumenta afferre, debemus gravare, vel miraculum hic ponere: atqui neutrum dici poteſt: ergo. min. prob. quoad 1. part. Deut. c. 10. Moyſes minutim narrat omnia, quæ Deus ei juſſit quantum ad ſecundarum tabularum ſcriptionem; ſed nullam de adferendis ſecum inſtrumentis ad ſculpendum in lapide

facit mentionem: & Moyses præter Dei mandatum nihil hic ausus fuisset facere, sed e contra prudenter debebat judicare, illa instrumenta non futura necessaria, cum Deus ei promisisset *& scribam in tabulis*: ergo. prob. etiam min. quoad 2. part. Non sunt ponenda miracula sine necessitate: atqui miraculum illud non fuit necessarium: ergo.

SOLUTIONES.

AD I. Sacrum textum esse intelligendum, Deum, qui in persona Angeli hic apparet, se legis tabulas scripturum Moysi promittere, quia Moyse illas scribente ipse illas authoritative, verba scilicet sensibiliter dictando, scribet. Unde Carth. ad locum objectum hic a. 64. dicit: *ad hoc Augustinus, aliique respondent, quod Dominus scripsit per authoritatem, Moyses per executionem, videlicet Deo jubente in figura Angeli, quem dicit hic apparuisse.*

Ad II. respondet Hugo Card. in expositione cap. 10. Deut. *Ad hoc dicunt, quod tabulas secundas scripsit & Dominus & Moyses, sed Dominus authoritative, Moyses ministerio.* Contra quod objicit: *sed eadem ratione potest dici, quod Dominus scripsit judicia, & omnia alia, quæ in lege sunt, quia ejus authoritate scripta sunt.* Et solvit: *plus est quam authoritas ibi: Domino enim per Angelum dictante scripsit Moyses secundas tabulas: unde Dominus non tam Author, sed & agens fuit: expone ergo: scribam, id est, scribi faciam, dictando scilicet quod in eis scribatur: & scripsit, id est, scribi fecit.* Et sic concordat cum Exod. c. 34. v. 28. ubi Angelus specialiter Dei vicem gerens Moysi dicit: *scribe tibi verba hæc, quibus & tecum & cum Israel pepigi fœdus - - - & scripsit in tabulis verba fœderis decem*, scilicet decalogum, qui proprie per verba fœderis intelligitur.

Ad

Ad III. S. Patrem non dixisse assertive verba ista, sed dubitative; sibi objiciendo dum dicit: *Non Moysen subaudire sed Dominum:* & illa postea solvere dicendo: *profecto non cogimur violento intellectu subaudire, quod Deus scripserit* &c.

Ad IV. Neg. min. ad 1. part. prob. dist. min. Si Moyses non cognoverit Deum per authoritatem, & se in executione tantum scripturum, conc. min. si hoc cognoverit, neg. min. Cum ergo Moyses hoc cognoverit, instrumenta illa secum attulit: dicit enim S. Pater August. expressis terminis super Exod. q. 166. *Posteriores tabulæ humano opere exsculptæ, & humano opere conscriptæ:* ubi S. Pater ita scriptionem attribuit Moysi sicut dolationem: sicut ergo ad dolandas tabulas instrumenta disposuit, ita ad scribendas, quia utrumque ministerium fuit illi commissum: sicut ergo non gravamus Moysen laboriosa dolatione, ita nec scriptione in tabulis lapideis: imo si Dominus voluisset has tabulas scribere, quid indigebat eas per Moysen præparari? Præterea observat Dionysius Carth. ad hæc verba Exod. c. 34. *Scribe tibi verba hæc:* a. 64. *Septuaginta transtulerunt circa exordium hujus Capituli, scribes, satis credibile est, quod Moyses necessaria ad scribendum in tabulis secum accepit.* Ad 2. part. prob. dist. min. illud non fuit necessarium absolute, conc. min. supposita Dei voluntate, neg. min. Nam Dionysius Carth. loco mox cit. ait: *Alia multa supernaturalia fecit Deus per Moysen, ita & tabulas poterat Moysi facere ad scribendum cedentes ut ceram mollissimam, quemadmodum multis Sanctis in novo Testamento fecit Saxa, & cupra, ad suscipiendum signacula crucis, cedere tanquam ceram.* Ex his

Quæres I. Quare ante Moysen Scriptura S. data non fuerit? ℞. cum D. Th. 1 2. q. 98. a. 6. *Valde expediens fuisse Scripturam S. usque ad Moysen differri, ut hominis superbia convinceretur: de duobus enim homo superbiebat, scilicet de scientia, & de potentia: de scientia quidem, quasi ratio naturalis ei possit sufficere* ad

ad salutem. Et ideo, ut de hoc ejus superbia convinceretur, permissus est homo regimini suæ rationis absque adminiculo legis scriptæ, & experimento homo discere potuit, quod patiebatur rationis defectum, per hoc quod homines usque ad idololatriam, & turpissima vitia circa tempora Abrahæ sunt prolapsi. Et ideo post hæc tempora fuit necessarium legem scriptam dari in remedium humanæ ignorantiæ: quia per legem est cognitio peccati, ut dicitur Rom. 5. Sed postquam homo est instructus per legem, convicta est ejus superbia de infirmitate, dum implere non poterat, quod cognoscebat. Ratio etiam est: quia in lege naturæ, cum paucissima essent Dei præcepta, ea Patriarchæ facile retinebant, & cum ad annos 800. & 900. vitam suam protraherent, ea suis filiis & nepotibus communicabant: ergo eis non fuit Scriptura necessaria. At vero ubi populus infinita fere accepit documenta, Christi Redemptoris tempore appropinquante doctior evasit, ac evangelicis dotatus fuit consiliis, necesse fuit in memoriæ auxilium Scriptura, quæ manet: ergo.

Quæres 2. Quare Deus vetus Testamentum literis voluerit mandari? ℞. cum S. P. August. Epist. ad Volus. id factum fuisse ad conciliandum Dei & hominum amorem. Præterea ut nobis certo constaret de hominis lapsu: item ad cognitionem Christi, & Messiæ receptionem sive à Judæis sive à gentilibus, ut de cordis duritia convincerentur ex suis libris, in quibus hæc veritas continetur.

Quæres 3. Cur Christus Evangelium non traditione vivæ vocis, sed scriptis committi voluerit? ℞. ut tot rerum mirabilia, tot salutarium Consiliorum & præceptorum, Salvatoris beneficiorum, & amoris erga homines argumenta fideliter & sine mutatione falsæ doctrinæ hæreticorum ad posteros transmitterentur.

QUÆ-

QUÆSTIO TERTIA.

An 1. Scriptores Sacri circa res leviores memoriæ lapsum sint passi? 2. An Scriptores Sacri ad scribenda fidei mysteria, ac determinandas morum regulas speciali quadam revelatione indiguerint, etiam ad ea, quæ proprio visu, vel auditu certissime hauserunt? 3, An Scriptores Sacri in omnibus, quæ scripserunt, præter specialem assistentiam Spiritus Sancti, etiam ejusdem speciali inspiratione affecti fuerint? 4. An singulæ veritates & sententiæ Scriptoribus Sacris à Deo inspiratæ sint? 5. An etiam singula verba, imo literæ ac apices literarum Sacris Scriptoribus à Deo sint inspirata? ut proinde vocabulorum compositio & stylus ad Deum referri debeat?

Cum in hac quæstione plura involvantur, eam per Paragraphos distinctos absolvemus: in primo Paragrapho notanda dabimus, in reliquis Conclusiones ponemus, & objectiones solvemus. Igitur sit

§. I.

Notanda pro statu quæstionis intelligendo,

NOtandum I. Tria in Sacris literis esse discernenda: nempe *Res* seu *sententias: Verba ipsa: Verborum seriem* ac structuram seu stylum. *Res* verbis expressæ sunt vel dogmata quædam: seu sententiæ, quæ fidem, vel mores spectant, vel præteritorum temporum historiæ, vel prædictiones futurorum, vel leges ac præcepta, quibus homines ad virtutem informantur, & à vitiis retrahuntur. *Verba* sunt ipsæ voces, quibus Sacri contextus mens, ac sensus exprimitur. *Stylus* denique est verborum ordo, series, structura, & compositio.

Notandum 2. Triplici modo concipi poſſe, Deum mentem alicujus Scriptoris afficere: videlicet vel *revelatione*; vel *inſpiratione* ſeu afflatu: vel *Aſſiſtentia* quadam ſpeciali. *Revelatio* eſt veritatis antea ignotæ divinitus facta manifeſtatio, ita Iſaias c. 45. revelatione divina noverat, Cyrum aliquando futurum populi Iſraelitici liberatorem. *Inſpiratio* ſeu afflatus eſt motus quidam interior, quo voluntas cæteræque potentiæ loquentis vel ſcribentis à Deo impelluntur, & incitantur, ut certa quædam, non alia proferat, aut ſcribat: *Aſſiſtentia* ſpecialis eſt peculiaris Divini Spiritus directio, qua cavetur, ne loquens vel ſcribens, ſeu linqua ſeu calamo falſi quidpiam profundat. Clarius de hac re vide dicta in ſequenti §. III.

Notandum 3. Revelationem alicui contingere poſſe, quin ſit inſpiratus ſeu afflatus: item inſpirationem ſeu afflatum quempiam habere poſſe, quin is adhuc de aſſiſtentia quoque certus ſit: imo unam quamlibet ſine utraque haberi poſſe. Exemplum inſpirationis ſine revelatione habetur Joan. c. 11. v. 50. ubi refertur dixiſſe Caipham: *Expedit vobis, ut unus homo moriatur pro populo*, quod Caiphas ex ſecreto impulſu, ſeu inſpiratione, non ex revelatione protulit: ex inſpiratione, quia ut Scriptura dicit: *hoc autem à ſemetipſo non dixit, ſed cum eſſet Pontifex anni illius, prophetavit* &c. Non ex revelatione, quia Caiphas necdum ſciebat JEſum pro ſalute generis humani cruci eſſe affigendum.

Notandum 4. Aliquos Authores docere, Spiritum Sanctum præſervaſſe Scriptores ſacros, ne errarent in rebus gravioribus, quæ ſpectant ad fidem & mores: in levioribus vero proprio ſuo genio reliquiſſe, & in illis potuiſſe errare, atque defacto erraſſe, atque lapſum memoriæ paſſos eſſe.

Notandum 5. Alios Authores docere, Spiritum Sanctum aſtitiſſe Scriptoribus ſacris, ne errarent, inſpirando tantum ſingulis veritates, & ſententias; non tamen omnia & ſingula verba.

No-

Notandum 6. Alios tandem Authores docere, quod Spiritus Sanctus Scriptoribus ſacris revelaverit immediate & expreſſe ſcribenda tam quoad ſententias & veritates ſingulas, quam quoad verba & ſtylum: verbo quod Spiritus S. ſcriptori infuderit, quod & qualiter ſcriptis debeat mandare ſcribenda.

Notandum 7. Multipliciter aliquid poſſe ſcribi ex impulſu & inſpiratione Spiritus Sancti. 1. Quia res, quæ ſcribitur, ignota erat ſcriptori, & ſolum ex Dei revelatione cognoſcitur, & hæc dicitur inſpiratio prophetica, ſive propria revelatio. 2. Quia Deus ſcriptoris mentem ad ſcribendum movet, ſive quia illa, quæ ſcribit, naturaliter, ſive ſupernaturaliter noverit. 3. Quia non ſolum Deus ad ſcribendum movet, ſed etiam, ut hoc vel illud ſcribat, inſpirat. 4. Quia Deus ſpecialiter aſſiſtit ſcriptori, ne in illis, quæ naturaliter vel ſupernaturaliter novit, ſcribendo erret vel ex malitia, vel ex naturali oblivione. 5. Ut ſcriptori ſingulas veritates & ſententias, ac etiam ipſa verba inſpiret, & ſtylum. Et hæc dicuntur revelatio impropria.

Notandum 8. Ut aliqua Scriptura ſit ſacra, non eſt neceſſaria inſpiratio immediata prophetica, & propria revelatio: quia nequit dici proprie revelari, quod jam evidenter cognoſcitur: revelatio enim propria eſt, qua res velata manifeſtatur; cum ergo Scriptores ſacri varia ſcripſerint, ſic propria revelatio non ſemper requiritur: requiritur tamen ſemper inſpiratio immediata, ut hoc vel illud ſcribatur.

Notandum 9. Spiritum Sanctum Scriptoribus ſacris ea, quæ ignorabant, illa propria revelatione revelaſſe, ac ſpecies infudiſſe: ea autem, quæ jam noverant, ſcribentibus, immediate quidem inſpiraſſe ac ſpecies præexiſtentes renovaſſe, non tamen propria revelatione revelaſſe.

Notandum 10. Scriptores ſacros in ſcribendo non fuiſſe liberos quoad ſpecificationem, bene tamen quoad exercitium. Ratio 1. part. eſt: quia Scriptores Sacri debebant ſcribere illa,

& non alia, quæ Spiritus S. eis ſuggerebat; hinc Pſeuto-Propheta Balaam, cum maledicere Iſraelitis ſummopere optaret, dicebat Numer. c. 22. v. 14. *Si dederit mihi Balac plenam domum ſuam argenti & auri, non potero immutare Verbum Domini Dei mei, ut vel plus vel minus loquar.* Et v. 38. *Numquid loqui potero aliud, niſi quod Deus poſuerit in ore meo.* Et c. 23. v. 12. *Num aliud poſſum loqui, niſi quod juſſerit Dominus?* Et v. 20. *Ad benedicendum adductus ſum: benedictionem prohibere non valeo.* Ergo. Ratio 2. part. eſt. Apoſtoli, dum ante Reges & Præſides loquendo profitebantur fidem, libere quoad exercitium fuerunt locuti, & loquendo fuerunt meriti: ergo etiam Scriptores ſacri in ſcribendo fuerunt liberi quoad exercitium. conſeq. prob. Ideo libere non ſcripſiſſent quoad exercitium, quia Deus eis dictavit omnia verba: ſed hæc ratio eſt nulla: ergo. min. prob. Apoſtolis, dum ſtarent ante Reges & Præſides, non ſolum Chriſtus promiſit, quod illis Spiritus S. inſpiraret verba, ſed etiam ut non ipſi loquerentur, ſed Spiritus S. in eis loqueretur, ut patet ex Matth. c. 10. v. 10. & tamen hoc non obſtante loquebantur libere quoad exercitium, fueruntque per hoc meriti, ad meritum autem requiritur libertas: ergo etiam à pari. Si etiam cum inſpiratione verborum ad loquendum poteſt componi libertas: hæc etiam componi poterit cum inſpiratione verborum ad ſcribendum.

Dices 1. Scriptores ſacri comparantur calamo: dicitur enim Pſal 44. v. 2. *Linqua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis:* atqui calamus libere non ſcribit: ergo. ℟. diſt. maj. Scriptores ſacri comparantur calamo tanquam inſtrumento Dei vivo & libero, conc. maj. tanquam inſtrumento Dei mortuo, & neceſſario, neg. maj. & ſic explicatur etiam cit. Pſal. Etiam Sacerdos abſolvens eſt inſtrumentum Dei, libere tamen abſolvit. Aliud eſt de inſtrumento neceſſario, uti etiam patet ex Numer. c. 22. dum Deus poſuit verba in ore Aſinæ Balaam, de qua

v. 28.

v. 28. dicitur: *Aperuitque Dominus os asinæ, & locuta est:* nam Dominus ita verba in ore hujus asinæ posuit, ut illa utpote carens libero arbitrio sine libertate loqueretur.

Dices 2. Scriptores sacri scripserunt ut à Deo necessario impulsi: ergo scripserunt ut instrumentum necessarium. ant. prob. Ezechiel c. 1. v. 12. de quatuor animalibus, quæ ut SS. PP. explicant, præfigurabant Evangelistas, dicitur: *ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur;* atqui impetus denotat necessitatem: ergo. ℞. dist. min. atqui impetus denotat necessitatem aliquando, conc. min. semper, neg. min. Denotat enim quandoque efficaciam moventis, qui movet agens juxta exigentiam suæ naturæ: adeoque in agente libero relinquit libertatem, semper intelligendo quoad exercitium: quia ipsum motum voluntatis, & liberi arbitrij Spiritus S. in agente libero causat.

Dices 3. Salomon fatetur se necessario scripsisse, uti & David: ergo. ant. prob. Prov. c. 30. v. 1. Salomon se vocat *Filium vomentis*: & David Psal. 44. v. 1. dicit: *Eructavit cor meum verbum bonum:* sed vomitus & ructus denotant necessitatem: ergo. ℞. dist. min. sed vomitus & ructus naturalis denotant necessitatem, conc. min. vomitus & ructus mentis, neg. min. Dum Salomon se dicit *filium vomentis*, non ita se vocat propter necessitatem, sed potius propter ubertatem & abundantiam in dicendo, sive scribendo. Pariter David dicitur eructare verbum bonum propter zelum & amorem, quibus verbum bonum exprimebat, non vero quasi necessitate coactus illud pronuntiaret.

Dices 4. Scriptores sacri à Deo moti ad scribendum, non potuerunt non scribere: ergo. ℞. dist. ant. non potuerunt non scribere in sensu composito, conc. ant. in sensu diviso, neg. ant. & conseq.

Dices 5. Moyses necessitate coactus scripsit, alias de se Numer. c. 12. v. 3. non dixisset: *erat autem Moyses vir mitissimus:*

 ergo.

ergo. ant. prob. vir Sanctus, ut fuit Moyses, libere se ipsum non ita laudasset: ergo. ℞. dist. ant. vir Sanctus, ut fuit Moyses, non ita seipsum laudasset, si fuisset liber tam quoad exercitium, quam quoad specificationem, conc. ant. si tantum fuisset liber quoad exercitium, neg. ant. verum quidem est, quod Moyses utpote vir Sanctus non ita se ipsum laudasset, si liber fuisset quoad specificationem, quia tunc ex se ipso sese laudasset: sed cum fuerit in scribendo tantum liber quoad exercitium, sic se ipsum tantum laudavit, in quantum ad hoc à Deo fuit motus, adeoque laus illa redundat in Deum, cujus ope & gratia Moyses tam mitis fuit & mansvetus.

Dices 6. Vates gentilium non fuerunt liberi in loquendo, loquebantur enim quasi Arreptitii: atqui Scriptores Sacri movebantur à Deo sicut vates gentilium: ergo. ℞. dist. min. atqui Scriptores Sacri movebantur à Deo sicut vates gentilium quoad aliqua, conc. min. quoad omnia, neg. min. magnam inter Scriptores S. & vates gentilium differentiam ostendit D.Th. 2. 2. q. 173. a. 3. in ⊙. & ad 4. ibidem.

§. II.

Dico I. Scriptores Sacri circa res leviores memoriæ lapsum non sunt passi.

PRobatur 1. Auth. S. P. Augustini lib. 2. de Consensu Evangelist. c. 12. dicentis: *Omnem falsitatem abesse ab Evangelistis decet, non solum eam, quæ mentiendo promitur, sed etiam quæ obliviscendo*: ubi S. Doctor non solum graves errores ab Evangelistis, consequenter etiam ab aliis Scriptoribus Sacris excludit, verum etiam leviores, quæ memoriæ defectu possunt contingere. Ergo.

Probatur 2. Ex S. Chrysostomo homil. 1. ad populum Antioch. ubi agens de re, quæ valde parvi momenti esse videtur,

tur, nempe de eo, quod Apoſtolus de Salute Timothei Solicitus ſcribebat, *ut modico vino uteretur propter ſtomachum*, ita dicit: *Nec illas quidem, quæ tenues eſſe putantur, ſcripturarum ſententias prætermittamus. Nam & ipſæ de Spiritus gratia ſunt. Spiritus autem gratia nunquam parva & vilis, ſed magna, & dantis munificentia digna:* ubi autem error eſt etiam levis, quomodo ſemper & ubique magna, & mirabilis invenitur Spiritus S. gratia? unde aliquibus interjectis concludit: *diſcas, quod non tantum non eſt inanis admonitio, ſed neceſſaria & utiliſſima fuit:* & rationem dat: *non Pauli eſt hoc, ſed Spiritus gratiæ.* Ergo.

Probatur 3. Ratione: Si S. Scriptura in aliqua parte falſa inveniretur, poſſet in totum reprobari, nullumque ex illa argumentum eſſet firmum: inſtrumentum enim ex parte falſum, reputatur falſum in totum *leg. ſi ex falſis. C. de transact.* ſed hoc admitti non poteſt: ergo.

OBJECTIONES.

I. 2. Corinth. c. 17. v. 8. Paulus teſtatur ſe pænitentia affectum, quod Corinthios contriſtaverit prioris Epiſtolæ reprehenſione: ſed qui fatetur pœnitentiam, ſupponit errorem: ergo Apoſtolus Paulus erravit.

II. Paulus fatetur ſe inſipienter, & in inſipientia fuiſſe locutum 2. ad Corinth. c. 11. v. 17. ubi dicit: *quod loquor, non loquor ſecundum Deum, ſed quaſi in inſipientia:* ſed hoc fieri non poſſet, niſi Apoſtolus exiſtimaret ſe in rebus ſaltem levioribus erraſſe: ergo.

III. Paulus in eadem Epiſtola dicit ſe omnibus plus laboraſſe, & errorem ſuum agnoſcens ſtatim ſubjungit: *non autem ego, ſed gratia Dei mecum:* ergo.

IV. Apoſtoli ex proprio genio varia ſcripſerunt: ergo ſaltem in iis potuerunt errare. ant. prob. Paulus ſcribens ad Corinthios

thios clare fatetur, eorum, quæ ſcribit, aliqua eſſe præcepta Domini, & aliqua non Domini ſed ſua: atqui præcepta ab Apoſtolo ut ſua tradita debuerunt eſſe proprio genio Scripta: ergo. maj. prob. ex 1. ad Corinth. c. 7. v. 10. ubi ait: *iis, qui matrimonio juncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus* & v. 12. dicit: *Cæteris ego dico non Dominus:* ergo.

V. Indignum videtur tribuere Spiritui S. ſcriptionem aliquorum levium, quæ in ſcriptura habentur: v. g. quod canis ſecutus fuerit Tobiam peregrinantem, quod caudam moverit, quod Timotheus deferret Paulo penulam, quam Troade reliquerat, quod ſolus lucas manſerit cum Paulo, quod Timotheus modico vino uteretur propter ſtomachum, quæ nil faciunt ad fidem, vel mores: ergo.

VI. Non omnia, quæ in libris ſacris habentur, ſunt ex inſtinctu Spiritus S. ergo. ant. prob. ſi omnia, quæ in S. libris continentur, eſſent ex inſtinctu Spiritus S. jam illa jure Divino eſſent credenda & obſervanda, nec Eccleſia illa poſſet commutare: atqui habetur contrarium: ergo. min. prob. Paulus præcipit bigamos non eſſe ordinandos Epiſcopos; dicit enim: *oportet Epiſcopum eſſe unius uxoris virum:* & dicit Evangelium, Apoſtolos fuiſſe miſſos ad baptizandum in nomine SS. Trinitatis: atqui Eccleſia quandoque diſpenſavit cum bigamis, & aliquo tempore permiſit baptiſmum in nomine Chriſti: ergo.

VII. Matth. c. 23. v. 35. dicitur: *A ſanquine Abel juſti uſque ad ſanquinem Zachariæ filii Barachiæ:* atqui in illo loco continetur error: nam S. Hieron. lib. 4. Comment. in cap. 23. Matth. dicit: *obſervandum quod ille Zacharias non ſit filius Barachiæ, ſed filius Jojadæ Sacerdotis: unde & ſcriptura refert 2. Par. c. 24. v. 22. Non fuit recordatus Joas Patris ejus Jojadæ, quia ſibi feciſſet bona - - - quærimus quare Barachiæ dicatur filius, & non Jojadæ:* ergo.

VIII. Spiritus S. non liberavit Apostolos in scribendis libris suis ab omni errore: ergo. ant. prob. Paulus redarguit Petrum, quod cogeret gentes judaizare. Idem Paulus 1. ad Timoth. c. 2. v. 11. dicit: *in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat.* Item Actor. c. 15. dicitur: Paulum dissensisse à Barnaba: atqui hæc fieri non potuerunt nisi uno vel alio errante: ergo.

IX. Matth. c. 5. continetur error: dicit enim, quod Christus dixerit: *dictum est, diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum*: atqui Christus dicere non potuit hoc fuisse dictum, cum odium inimicorum sit contra legem naturæ: ergo.

X. Lucas ait. Patriarchas translatos esse in Sichem in sepulchro, quod emit Abraham: atqui sepulchrum, quod emit Abraham, non fuit positum in Sichem, sed in Hebron, uti habetur Gen. c. 23. Ergo.

XI. Lucas rursum addit, Abraham sepulchrum emisse à filijs Hemor filij Sichem: atqui hic non unus sed geminatus reperitur error: nam primo Abraham non emit sepulchrum à filiis Hemor, sed ab Ephron Hetheo filio Seor duplicem speluncam emit, Gen. c. 23. Secundo Hemor non fuit filius Sichem, sed Sichem fuit filius Hemor, dicitur enim Gen. c. 33. emit (Jacob) partem agri, in qua fixerat tabernaculum à filiis Hemor Patris Sichem centum agnis: ergo.

SOLUTIONES.

AD I. dist. maj. Paulus testatur se pænitentia affectum vere & à parte rei, neg. maj. in supositione, transeat maj. quia Apostolus clare dicit: *etsi pæniteret*: quæ verba non sunt pænitentis, sed aliquid supponentis, vel concedentis. Ex quo non potest colligi, Apostolum fateri errorem à se commissum in priori sua Epistola, quia addit: *etsi ad horam vos contristavi, nunc gaudeo*: Apostolus autem gaudere non posset de errore à se commisso.

Ad II. Apostolum non fateri se in hoc capite fuisse insipienter locutum, sed quod Corinthii possent ipsum insipientem reputare: quia se ipsum, quod quandoque insipientium est, laudat; cum tamen se ipsum ex rationabili causa laudaverit, ut explicat S. Th. lib. 4. in hunc locum.

Ad III. Apostolum non agnovisse se errare dicendo hæc verba, plus omnibus laboravi, cum clare dicat: *non sumus sufficientes aliquid cogitare ex nobis:* sed ne aliqui incaute cogitarent se in prioribus verbis de suis viribus gloriasse, se ipsum explicat addens: *non autem ego, sed gratia Dei mecum.*

Ad IV. Apostolum nullatenus velle innuere, quod aliqua proprio instinctu Corinthiis ponat præcepta: sed hanc inter utrumque præceptum ponit distinctionem: quod primum præceptum v. 10. Dominus proprio ore dederit, nempe Matth. c. 19. secundum autem præceptum v. 12. non habuerit ex ore proprio Christi, sed ipsi à Deo fuerit inspiratum. Ita D. Th. in hunc locum lect. 2. ubi dicit: *Præcipio non ego, scilicet indicta mihi authoritate, sed Dominus hoc præcipit, dicens Matth. c. 19. quos Deus conjunxit, homo non separet;* quando autem addit Apostolus, *cæteris ego dico non Dominus*, intelligendum est, *non Dominus dixit hoc proprio ore, ac si dicat: & hoc dico ex Deo, licet ipse non dicat hoc ore proprio.*

Ad V. dico 1. hæc non esse tam levia, ut objicientes putant, cum gravia contineant morum documenta, ut videre est apud interpretes. 2. respondet S. Hier. in proœmio in Epistolam ad Philemonem idem argumentum sibi objicienti: *quod si non putant esse parva, quorum & magna sunt, alterum mihi conditorem juxta Valentinum, Marcionem formicæ, vermium, culicum, locustarum: alterum cœli, terræ, maris, & Angelorum debet introducere. An potius ejusdem potentiæ est ingenium, quod in majoribus exerceris, etiam in minoribus non negare.* 3. dist. ant. Indignum videtur, si hæc juxta humanum captum expendamus, conc. ant.

ant. ſi inſcrutabilia Dei judicia conſideremus, neg. ant. Non eſt indignum Deo attribuere creationem vilium animalium: ergo nec indignum judicari debet attribuere Spiritui S. Scriptionem rerum, quæ humano captui videntur minimi momenti.

Ad VI. Neg. ant. ad prob. diſt. maj. jam. omnia jure Divino eſſent obſervanda tanquam præcepta perpetua, neg. maj. tanquam præcepta temporaria, Conſilia, vel inſtructiones morales, conc. maj. Ex eo enim non bene ſequitur, omnia ſcripta ſunt ex dictamine Spiritus S. ergo omnia ſtatim ut præcepta jure divino ſunt ſervanda: Spiritus S. ſiquidem dictavit præcepta ſtricte dicta, quorum aliqua ſunt perpetua, aliqua temporaria, dictavit conſilia, dictavit inſtructiones morales: inter quæ cum magna ſit differentia, poteſt Eccleſia infallibili Spiritus S. inſpiratione gubernata diſpenſare, & illa immutare juxta rerum exigentiam.

Ad VII. S. Hier. loc. cit. non loqui aſſertive, ſed dubitative: varias enim circa hunc locum affert explicationes, & nullam proponit ut certo ſequendam, quod dubitantis animi eſt ſignum. 2. Dato hoc loco contineri errorem, ſic hic locus non eſt S. ſcriptura vere, cum error ille non poſſit dici dictatus à Spiritu S. ſed contigit ex ſcribentium vel negligentia, vel inanimadvertentia. Eſſe autem hoc loco errorem videtur inſinuare S. Hier. cum addat verbis citatis: *cum ergo Zachariam teneamus, & occiſionis conſentiat locus, quærimus, quare Barachiæ dicatur filius, & non Jojadæ?* & reſpondet: *Barachia linqua noſtra benedictus Domini dicitur, & Sacerdotis Jojadæ juſtitia Hebræo nomine demonſtratur. In Evangelio, quo utuntur Nazareni, pro filio Barachiæ filium Jojadæ reperimus ſcriptum.*

Ad VIII. Diſt. min. atqui hæc fieri non potuerunt niſi uno vel alio errante in ſcribendo ſcripturam S. neg. min. in facto aliquo, tranſeat min. Dico tranſeat, quia hoc ad præſentem difficultatem non ſpectat, utrum Apoſtoli in aliquo facto erraverint? ſed ſufficit, quod in ſcribendo ſcripturam S. nullum

commiserint errorem: error enim talis non tribueretur scriptori, sicut in facto (de quo procedit argumentum) tribueretur Apostolis, sed Spiritui S. quod cum impium sit, à Scriptoribus sacris Spiritum S. omnem præservasse errorem est dicendum.

Ad IX. Dist. min. atqui Christus dicere non potuit hoc fuisse dictum ad declarandum odium inimicorum in antiqua lege esse præceptum, conc. min. ad redarguendam pravam interpretationem Judæorum, qui hoc male ex antiqua lege interpretabantur, neg min. In lege ergo veteri fuit dictum: *Diliges proximum tuum*: quia vero Deut. c. 25. legebant Judæorum Doctores, à Deo mandatum esse Judæis, ut gentium urbes delerent, imo ipsum quoque nomen earum, quod etiam in libris Regum præceptum, & executioni mandatum noverant, & aliunde videbant Moysen nihil aliud ab ipsis exegisse, nisi ut amicos diligerent: ideo inferendum putabant, non esse diligendos inimicos: quorum falsam illationem hic tacite redarguit Christus. Solutio est D. Th. qui in 3. dist. 30. q. 1. a. 1. idem sibi objicit, & ad illud ad 2. ita respondet: *quod in lege veteri etiam homines tenebantur ad dilectionem inimicorum, sicut patet per authoritatem Levitici inductam c. 19. v. 18. Unde cum dicitur: odio habebis inimicum tuum, non est ex lege sumptum, quia nusquam hoc in litera invenitur, sed est additum ex prava interpretatione Judæorum, qui ex eo, quod præcipiebatur dilectio proximi, concludebant, quod inimici essent odiendi*: Idem habet Glossa ordinaria: *Sciendum est, in toto corpore legis non esse scriptum, odio habebis inimicum tuum: sed hoc dicitur, quantum ad traditionem scribarum.*

Ad X. Cum Venerab. Beda, Rabano, & Melchiore Cano dico: quod S. Stephanus, cujus narrationem Lucas cit. loc. refert, non tam ordinem circumstantiis historiæ, quam causam, de qua agebatur, intenderit. Imo Venerab. Beda verecunde & modeste significat, Stephano id, quod vulgo fere solet accidisse, ut in longa videlicet narratione, eademque præsertim

subita

ſubita, nonnulla confuderit, & miſcuerit, in quibusdam etiam memoria lapſus fuerit, ſed in his duntaxat, quæ ad rem parum aut nihil omnino attinerent, nam cauſæ, de qua potiſſimum agebatur, intentus erat. Lucas vero hiſtoriæ veritatem retinere volens, ne jota quidem immutavit, ſed rem à Stephano narratam expoſuit.

Dices: Ergo Stephanus paſſus eſt lapſum memoriæ ſaltem in re levi. ℞. Non Stephanum, ſed Evangeliſtam ab omni lapſu vindicari debere: ex ratione, quia ſolis Apoſtolis, Prophetis & Evangeliſtis hunc honorem deferre catholica Fide docemur, ut nullum eorum vel memoria lapſum eſſe credamus, nullum nec in magnis nec in parvis erraſſe. Fuit quidem Stephanus plenus Spiritu S. & Spiritus loquebatur in eo; ſed aliter tamen in Prophetis & Apoſtolis, aliter in Stephano locutus eſt: nunquid per Concilium Generale Deus Eccleſiæ loquitur, per Eccleſiæ Paſtores Deus Eccleſiæ loquitur, per veteres Sanctos Deus Eccleſiæ loquitur? & hi tamen omnes in parvis labi poſſunt, memoria præſertim, ubi lapſus eſt facilior. Scriptorum ergo ſacrorum hoc privilegium eſt, ut nullus eorum in ſcribendo erret; Apoſtolorum privilegium eſt, ut nullus eorum in docendo erret; Stephano hoc privilegium nec ratio concedit, nec auctoritas.

Inſiſtes. Tamen S. Lucas Evangeliſta hæc refert: ergo ille memoriæ lapſum paſſus eſſe videtur. ℞. A ſacris Scriptoribus alienum non eſſe, errantium etiam verba referre: ſic enim Jephte Judic. c. 11. trecentos annos poſſeſſionis prætendit, cum revera trecenti non fuiſſent, & tamen Sacer Hiſtoricus trecentos retulit. Ita ſentit quoad hæc omnia Melchior Canus lib. 2. c. 18. per quod patet etiam reſponſio ad XI.

§. III.

Dico 2. Scriptores ſacri ad ſcribenda fidei myſteria, ac determinandas morum regulas ſpeciali quadam revelatione indiguerunt: non vero ad ea, quæ proprio viſu vel auditu certiſſime hauſerunt.

CUm jam in §. 1. inter Notanda dictum ſit, *Inſpirationem* motionem eſſe interiorem à Deo in Scriptore ſacro excitatam, ut ſcribat ea, quæ Deus vult: hanc inſpirationem differre & à *revelatione*, & ab *aſſiſtentia*: à *revelatione* quidem, quia hæc eſt manifeſtatio rei antea ignotæ divinitus facta, & ſtare poteſt ſine illa interiore motione ad ſcribendum: ſicut & viciſſim ſtare poteſt inſpiratio ſine præcedente revelatione, uti in concluſione hac dicimus in caſu, quo Sacer ſcriptor inſpirante Deo aliquid ſcribit, quod ipſemet aut egit, aut vidit, aut audivit: quibus in circumſtantiis, ut infra probabimus, nulla ipſi opus eſt revelatione. Ab *aſſiſtentia* vero, cum aſſiſtentia non ſit ejusmodi motio interior, hoc eſt, à Deo in ſcriptore excitata ut ſcribat, quæ Deus ſcribi vult, aut intus ipſi loquitur, ſed ſpeciale ſolum auxilium Dei, vi cujus ſcriptor adjutus nihil ſcribit, niſi quod verum eſt. Jam ergo

Probatur 1. pars Concluſ. Auctores Sacri Myſteriorum fidei, & eorum omnium, quibus homines ad finem ſupernaturalem perducerentur, exactam notitiam habuerunt: ſic Iſaias prædixit, quod Virgo eſſet paritura, quod Chriſtus multa paſſurus eſſet: Daniel prædixit in medio hebdomadæ Chriſtum occidendum: Zacharias triginta argenteis à diſcipulo tradendum vaticinatus eſt; atqui horum aliorumque, quibus homines ad finem ſupernaturalem perduci, atque dirigi oportet, non aliunde quam ex revelatione habere notitiam potuerunt: nulla enim qualiscunque induſtria humana propriis

natu-

naturæ viribus rerum ſupernaturalium notitiam aſſequi poteſt: ergo ad hæc ſpeciali quadam revelatione divina indiguerunt.

Probatur 2. Pars Concluſ. Quando rerum ſeries aliunde jam perſpecta habebatur, v.g. Si Auctores Sacri propriis oculis quædam viderunt, auribus audierunt, ipſimet egerunt, tunc revelatione opus non erat: ſed Auctores Sacri multa, quæ ſcripſerunt, propriis oculis viderunt, ut Moyſes Ægyptiorum plagas, Joſue Iſraelitarum victorias in ingreſſu terræ promiſſionis: S. Joannes Chriſtum pendentem & morientem in cruce: vel à teſtibus fide dignis didicerunt: ergo ad hæc ſcribenda illis revelatione opus non erat. Maj. conſtat ex illo Joan. Epiſt. 1. c. 1. v. 1. dicentis: *quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectaverunt, teſtamur, & annuntiamus.* Item ex Luca, qui c. 1. v. 2. ea ſe ſcribere teſtatur, quæ ab illis ſibi tradita fuerunt, *qui ab initio viderunt, & miniſtri ſermonis fuerunt.* Ergo.

Ex his ſequitur: neque revelationem neceſſariam fuiſſe, ut narraretur, quomodo Tobiæ canis blandiente cauda herum ſuum anteverterit. Quomodo Auctor libri 2. Machab. ea, quæ à Jaſone Cyrenæo 5. libris fuſius ſcripta & enarrata fuerant, ipſe contraxerit, & uno breviore volumine collegerit. Quomodo S. Paulus moneat Timotheum, ut penulam, quam reliquerat Troade apud Carpum, veniens ſecum adferret, ut fideles ſalutaret, &c.

§. IV.

Dico 3. Scriptores Sacri in omnibus, quæ ſcripſerunt, præter ſpecialem aſſiſtentiam Spiritus Sancti, etiam ejusdem ſpeciali inſpiratione affecti erant: etiam ad ea, quæ viſu, auditu, aut narratione ab aliis Prophetis facta certiſſime hauſerunt.

Pro-

PRobatur 1. Pars 1. Ex Scriptura. Psal. 44. Scriptor Canonicus comparatur *calamo scribæ velociter scribentis*, hoc est, calamo Spiritus S. ut S. Greg. L. 1. Moral. interpretatur. Psal. 86. *Dominus narrabit in Scripturis.* Item in Prophetis sæpius legimus: *hæc dixit Dominus Deus.* S. Petrus c. 1. v. 22. ait: *non voluntate humana allata est aliquando Prophetia*, id est, S. Scriptura, *sed Spiritu S. inspirati locuti sunt Dei homines*, græce legitur, *Spiritu S. acti & impulsi.* S. Paulus 2. Timoth. c. 3. inquit: *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum.* Item ad Rom. c. 3. Scripturam eloquia Dei appellat: ergo

Probatur 2. Ex constanti traditione: In Symbolo Constantinopolitano dicitur de Spiritu S. qui locutus est per prophetas. S. Ignatius Epist. ad Magnesianos. S. Justinus Apol. 2. S. Clemens Alexandrinus in admonitione ad gentiles. S. Hieronymus Præfat. in Epist. ad Philemonem. S. P. Augustinus lib. 18. de Civit. Dei c. 38. Et alii docent, Scriptores Sacros ad scribendum fuisse inspiratos, motos & impulsos. Ergo.

Probatur 3. Nomine S. Scripturæ intelligimus verbum Dei Scriptum: atqui si non esset inspirata à Deo, sive quod idem est, Sacris Scriptoribus dictata, neutiquam foret Verbum Dei saltem formale, & proprie tale: siquidem hoc requirit, aut supponit locutionem Dei, qua absente jam non amplius Verbum Dei, sed verbum hominis erit, ut cuivis cogitanti palam est: ergo cum nomine S. Scripturæ nil aliud intelligamus quam Verbum Dei Scriptum, negari nequit, illam esse à Deo Sacris Scriptoribus inspiratam: ergo. Hinc S. Paulus 1. Thessal. c. 2. v. 13. ait. *Gratias agimus Deo sine intermissione, quoniam cum accepissetis à nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed verbum Dei.*

Probatur 2. Pars Conclus. 1. Sublata inspiratione Deus Auctor verbi illius dici non posset, nisi remote solum, quatenus videlicet primitus revelasset: atqui hoc implicat: ergo.

Pro-

Probatur 2. Auctores ſacri in ſcribendo delectum quendam adhibere debuerunt, nec continuo calamis omnia credere, quæ ipſis quocunque modo manifeſtata fuiſſent: imo nec potuiſſent, cum vel à ſolo Salvatore noſtro tam multa inter Apoſtolos degente geſta ſint, ut juxta illud Joan. c. ult. ſi ſcribere vellent, totum orbem implerent: atqui hic delectus non potuit haberi à revelatione divina, quia multa ſunt revelata, quæ ſcribi nunquam potuerunt: non etiam ab arbitrio ipſius Scriptoris, quia alias Divinus non eſſet: ergo ab inſpiratione quadam ſpeciali, quæ revelata à revelatis diſcernat, facta à factis ſegregaret, ſcribenda præ non ſcribendis determinaret: ergo.

Dictum fuit in Concluſione: Præter ſpecialem aſſiſtentiam Spiritus S. etiam ſpeciali ejuſdem inſpiratione affecti erant: quia licet in Auctoribus ſacris ſpecialem Spiritus S. aſſiſtentiam requiramus, ne in actuali exercitio ſcriptionis error irrepat: nihilominus tamen hæc ſola minime ſuffeciſſet: nam alias etiam decreta ſummorum Pontificum ex cathedra loquentium, Canones Eccleſiæ & Conciliorum Oecumenicorum, in quibus condendis æque adeſt Specialis Spiritus S. aſſiſtentia, forent verbum Divinum: quod tamen dici nequit, cum ortum ſuum puræ creaturæ in acceptis referant. Ex his

Jam infertur, S. ſcripturam pro Authore habere Deum: ſive enim materiam, quam S. Scriptura continet, ſive modum, quo per tot ſæcula florentiſſime fuit propagata, attendamus, utrinque illuceſcit, illam non poſſe alium habere Authorem, præterquam Deum. Materia quam continet, ſunt ſanctiſſima morum documenta, myſteria profundiſſima, & prophetiæ arcaniſſimæ, quas multo ante prædictas ſuis jam temporibus mirabili cum conſenſu impletas cernimus, & adhuc implendas eſſe, dubitare ex iis, quæ ſuum ſortitæ ſunt effectum, non amplius poſſumus. Modus propagationis illius eſt omnino mirabilis ac Divinus. Divulgata eſt per totum terrarum orbem, & quidem

potissimum ope hominum inopum, cæteroquin rudium, non vi aut occultis artibus, sed simplici prædicatione, quod jure prodigium, miraculumque censeri debet. Hæc profecto sunt, quæ nonnisi dextera excelsi operari potuit: adeoque S. Scriptura pro Authore habet Deum.

Dices 1. Si S. Scriptura habet pro Authore Deum, & est divinitus inspirata, vel est inspirata quoad omnia, quæ in ipsa continentur, vel duntaxat quoad aliqua? non quoad aliqua: hæc enim præ aliis non possunt determinari. Non quoad omnia, quia plurima in ea existunt, quæ quia sunt communia nonnunquam sensui adversa, & forte non adeo pia, à Deo, qui amat pietatem, & majestatem, S. scriptoribus dictata, aut inspirata fuisse fidem superat: v. g. colloquium serpentis cum Eva, & loquela Asinæ Balaam: cantica canticorum, & maledictiones in psalmis Davidicis passim occurrentes: ergo. ℞. S. scripturam quoad omnia esse inspiratam, id est, non tantum quoad abstrusiora fidei mysteria, sed etiam quoad res levioris momenti, & mere historicas: alias S. scriptura innumeris exceptionibus foret obnoxia, præsertim apud eos, qui foris sunt, & Ecclesiam non audiunt: quivis enim posset, & vellet excipere præcipue in rebus, quæ captum nostri intellectus transcendunt, eas non esse à Spiritu S. inspiratas: ex quo sequeretur, S. scripturam non amplius esse inconcussam fidei regulam. Colloquium serpentis cum Eva, & asinæ cum Balaam equidem communi sensui adversum videtur, quatenus novimus nec serpenti, nec asinæ convenire vocis humanæ usum: ruit tamen suspicio falsi, si perpendimus, non serpentem, sed in serpente locutum dæmonem primum mendacem, ut insinuat S. Joan. in suo Evang. c. 8. v. 44. Non asinam, sed in asina Angelum, ut ipse contextus Numer. c. 22. v. 28. &c. manifestat, locutum fuisse. Cantica canticorum sunt dulce epithalamium sanctarum nuptiarum Christi cum Ecclesia, hinc non debent in sensum reprobum detorqueri. Davit autem

Psal-

Psaltes Regius loquitur in nomine, cujus est retribuere, & ulcisci.

Dices 2. S. scriptores multa suis scriptis inseruere, quæ proprijs viderunt oculis, propriisque tractarunt manibus, ut S. Lucas testatur in exordio sui Evangelii: & S. Joan. c. 1. ergo hæc ut scriberentur, non requirebant inspirationem. ℞. Exinde plus inferri non posse, quam quod ejusmodi res sint quidem scriptæ sine revelatione, non item sine inspiratione. Quæ ex S. Luca & Joanne adferuntur, non obstant: hi enim ideo ab humana notitia propriis sensibus vel testibus hausta sibi fidem conciliarunt, ut Ethnicos facilius ad Christi fidem adducerent, ab his enim, si se divinitus inspiratos dixissent, cum inspiratio Divina ipsis penitus ignota fuerit, nullam fidem habuissent, imo potius sibilo explosi fuissent.

Dices 3. Leges & ritus à Moyse introducti, item festa, & sacrificia Hebræorum ab Ægyptiis profluxerunt, quorum sapientia Moyses in aula Pharaonis educatus imbutus erat: sic ritus circumcisionis, ut testantur Herodotus, & Diodorus siculus, nec non complura festa Hebræis cum Ægyptis communia erant: item præcepta moralia, quæ Moyses in Decalogum intulit, fere omnia Ægyptiis injuncta erant: quin & sacrificia Judæorum non à Deo, sed re ipsa à gentium ruditate, cultuque superstitioso Ægyptiorum promanarant: ergo Moyses à Deo ad illa scribenda inspiratus non fuit. ℞. Omnia in argumento adducta esse potius deliria: quia Moyses in nullo Pentatevchi libro memorat Hebræos ea omnia Ægyptiis debere, quæ in Exodo aut Levitico tam accurate præscripta sunt, quin potius refert à Deo cautum fuisse, ne Hebræi Ægyptiacos ritus amplexarentur, ut legitur Levit. c. 18.

§. V.

Dico 4. Omnes ſententiæ, & ſingulæ veritates, ſeu ſint dogmata fidei atque morum: ſeu ordinationes judiciorum, ſacrificiorum atque rituum, ſeu præteritorum temporum hiſtoriæ, vaticinia & futurorum prædictiones, ſeu denique leges atque præcepta, quibus homines â vitiis retracti ad virtutem informantur, â Deo Sacris Scriptoribus ſunt inſpirata.

PRobatur 1. Auth. S. Scripturæ. Ad Hebræ. c. 2. dicitur: *Multifarie, multisque modis olim Deus locutus eſt Patribus in Prophetis.* Luc. c. 1. *Deus locutus eſt per os ſanctorum, qui à ſæculo ſunt Prophetarum ejus.* S. Petrus Epiſt. 2. c. 1. *Omnis Prophetia ſcripturæ propria interpretatione non fit, non enim voluntate humana allata eſt aliquando prophetia: ſed Spiritu S. inſpirati locuti ſunt Sancti Dei homines.* S. Paulus 2. ad Timoth. c. 3. v. 16. *Omnis Scriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum &c.* ergo.

Probatur 2. Ex SS. Patribus: S. Irenæus lib. 2. adverſus hæreſes c. 47. inquit: *Scripturæ quidem perfectæ ſunt, quippe à verbo Dei & Spiritu ejus dictatæ.* Tertull. lib. de habitu muliebri c. 3. *Legimus omnem Scripturam ædificationi habilem divinitus inſpirari.* S. Chryſoſt. Hom. 21. in c. 5. Genes. *Nihil hic Scriptum eſt, quod non multas habeat ſenſuum divitias, quando quidem divino Spiritu afflati Prophetæ locuti ſunt, ita uti à Spiritu S. ſcriptæ, ingentem in ſe continent theſaurum.* Et S. P. Auguſt. lib. de conſens. Evang. c. 12. *Si in ſacro quovis libro unaquælibet falſitas reperitur, totius libri certitudo interit*: Sed hoc ſecundum dicendum non eſt: ergo nec primum; ſubſ. ſed ſi non reperitur falſitas, omnia ſunt à Spiritu S. utpote Spiritu veritatis dictata: ergo.

Probatur 3. Ratione: Scripturæ ſacræ libri communiter dicuntur Verbum Dei, ſeu eloquia Dei: ſed non poſſent ita no-

nominari, si non inspirante Deo conscripti fuissent: nam verbum Dei, seu eloquium Dei non aliter sumere possumus, nisi quod Deus ea, quæ in mente sua Divina concepit, locutus fuerit per Sacros scriptores, atque ea ipsa iisdem Scriptoribus dictaverit: si enim Spiritus S. tantum adstitisset S. Scriptoribus, ut nihil nisi veritati conforme scriberent, tunc vere Scriptura illa tantum erit verbum hominis, non verbum Dei: si enim quis alicui tantum assisteret, nullus dicet, illud verbum scriptum esse proprie verbum assistentis. Ergo. Applicentur huc etiam probæ prioris §.

Objectiones sunt sequentes.

I. SCriptores Sacri in novo testamento nonnunquam allegant, quæ ita non habentur in antiquo: vel aliter quidpiam refertur ab uno Scriptore, quam ab altero: ergo non videntur in omnibus, quæ scripserunt, fuisse à Deo afflati seu inspirati. Ant. prob. Matth. c. 2. v. ult. citat aliquod testimonium à Prophetis dictum, quod tamen in nullo Propheta legitur: *quoniam Nazaræus vocabitur:* quæ verba in nullo Prophetarum libro leguntur. Item idem Evangelista Jeremiam pro Zacharia posuit, dum ait: *tunc impletum est, quod dictum est per Jeremiam Prophetam dicentem: & acceperunt 30. argenteos* &c. Quæ prophetia non in Jeremia, sed Zacharia reperitur: ergo.

II. Marcus in Isaia scriptum affirmat, quod in Malachia est: nam cap. 1. hæc verba leguntur: *Sicut scriptum est in Isaia: Ecce ego mitto Angelum meum:* quæ verba non in Isaia, sed Malachia habentur: ergo.

III. S. Marcus c. 14. v. 25. Christum hora tertia crucifixum narrat, qui tamen juxta Joan. c. 19. hora fere sexta à Pilato judicatus est: ergo.

IV. Numer. c. 14. v. 29. & 30. dicitur: quod nullus

Israelitarum natus ultra viginti annos ingressurus sit terram promissionis præter Caleb & Josue, & tamen constat ex libro Josue c. 17. Eleazarum Sacerdotem tunc viginti annis majorem ingressum esse terram hanc: ergo.

V. Matthæus Christi Genealogiam ducit à David per Salomonem Davidis Filium: Lucas vero c. 3. eandem ordine retrogrado genealogiam ducit ad David per Nathanem alterum Davidis filium, ait enim, *qui fuit Mathatha, qui fuit Nathan, qui fuit David:* ergo.

VI. Matthæus Josepho patrem assignat Jacob, scribens: *Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ.* Lucas vero Josepho patrem tribuit Heli, scribens: *Joseph qui fuit Heli, qui fuit Mathat.* Ergo.

VII. Genealogia Christi, quam Matthæus affert, cum historia veteris testamenti non consonat, dicit enim hic Evangelista, Joram genuisse Oziam, ubi tamen 4. Reg. c. 24. dicitur, quod Joram genuerit Ochoziam, Ochozias genuerit Joas, Joas genuerit Amasiam, Amasias genuerit Oziam: ergò Matthæus tres gradus genealogicos omisit: ergo.

VIII. S. Lucas texendo genealogiam Christi dicit, Cainan filium fuisse Arphaxad, Sale autem filium Cainan; constat vero Genes. c. 11. Sale non ipsius Arphaxad nepotem fuisse sed filium, nullamque inter hos mediam generationem intercessisse: ergo superflua est in genealogia Christi una generatio: ergo.

IV. S. Matthæus ait: Josias genuit Jechoniam: & 4. Reg. c. 24. dicitur: quod Josias genuerit Joachim, Joachim vero Jechoniam: ergo unum gradum genealogicum Matthæus omisit: ergo

X. Si Scriptores Sacri in omnibus, quæ docuerunt, vel scripserunt, fuissent divinitus inspirati, debuissent Christiani Antiocheni absque ulla hæsitatione credere Paulo & Barnabæ, qui docebant legales Judæorum ceremonias post passionem Christi

ſti Domini fuiſſe abrogatas: atqui non crediderunt, ſed exortam illam legalium quæſtionem detulerunt ad Eccleſiam Hieroſolymis congregatam, ut in hoc Conſilio hæc quæſtio dirimeretur: ergo.

XI. S. Paulus ad Galat. c. 2. teſtatur, ſe perrexiſſe ad Eccleſiam, quæ Jeroſolymis erat, ut cum ea doctrinam, quam prædicabat, conferret, illius judicio probandam: ergo ipſe S. Paulus videtur ſenſiſſe, non omnia, quæ docebat, ſibi fuiſſe à Deo inſpirata; alias enim non poſtulaſſet, ut Evangelium, quod Gentibus prædicavit, auctoritate Eccleſiæ comprobaretur. Ergo.

XII. Gen. c. 4. v. 15. refertur, quod Deus promiſerit Caino, eum non occidendum fore, tamen conſtat, ipſum poſtea à Lamecho fuiſſe è vivis ſublatum: ergo.

SOLUTIONES.

AD I. Neg. ant. ad prob. 1. dico cum S. Hieron. quod S. Matthæus nullum ſpeciatim citans Prophetam ſolum indicare voluerit prædictum fuiſſe ab omnibus Prophetis Meſſiam, ſeu JEſum Chriſtum fore Sanctum, & Nazaræorum more Deo conſecratum iri. Ad alterum dico cum S. P. Auguſtino, divino plane Conſilio factum fuiſſe, quod Evangeliſta Jeremiam pro Zacharia poſuerit, ut inde innoteſceret, omnes Prophetas uno eodemque Spiritu ita inter ſcribendum fuiſſe afflatos, ut quæcunque per eos Spiritus S. dixit, & ſingula ſint omnium, & omnia ſingulorum. Sunt, qui ad hunc locum reſpondent, errorem ex parte libraii interveniſſe, qui Jeremiam pro Zacharia poſuit. Sunt & alii dicentes, locum citatum & Jeremiæ, & Zachariæ eſſe, ſed non amplius in ſcriptis Jeremiæ, quæ ſuperſunt, inveniri, eo quod vel Judæi illum nequiter expunxerunt, vel alio caſu interierit.

Ad

Ad II. Verba illa: *sicut scriptum est in Isaia*, non referri ad omnia ea, quæ sequntur, sed ad illa tantum, *vox clamantis in deserto* &c. quæ apud Isaiam c. 40. reperiuntur; illa vero *ecce ego mitto Angelum meum*: Evangelistam addidisse, quod jure facere potuit, quamvis eadem in alio Propheta reperiantur.

Ad III. Dico cum S. Th. 3. p. q. 46. a. 9. ad 2. ex S. P. August. l. 3. de consens. Evang. c. 13. Juxta Marcum hora tertia Christum Crucifixum fuisse clamoribus Judæorum: juxta Joannem vero hora quasi sexta facto militum. 2. dico, Marcum intelligere horam tertiam non incipientem, sed jam vergentem ad finem, & accedentem ad horam sextam: & sic benè concordatur cum Joanne, qui non dicit Christum Crucifixum hora sexta, sed hora quasi sexta, hoc est hora sexta quidem nondum incæpta, sed jam appropinquante. Unde

Observandum: quod, quemadmodum nox apud Judæos in quatuor vigilias, ita dies in quatuor stationes seu partes divisa sit. Prima diei pars à diluculo exordium sumebat, & durabat usque ad horam diei tertiam, quæ apud nos est hora diei nona matutina, quæ ideo vocabatur prima, eo quodab ea dies initium sumeret. Secunda diei pars incipiebat ab hora tertia, seu ab hora nostra nona, & protrahebatur usque ad horam sextam, hoc est, usque ad meridiem, ac dicebatur hora tertia, quia à tertia habebat exordium. Tertia diei pars incipiebat ab hora sexta, id est, à meridie nostro, & durabat usque ad horam nonam, hoc est, usque ad tertiam nostram pomeridianam, appellabaturque similiter ab hora, unde principium acceperat, hora sexta. Quarta diei statio, seu diei pars incipiebat ab hora nona, seu tertia nostra pomeridiana, & durabat usque ad occasum solis, vocabaturque vel hora nona, vel Vespera.

Ad IV. Solos murmuratores ab ingressu terræ fuisse exclusos, ut liquet ex allegato textu: cum itaque Eleazarus Sacerdos, & plures de Levitis fuerint immunes à murmure, neque etrra promissa eis denegari debuit. Ad

Ad V. & VI. Dico 1. cum Julio Affricano: quod Jacob filium Joseph reipsa genuerit: eundem vero filium sibi legalem adsciverit Heli: lex enim erat Deut. c. 25. ut si frater sine liberis decederet, frater superstes relictam viduam duceret, & semen fratris excitaret. Secundum hanc legem enim, quae *Leviratus* dicta (quia levir mariti fratrem sonat) primogenitus, qui ex secundo illo matrimonio procreabatur, secundum naturam quidem filius mariti secundi erat, quia ab ipso naturaliter genitus: secundum legem tamen prioris mariti filius censebatur; Jam autem Jacob & Heli fratres erant, & sine liberis mortuus est Heli: Jacob frater ejus ducens in uxorem viduam ejus genuit ex illa Joseph: qui filius fuit naturalis Jacob, filius legalis Heli. Hoc modo conciliat Evangelistas Julius Affricanus dicens, quod Matthæus loquatur de filio naturali, Lucas vero de filio legali. Hanc sententiam etiam tenet S. Ambrosius, S. Hieronymus, & S. Thomas. Hæc opinio ab antiquitate sua laudatur. Dico 2. cum Cornelio à Lapide: quod dum Lucas dicit *qui fuit Heli*, non velit, quod Joseph fuerit filius Heli, sed gener Heli, seu Sponsus B. Virginis Mariæ filiæ Heli, aliter dicti Heliachim seu Joachim: indeque fit, quod Lucas non utatur verbo *genuit*, quo utitur Matthæus, sed verbo *fuit*, ut indicet, quod licet Joseph fuerit Heli, non tamen fuerit filius Heli: sicut dum dicitur: *Adam qui fuit Dei*, licet Adam non fuerit filius Dei, sed solum plasma seu opus Dei, quia à Deo non genitus Adam sed plasmatus. Similiter Christus dicitur filius Joseph, licet non sit genitus à Joseph, sed ex eo solum, quod sit filius Sponsæ Joseph, scilicet Mariæ: unde & Joseph dici potest fuisse Heli, licet non fuerit ex Heli natus, sed ex eo præcise, quod sit Sponsus Mariæ filiæ Heli: præsertim cum vir & uxor per conjugium fiat unum, & quasi una persona Civilis, habeantque communia omnia. Hæc opinio etsi recentior est planior, atque ad explicandas difficultates aptior quam

prior. Hæc opinio exhibet 1. Quod Mathan ſit communis Jacobi & Annæ Pater: Avus Joſephi Paternus, Mariæ vero Maternus: Joſephus & Maria Amitini. 2. Quod Eliſabetha ex Sobe Mathanis filia, & Maria ex Anna itidem Mathanis filia ſint conſobrinæ: Eliſabetha & Joſephus Amitini: Jacobus & Joannes cognati in quarto gradu, Jacobus major & Judas cognati Chriſti in tertio gradu. Ex hac quoque opinione & ſententia apparet 1. Utramque genealogiam, Matthæi nempe & Lucæ non tantum putatitie vel legaliter, ſed vere & realiter pertinere ad B. Virginem & Chriſtum: huncque juxta Scripturam 2. Reg. c. 7. v. 12. Item Pſal. 88. v. 37. vere & naturaliter deſcendere ex ſemine Davidis, nempe per Annam intervenientem ex Salomone, per Joachimum ex Nathane: cum tamen in ſententia priori Affricani vel neutra, vel ſaltem alterutra genealogia nil pertineat ad Mariam & Chriſtum, ſed tantum ad Joſephum, qui Chriſti Pater vere non fuit. Aparet 2. S. Lucam texuiſſe genealogiam Chriſti per Avum ejus Heli ſeu Joachim, quæ eſt communis ſententia S. P. Auguſtini, Dionyſij Carthuſiani, Cajetani &c. Apparet 3. B. Virginem utpote unicam Hæredem ex lege nupſerit viro non tantum ex eadem tribu, ſed etiam familia proximo, nempe Joſepho, qui cum Maria ex eadem fuit familia Mathanis, Joſephus Nepos ex patre, Maria neptis ex Matre. Tandem 4. apparet, duplici titulo Chriſtum fuiſſe filium Davidis, jureque duplici in Davidis regnum ſucceſſiſſe, Matthæo è Regis Davidis ſtemmate genealogiam per Salomonem uſque ad Mathanem Annam & Joſephum deducente: Luca vero per Nathanem alterum Davidis filium ſtemma B. Virginis & Chriſti genealogice enarrante. Sed contra hanc ſententiam Cornelij.

Dices 1. Hæc ſententia nullum habet fundamentum in Scriptura, & traditione Patrum: ergo non eſt præferenda utpote nova ſententiæ Affricani, quam antiqui Patres tam Græci, quam

quam Latini amplexi sunt. ℞. Neg. ant. fundamentum ex Scriptura est hoc, quod S. Matthæus expresse dicat se scribere librum generationis JEsu Christi, quod sane satis intelligi non posset, si tam ista, quam S. Lucæ genealogia pertinerent ad Josephum, qui non fuit nisi Pater Christi putatitius.

Dices 2. Incertum est, an B. Anna fuerit filia Mathanis, cum de hoc altum sit in Scriptura silentium, nec probatæ fidei Authoris testimonium adferri possit. Ergo. ℞. Neg. ant. nam ad hoc, quod B. Annam dicamus filiam Mathanis, nos cogit D. Matthæus, qui profitetur se scribere Genealogiam Christi, quæ tamen sine hoc medio nil pertinebit ad Christum, sed Josephum. Præterea falsum est, quod nullum probatæ fidei Authoris testimonium adferri possit: cum Menæum, seu officium Ecclesiasticum Græcorum 8. Septembris in Hymnis & laudibus B. Virginis ipsi Mathani B. Annam, Soben, Jacobum assignet: cui accedunt Cajetanus, Lyranus, S. Hippolythus Episcopus Portuensis & Martyr apud Nicephorum L. 2. c. 3. Imo Cleopham fratrem S. Josephi testatur Hegesippus, qui vixit sub ipsa tempora Apostolorum.

Dices 3. Incertum est, an Heli idem sit ac Eliakim & Joakim: ergo. ℞. Neg. ant. quia Eli per apocopen Hebræis consvetam idem esse ac Eliakim, sive Joakim, patet 1. ex 4. Reg. c. 23. v. 24. Item 2. Paralip. c. 36. v. 4. ubi Joakim Rex Juda vocatur Eliakim. patet. 2. ex Judith c. 4. v. 11. ubi Eliakim Pontifex vocatur Joakim.

Dicet 4. In hac sententia, qua dicitur, quod Heli fuerit Pater Deiparæ, sequitur, quod Christus secundum Maternum solummodo genus descenderit à Davide per Salomonem: secundum Paternum vero genus per Nathanem: sed hoc dici nequit: ergo. min. prob. hoc adversatur antiquissimorum Patrum, & omnium fere Theologorum doctrinæ, qui docent: promissiones Davidi factas de nascituro Messia impletas esse in linea Salo-

lomonis, & non Nathanis: ergo. ℞. Conc. maj. neg. min. ad prob. dist. ant. docent promissiones Davidi factas de nascituro Messia impletas esse in linea Salomonis abstrahendo, an per ramum Maternum vel Paternum, conc. ant. determinate per ramum paternum, neg. ant. & conseq.

Dices 5. Juxta S. Lucam Josephi Pater legalis est Heli, naturalis est Jacob: ergo Heli non est Joakim Pater Mariæ. ant. prob S. Lucas expresse dicit: *Erat JEsus, ut putabatur filius Joseph, qui fuit Heli*, hoc est, filius legalis Heli: nam S. Matthæus studio dicit, Jacob genuit Joseph, ut indicaret parentem naturalem. ℞. Neg. ant. quia tantum sequitur, quod Joseph dicatur fuisse filius Heli in sensu latiori, attamen S. Scripturæ usitatissimo, hoc est, gener Heli, quare etiam S. Lucas usus est verbo *fuit*, non *genuit*, uti Matthæns. Præterea neg. ant. ad prob. neg. ant. & suppos. quod pronomen *qui* referatur ad S. Josephum, sed potius refertur ad JEsum, ita ut sensus sit, JEsus putatus quidem Josephi filius, qui tamen JEsus fuit Heli, hoc est, nepos Joakim: ratio est: quia videtur contra finem Evangelistæ genealogiam Josephi scribere, quem tamen expresse dicit patrem solum putatitium.

Dices 6. Judæis, ut testatur Ambrosius, Hilarius, Hieronymus & alii, nunquam solemne fuit texere genealogias per mulieres: ergo verosimile non est S. Lucam hanc consvetudinem vel nescisse, vel neglexisse: ergo nec ille texuit stemma B. Virginis, sed Josephi. ℞. Dist. ant. nunquam solemne fuit &c. Loquendo de ordinariis circumstantiis, & respectu gentis Judaicæ, conc. ant. loquendo de extraordinariis circumstantiis, & in ordine ad alias gentes, neg. ant. Verum est, Judæis non fuisse in more genealogiam viri per matrem, seu fæminam texere loquendo de ordinariis, & genti Hebraicæ propriis circumstantiis, unde etiam Matthæus, qui suum Evangelium Hebraice, & proprie pro Judæis scripsit, genealogiam texuit per

Jo-

Josephum: sed ex hoc more neutiquam sequitur, quod Lucas in aliis circumstantiis vel non potuerit, vel etiam non debuerit genealogiam Christi per Deiparam texere. Ratio est 1. Quia ille scripsit ad nutum D. Pauli pro gentibus non Hebræis, usus idiomate Græco non Hebraico. 2. Quia ejus finis fuit, Christum ut verum hominem naturali consanquinitatis serie vere & proprie à Patribus descendisse secundum Carnem ex Matre, sed tamen sine Patre, de quo vel maxime dubitaverant gentiles. Ex his

Inferes: Matthæum incipere ab Abraham, & è Regio Davidis stemmate genealogiam Josephi & Christi deducere per Salomonem: Lucam vero per Mathanem alterum ex Bethsabee legitimum Davidis filium: quia finis Matthæi fuisse creditur genealogice demonstrare Messiam ut legitimum Regem descendentem à Patribus juxta promissionem Divinam Abrahamo factam: *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Item Davidi: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Unde descendit ab Abraham per triplicem seriem generationum, 14. nempe Patriarcharum, Regum, Principum populi ac Majorum. Dum contra S. Lucæ finis fuisse videtur genealogice demonstrare Messiam ut verum hominem, descendentem à Patribus & David secundum carnem: hinc genealogiam cepit ab Heli sive Joachim Mariæ parente, ascendendo per Majores usque ad David, Abraham, Adamum, denique & ipsum Deum. Jam ad alias objectiones supra positas

Ad VII. dico cum S. Hilario, quod S. Matthæus volens in tres Tessara decades, hoc est, in ter quatuordecim generationes genealogiam Christi distribuere, sciens omiserit tres Reges, nempe *Ochoziam*, *Joam*, & *Amasiam*: neque propterea falsum dicit à Joram genitum esse Oziam, quia mediate vere genitus est: sicut nos falsum non dicimus prætermittendo plurimos intermedios progenitores Christum vocando filium David. Dico

2. cum S. Th. 3. p. q. 31. a. 3. ad 4. Illam prætermissionem ideo contigisse, quia Joram Rex se miscuit generi impiissimæ Jezabelis & Achab, ex quorum filia Athalia, quam Joram conjugem habuit, prænominati tres Reges originem derivarunt. Statuerat autem Deus 3. Reg. c. 21. per Eliam Prophetam omnem Achabi posteritatem delere: ut igitur memoria iniquissimorum Achab & Jezabelis aboleretur, Matthæus tres illos Reges prætermisit.

Ad VIII. quod Moyses consulto omiserit Cainanem, eo quod decem tantummodo generationes ab Adam usque ad Noe, & totidem à Noe usque ad Abraham numerare decreverit: neque per hoc Moyses falsum attulit, quia non exclusive locutus, sed præcisive, adstruendo enim generationem decimam, non negavit undecimam.

Ad IX. Nullum gradum genealogicum omissum esse à Matthæo, sed duplicem distinqui debere Jechoniam, primum filium Josiæ, dictum etiam Eliackim: alterum hujus ipsius filium dictum eodem nomine Jechoniam seu Joachim. Primum nominat Matthæus, cum dicit, *Josias genuit Jechoniam* (intellige primum) *& fratres ejus in transmigratione Babylonis* nempe Joachimum primogenitum, Sedeciam & Sellum. Alterum indicat, cum subdit: *& post transmigrationem Babylonis Jechonias* (utique non primus post tanti temporis lapsum, sed secundus) *genuit Salathiel.*

Ad X. Dico 1. Quod Christiani illi Antiocheni, qui doctrinæ Pauli & Barnabæ acquiescere noluerunt, fuerint fluctuantes in fide: fuerunt enim turbati à quibusdam Psevdo. Apostolis probabilius Cerintho & Ebione, qui veteris legis observantiam cum Evangelio conjungere moliebantur, quam tamen doctrinam improbarunt, & doctrinæ Pauli & Parnabo adhæserunt, ut primum per Epistolam ab Apostolis Scriptam, quam Judas & Silas detulerunt, informati sunt. Dico 2. Quod

Deus

Deus in ipſo exordio Eccleſiæ permiſerit illud Schisma Antiochenum, ut omnes fideles intelligerent præter revelationem & inſpirationem alicujus doctrinæ, neceſſariam eſſe authoritatem Eccleſiæ declarantis, talem doctrinam eſſe vere revelatam & inſpiratam. Ad Eccleſiæ igitur tribunal in quæſtione de ceſſatione legalium confugerunt Antiocheni, poſteritati exemplum relinquentes, ut deinceps fideles in aliis exortis controverſiis eodem modo ſe habeant, ad Eccleſiam pro dirimendis controverſiis confugiant, & ejusdem decretorio judicio non autem alio ſtent.

Ad XI. Quod S. Paulus mox datam doctrinam voluerit confirmare, dum Evangelium, quod prædicabat, cum Apoſtolis contulit, non quod dubius hæreret Apoſtolus de doctrina ſua, quam probe ſcivit ſibi divinitus eſſe inſpiratam, ſed ut edoceret poſteros, neminem ut ut illuminatum à Deo docere vel prædicare debere, niſi prius ejus doctrinam Eccleſia authoritate, quam à Deo accepit, probaſſet, & roboraſſet.

Ad XII. Cainum occiſum fuiſſe à Lamecho de homicidio nihil cogitante: quod veritati Vaticinii non obeſt: quia Deus Caino plus non promiſit, quam eum non eſſe occidendum à primo occurrente & ex intentione, ut Cainus ſibi metuebat: Lamech autem ipſum occidit de improviſo multo tempore poſt factam Abelis cœdem, adeoque nec à primo occurrente, nec ex intentione interfectus eſt Cainus, ſtante vaticinio ſua veritate. Præterea negari poteſt cum Theodoreto, & Graveſonio, Cainum fuiſſe à Lamecho occiſum: idque non ſine fundamento, cum in Sacris literis nec veſtigium hujus homicidii habeatur, ſed ſi Theodoreto fides, hoc innititur unice quorumdam Rabbinorum traditioni, quæ teſte Cornelio à Lapide non paucis videtur fabuloſa eo, quod S. Scripturæ videatur magnopere adverſari; Deus namque Caino dicenti: *omnis igitur, qui invenerit me, occidet me*: ita reſpondiſſe refertur:

tur:

tur: *Nequaquam ita fiet, qui occiderit Cain, ſeptuplum punietur, poſuitque Dominus Caino ſignum, ut non interficeret eum omnis, qui inveniſſet eum.* Gen. c. 4. v. 14. & 15. Quod promiſſum Dei Caino factum haud ſufficienter ſalvatur, ſi admittatur, Cainum à Lamecho reipſa fuiſſe occiſum.

§. VI.

Dico 5. Singula Verba, imo literæ ac apices literarum Sacris Scriptoribus â Deo ſunt inſpirata, ut proinde vocabulorum compoſitio & ſtylus ad Deum referri debeat.

OBſervandum 1. Verba poſſe aut *materialiter*, aut *formaliter* ſpectari. Materialiter ſpectantur, ſi ſecundum ſonum & figuram ſuam præciſe conſiderantur. Formaliter vero verba ſpectantur, ſi conſiderantur, quantum ad ſenſum ſcripturiſticum conducunt.

Obſervandum 2. Impune aliquem negare poſſe, omnia & ſingula verba materialiter ſumpta fuiſſe inſpirata: quippe noſtra latina Vulgata Scriptura eſt proprie verbum Dei: Similiter Sacerdos latine conſecrans loquitur proprie Verbum Chriſti: quamvis nee Deus in Veteri teſtamento, nec Chriſtus in novo teſtamento verba latina locutus ſit. Dixi *omnia & ſingula*: nam negandum non eſt, ſaltem aliqua eſſe inſpirata, ſcilicet ea, de quibus ex traditione Patrum forte conſtat, quod ſint â Spiritu S. dictata, quia ipſis Myſterium quodpiam peculiare ineſſe agnoſcitur. Ergo præſens concluſio eſt intelligenda de verbis vel maxime formaliter ſpectatis. Quæ concluſio

Probatur 1. Auth. S. Scripturæ. Exod. c. 4. v. 15. Deus Moyſi ait: *Ego ero in ore tuo.* Iſaiæ c. 51 v. 16. *Poſui verba mea in ore tuo.* Ezech. c. 3. v. 17. *Audies de ore meo verbum, & annuntiabis*

tiatis ex me: Matth. c. 10. v. 19. *Nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini.* Joan. c. 14. v. 20. *Spiritus S. quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis.* Matth. c. 10. v. 20. *Non vos estis, qui loquimini, sed Spiritus S. qui loquitur in vobis.* Dein Prophetæ communiter in Scripturis dum loquuntur, utuntur formula. *Hæc dicit Dominus;* vel *sermo Domini ad me factus est dicens:* vel *factum est verbum Domini ad me dicens:* Ergo. Nec obstat: quod illa verba dicantur de loquentibus & prædicantibus. Non inquam obstat, nam & accomodari debent Scriptoribus sacris: sicut enim Deus loquentibus & prædicantibus illa verba dixit, ut homines instruant, ita & illa dixit Scriptoribus sacris, cum & per hos Ecclesiam docere voluerit per sua scripta usque ad finem mundi. Ergo.

Probatur 2. ex SS. Patribus. S. Hieron. Epistol. 103. ad Paulinum de libro Lev. ait: *Singulæ pene Syllabæ - - - spirant cælestia Sacramenta.* Et in cap. 3. ad Ephes. dicit: *Singuli sermones, syllabæ, apices, puncta in Divinis Scripturis plena sunt sensibus.* S. Chrysost. hom. 22. in Genesim docet: *Neque syllaba & apiculus est in sacris litteris, in cujus profundo non sit grandis thesaurus.* S. P. August. Epist. 14. palam profitetur: *Se nullius hominis libris tantum deferre, quantum Divinis litteris, non ob veritatem, quæ par est in utrisque, sed ob verba, phrasimque dictantis, qui est Spiritus Sanctus.* S. Gregor. in Præfat. lib. Moral. exposit. in Job dicit: *Ipse hæc scripsit, qui hæc scribendo dictavit.* Denique S. Bernardus Serm. 72. in Cant. & alii SS. PP. passim docent, ex peculiari Dei consilio factum fuisse, ut unam præ alia vocem Scriptores sacri usurpaverint. Ergo.

Probatur 3. Ex ratione congruentiæ: Scriptura S. est proprie verbum Dei: ergo de essentia Scripturæ S. est, quod Spiritus S. dictaverit omnia & singula verba. Conseq. prob. Juxta S. Th. in 1. dist. 27. q. 2. a 2. De ratione verbi est, quod dicat re-

lationem originis ad dicentem: atqui si Spiritus S. non dictaverit omnia & singula verba, jam Scriptura non dicet relationem Originis ad Spiritum S. tanquam ad dicentem: nam verbum v. g. S. P. Augustini non erit vere & proprie verbum S. P. Augustini, nec ad ipsum dicet relationem originis tanquam ad dicentem, nisi ab ipso immediate procedat: quod enim solum approbat, & assumit, non est proprie ipsius verbum, sed tantum adoptive vel authoritative: ergo.

Confirmatur 1. Res & singulæ sententiæ, ut in priori §. probatum, sunt inspiratæ à Deo Scriptoribus Sacris: ergo. etiam singula verba, quatenus ad sensum Scripturisticum conducunt. Conseq. prob. ut res & sententiæ in S. Scriptura habeant sensum Scripturisticum, id est talem, qui à Deo intentus fuit, erant iis verbis proponendæ, quibus sensus Scripturisticus tribui potest: ergo cum planum sit, solis verbis Divinis, sive iis, quæ à Deo inspirata & dictata sunt, posse proprie tribui sensum Scripturisticum, utique sequitur, etiam singula verba, quatenus ad sensum scripturisticum conducunt, à Deo S. Scriptoribus inspirata esse. Et profecto si singula ita accepta, quibus res & sententiæ in S. Scriptura proponuntur, non sint æque à Deo inspirata, haud apparet, qua ratione illæ res & sententiæ queant vere dici verbum Dei Sacris scriptoribus à Deo dictatum, cum verbum dictatum essentialiter supponat locutionem, seu inspirationem, sine qua non est verbum. Et si est verbum hominis, supponit locutionem hominis: si est verbum Dei, supponit locutionem Dei

Confirmatur 2. Singula verba non sunt paria, sed aliqua magis, aliqua minus significativa. Ergo ea non sunt æqualiter idonea, ut sensum à Deo intentum rite, & eo modo exprimant, quo Deus vult: quia ergo multum refert, ut S. Scriptores exprimant sensum à Deo intentum, & exprimant eo modo, quo Deus vult, omnino decuit, ut Deus etiam ipsa verba

ba ſingula, quatenus ad ſenſum ſcripturiſticum conducunt, ſacris ſcriptoribus ſuggeſſerit, & inſpiraverit.

Confirmatur 3. Ex verborum mutatione non raro contingit ipſum mutari ſenſum, & litteræ appoſitæ corrumpunt verba, imo & apices, nonnunquam & puncta, quod ex Maſſora, & Græcis accentibus liquet, totum ſenſum pervertunt: ergo ſi omnis ſententia à Deo inſpirata eſt, neceſſe eſt inſpirata etiam eſſe verba, imo ſyllabas & litteras, cum litteræ perſæpe punctis & accentibus affectæ conſtent ſyllabas, ſyllabæ conficiant verba, verba autem referant ſententias.

Probatur 4. Communi ſed efficaciſſima ratione. Si à Spiritu S. dicantur tantum ſententiæ inſpiratæ, & non omnia & ſingula verba, jam non erit diſcrimen inter definitiones conciliorum de rebus fidei & morum, & ipſam S. ſcripturam: atqui juxta omnes inter eas eſt diſcrimen: ergo. ſeq. maj. prob. Etiam Spiritus S. aſſiſtit Conciliorum Patribus & Pontifici definientibus aliquid ad res fidei & morum pertinens, ne errent, etiam eis inſpirat veritates inſtruendæ Eccleſiæ neceſſarias: ſed non ſingula verba, ſed hæc eorum arbitrio relinquit: ergo ſi Spiritus S. Scriptoribus ſacris ſolum inſpiret veritates & ſententias, eisque aſſiſtat, ne errent: verba quoque S. Scriptoribus non inſpiret, ſed eorum arbitrio eligenda relinquat: inter definitiones Conciliorum ad fidem & mores pertinentes & S. Scripturam nullum erit diſcrimen.

Confirmatur: Nec in republica profana verba legum relinquuntur arbitrio ſcribarum, aut amanuenſium privatorum, ſed dictari ſolent vel ab ipſo Principe, vel à Principis Miniſtro, & quidem ad literas, ad apicem, ut nempe cautum ſit, ne vis legis aut hebetetur, aut ultra intentum Principis acuatur: ergo magis hoc aſſerendum eſt de lege Divina pro toto humano genere conſtituta.

Quod de verbis formaliter ſumptis hic reſolvimus, hoc ipſum etiam aſſerimus de ſtylo formaliter accepto, nempe diſpoſitione verborum, ornatu, ac coordinatione rerum & ſententiarum conducente ad ſenſum ſcripturiſticum. Imo potuit nonnunquam ſtylus etiam materialiter acceptus à Deo ſpecialiter fuiſſe intentus pro materiarum & ſententiarum varietate, ut adeo nonnunquam intendi debuerit, nonnunquam remitti, aut frangi, in quo caſu & iſte à Deo inſpiratus dici valet. Dixi *in hoc caſu*, & *nonnunquam*: nam quod ſtylus materialiter ſumptus non ſemper fuerit à Deo inſpiratus, ex eo manifeſtum eſſe videtur, quia Sacri ſcriptores ſæpe ſenſum tantum, non verba, verborumque ordinem citant: ſic Moyſes Decalogum aliis verbis, alioque ordine recitat in libro Deuteronomij, ac illum recitat in libro Exodi. Sic etiam Evangeliſtæ Prophetias Vet. Teſtam. allegant. Et licet Chriſtus Dominus tantum unica forma in ultima cæna conſecraverit, eandem tamen Evangeliſtæ ſinguli diverſis phraſibus referunt.

OBJECTIONES.

I. In S. Scriptura reperiuntur plurima verba vitioſa: ergo hæc non ſunt dictata, & inſpirata à Spiritu S.

II. In S. Scriptura reperiuntur plurima verba obſcura: ergo.

III. In S. Scriptura reperiuntur varii ſolæciſmi, & barbariſmi: ergo illi inſpirari non potuerunt à Spiritu S.

IV. Si omnia & ſingula S. ſcripturæ verba eſſent à Spiritu S. Scriptoribus ſacris dictata, tunc unus & idem eſſet omnium Sacrorum ſcriptorum ſtylus: ſed non eſt idem, in quibuſdam enim eſt elegans & ſublimis, ſicut in Isaia: in aliis vero humilis & ſimplex, ſicut in Propheta Amos. Paulus ut docet D. Hieron. melius ſcripſit Hebraice, quam Græce: ergo.

V. Au-

V. Author Ecclesiastici in prologo agnoscens errorem suum dicit: *Hortor itaque venire vos cum benevolentia, & attentiori studio lectionem facere, & veniam habere in illis, in quibus videmur, sequentes imaginem sapientiæ, deficere in verborum compositione: nam deficiunt verba Hebraica, quando fuerint translata ad aliam linquam:* ergo.

VI. Author libri secundi Machabæorum c. 15. v. 39. dicit: *Et siquidem bene, & ut historiæ competit, hoc & ipse velim: sin autem minus digne, concedendum est mihi:* ergo.

VII. Nostra vulgata est scriptura S. sed in ea nullum reperitur verbum à Spiritu S. dictatum: ergo. min. prob. Nullum in nostra vulgata habetur verbum Hebraicum, Chaldaicum, vel Græcum: atqui Spiritus S. illis linquis locutus est, & scripsit per scriptores sacros: ergo.

VIII. Ex Scriptura clare constat, sufficere inspirationem quoad sententias tantum, ut aliquid sit Verbum Dei: ergo. ant. prob. Vox Domini, quæ de cœlo facta est Christo baptizato super aquas Jordanis, hoc modo refertur Matth. c. 3. v. 17. *Et ecce vox de cœlis dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Et de eadem voce Marci c. 1. v. 11. dicitur: *Et vox facta est de cœlis, Tu es filius meus dilectus, in te complacui.* Et Luc. c. 3. v. 22. *Vox de cœlo facta est: Tu es filius meus dilectus, in te complacui mihi.* Similiter de negatione Petri à Christo prædicta dicit Matth. c. 26. v. 24. *Ait illi JEsus: amen dico tibi, quia in hac nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis.* Marcus autem c. 14. v. 30. refert: *Ait illi JEsus; amen dico tibi, quia tu hodie in nocte hac, priusquam gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus.* Et Joan. c. 13. v. 38. *Respondit ei JEsus: animam tuam pro me pones? amen amen dico tibi, non cantabit gallus, donec ter me neges.* Ex his hoc formatur argumentum: illa vox, vel Christi sermo non potuit quoad verba, sed tantum quoad sensum inspirari à Spiritu S. cum illa vox, & Christi sermo di-

versimode ab Evangelistis referantur, ubi tamen certum est, quod illa vox diversimode non insonuerit, nec Christi sermo diversis illis modis fuerit prolatus: ergo.

IX. Ad hoc, ut Scriptura S. sit essentialiter Verbum Dei, non est necessarium, Spiritum S. inspirasse omnia verba: ergo. ant. prob. Liber Judith, prout habetur in nostra vulgata, est Scriptura S. & Verbum Dei: sed illius libri singula verba non sunt à Spiritu S. ergo. min. prob. S. Hier. qui hunc librum, prout illum nunc in nostra vulgata habemus, ex Chaldæo in latinum reddidit, testatur illum non esse conformem suo originali: nam præfat. in Judith, quæ habetur tom. 3. Epist. 111. de translatione hujus libri à se facta ait: *Magis sensum è sensu, quam ex verbo verbum transferens*: ergo.

X. S. Scriptores aliqua ex se ipsis scripserunt: ergo. ant. prob. S. Chrysost. Hom. 49. in cap. 23. Actuum Apost. de Apostolo Paulo dicit: *Iterum humano modo disserit, & non semper gratia fruitur, sed etiam permittitur à se ipso afferre, quod sane & facit*: ergo.

XI. Si Deus Scriptori Sacro revelaret sententias, & relinqueret verba ipsius arbitrio, illa Scriptura haberet omnia, quæ defacto habet Scriptura S. dummodo per assistentiam extrinsecam eum errare non sineret: ergo. ant. prob. Esset firmum fidei nostræ fundamentum & non minus infallibile, quam si Deus omnia verba inspirasset: ergo.

XII. In Scriptura S. reperiuntur plura prophana Ethnicorum dicta, ut v. g. Actuum c. 17. v. 29. illud Arati Poetæ: *Ipsius enim & genus sumus.* Item 1. ad Corinth. c. 15. v. 35. illud Menandri: *Corrumpunt bonos mores colloquia prava.* Item ad Tit. c. 1. v. 13. illud Epimenidis Cretensis Philosophi: *Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri*: sed hæc non videntur à Spiritu S. dictata: ergo.

SO-

SOLUTIONES.

AD I. Neg. ant. quia impræſentiarum loquimur de Hebraica, græcaque editione prima, prout nempe è manibus ipſorum Sacrorum Scriptorum prodiere.

Ad II. S. Scripturam non tantum non carere, ſed abundare verbis obſcuris, cum palam ſit, res plurimas per ænigmata, parabolas, & allegorias proponi. Verum hæc obſcuritas ex una parte commendat non parum dignitatem S. Scripturæ, & ex altera parte deſervit Sanctæ intentioni dictantis Dei, qua Divinæ ſuæ elocutionis depoſitum immediate committere ſtatuit Eccleſiæ, cui cæteri fideles ſunt ſubordinati, accipientes ab ea intelligentiam S. Scripturæ.

Ad III. Ex ſolæciſmis & Barbariſmis non deſtrui quoad ſingula verba inſpirationem Spiritus S. nam Spiritus S. ſe accommodat capacitati Scriptorum, & hoc ideo, quia ſemper aliquid fidei noſtræ relinquere vult, ut captivantes intellectum noſtrum in obſequium fidei, dum non capimus, cur in verbis à ſe dictatis, voluerit relinquere Solæciſmos. Nam in die Pentecoſtes, quis verba Apoſtolorum ex Spiritu S. fuiſſe neget? & tamen quilibet ſuo modo loquebatur: ſicut ergo organum vocis Spiritus S. exterius non immutabat, ſic nec interius ingenii idoneitatem: & qui variis linquis loquebantur, non omnes eodem modo & æque perfecte verba proferebant, omnes tamen ex Spiritu S. verba depromebant; ſic pariter in his, quæ Spiritus S. infundit, nihil obſtat, quominus ſolæciſmos & barbariſmos ex Scriptoris ingenio contingere poſſe dicamus.

Ad IV. Neg. maj. quia Spiritus S. dictans verba accomodavit ſe ſtatui, educationi, & genio Scriptorum, talia iiſdem inſpirans verba, qualia adhibuiſſent, ſi rem à ſe conceptam verbis propriis expreſſiſſent. Hinc per Iſaiam in aula Regis enutritum & eruditum loquitur ſtylo eleganti: humiliori autem

per

per Amos gregum paſtorem ad prophetandum aſſumptum.

Ad V. Authorem Eccleſiaſtici veniam petere non de aliquo errore à ſe commiſſo, ſed de inconcinnitate ſtyli redolentis capacitatem & naturam Scriptoris: cum Spiritus S. ut ſupra dictum, unius cujusque ingenio ſe accomodet: conſequenter ſi quid humiliori ſtylo dictum, vel quod non ita energiam vocis Hebraicæ exprimit, capacitati Scriptoris tribuendum eſt: & de hoc Spiritu S. inſpirante, veniam petit. Præterea dici poteſt, quod Prologus hic non ſit canonicus.

Ad VI. Authorem libri Secundi Machabæorum non petere veniam erratorum, quæ ibi nulla ſunt, ſed ſtyli minus forte politi, & minus forte digni, quam Divini Verbi Majeſtas exigat, non quidem quod talis ſit, ſed ſi forte talis legentibus appareat. Recolligantur mox dicta ad V.

Ad VII. Dico 1. Vulgatam noſtram eſſe verſionem Verbi Dei Ss. Scriptoribus olim dictati: unde non requiritur, ut iterato ſit inſpirata verſoribus, ſed ſufficit, quod ſit editio conformis Verbo immediate Ss. Scriptoribus dictato: ex qua conformitate optime adhuc dicitur Verbum Dei utut cum addito: *verſum*, ſeu *transſumptum.* Textus autem primigenius Hebraicus, Chaldaicus, vel Græcus non eſt verſio, ſed dicitur Verbum Dei *ſimpliciter.* Dico 2. conc. maj. diſt. min. ſed in ea nullum reperitur verbum materialiter ſumptum à Spiritu S. dictatum, conc. min. ſed in ea nullum reperitur verbum formaliter ſumptum à Spiritu S. dictatum, neg. min. licet enim in variis linquis Verbum Dei materialiter varietur, manet tamen ſemper idem formaliter ſumptum, quia formaliter ſumptum dicit ad Deum relationem originis tanquam ad dicentem: materialiter vero illa verba ſunt interpretis. Recolligantur dicta in obſervando 1. & 2. Unde etiam in vulgata reperiri poſſunt leves aliqui errores librariorum.

Ad

Ad VIII. dist. Illa vox, vel sermo Christi non potuit quoad verba materialiter sumpta inspirari, conc. quoad Verba formaliter sumpta, neg. Solutio ex dictis patet mox antecedentibus: unde omittitur responsio Didaci.

Ad IX. dist. S. Hier. testatur illum non esse conformem suo originali quoad verba materialiter sumpta, conc. quoad verba formaliter sumpta, neg. solutio ex dictis claret.

Ad X. S. Chrysostomum loqui de verbis materialiter sumptis, quæ Paulus à se ipso adfert, non vero de verbis formaliter spectatis, hæc enim Paulo fuere inspirata.

Ad XI. dist. Et in casu argumenti esset proprie & rigorose Verbum Dei, neg. & non esset proprie & rigorose Verbum Dei, conc. solutio ex proba patet.

Ad XII. Verba Ethnicorum non debere inpræsentiarum spectari, prout fluunt ex ore Ethnicorum, sic enim sunt verba mere prophana, sed prout fluunt ex ore sacrorum scriptorum, & sic jam sunt elevata ad ea significanda, quæ Deus per ea nobis significare voluit: proin ut sic accepta nil obstat, quominus dicantur inspirata à Deo.

QUÆSTIO QUARTA.

An Sacra Scriptura sit obscura? aut in omnibus Clara?

UT Adversarii nostri Protestantes necessitatem Ecclesiæ Scripturam interpretantis rejiciant: ut suam praxim concedendi omnibus lectionem S. Scripturæ in linqua vernacula tueantur: unanimiter affirmant, scripturam se ipsa clarissimam & apertissimam, sui ipsius Judicem ac Interpretem esse, secuti Magistrum suum Lutherum, qui Præfat. assertionis Articulorum à Leone X. damnatorum loquens de Patrum dictis sibi invicem pugnantibus asserit: *Quo Judice finietur quæstio, si Patrum dicta*

ſibi pugnaverint? oportet enim Scriptura Judice hic ſententiam ferre, quod fieri non poteſt, niſi Scripturæ dederimus Principem locum in omnibus, quæ tribuuntur Patribus: hoc eſt, ut ipſa ſit per ſe certiſſima, facillima, apertiſſima, ſui ipſius interpres, omnium omnia probans, judicans, & illuminans. Item de Servo arbitrio contra Eraſmum, ubi reſpondens ad objectionem, in Sacra ſcriptura eſſe multa abſtruſa, & obſcura, inquit: *Eſſe in Scriptura quædam abſtruſa, & non omnia expoſita, invulgatum eſt quidem per impios Sophiſtas, quorum ore & tu loqueris Eraſme, ſed nunquam unum articulum produxerunt, quo ſuam hanc inſaniam probarent. Talibus larvis Sathan nos abſterruit à Sacris litteris, & reddidit Scripturam Sanctam contemptibilem, ut ſuas peſtes in Eccleſia faceret regnare. Hoc ſane fateor, eſſe multa loca in ſcripturis obſcura, & abſtruſa non ob Majeſtatem rerum, ſed ob ignorantiam vocabulorum, & Grammaticæ, ſed quæ nihil impediunt ſcientiam omnium rerum in Scripturis. Res in Scripturis contentæ ſunt omnes proditæ, licet quædam loca adhuc verbis incognitis obſcura ſint.* Contra hos ergo

Dico: Sacra ſcriptura in omnibus non eſt clara, ſed in multis obſcura.

Probatur 1. ex ipſa S. ſcriptura 1. Pſalm. 118. v. 18. ait. David: *Revela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua.* Et v. 34. *Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam*: atqui ſi ſcripturæ eſſent ubique claræ ac evidentes, Davidi non fuiſſet opus petere, ut illuminetur à Deo: hinc in prædicta loca S. Hieron. in Epiſt. ad Paulinum de inſtit. Monachi c. 4. ait. *Si tantus Propheta tenebras ignorantiæ confitetur, qua nos putas parvulos, & pene lactentes inſcitiæ nocte circumdari.* 2. Lucæ ultimo v. 45. Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam *aperuit illis* (diſcipulis ſuis) *ſenſum, ut intelligerent Scripturas*: ergo non perſe ipſas intelligebant. 3. Actor. 8. Eunuchus Reginæ Candacis Iſaiam legens, & à Philippo interrogatus v. 30. *Putaſne intelligis, quæ legis?* reſpondit v. 31. *Et quomodo poſſum, ſi non aliquis oſtenderit mihi?* 4. Matth. c. 13.

13. v. 36. discipuli verba quidem Christi intelligentes, sensum vero nequaquam percipientes *accesserunt ad eum discipuli ejus dicentes: Edissere nobis parabolam Zizaniorum agri.* Et cap. 16. v. 11. *Quare non intelligitis, quia non de pane dixi vobis?* 5. Lucæ c. 18. v. 34. dicitur: *Et ipsi nihil horum intellexerunt, & erat verbum istud absconditum ab eis, & non intelligebant, quæ dicebantur.* Et discipuli euntes in Emaus nonnisi interpretante Christo scripturas intellexerunt. 6. Dum Christus Dominus in suæ divinitatis testimonium Judæis Joan. c. 2. v. 19. dixit: *Solvite templum hoc, & in tribus diebus exicitabo illud:* Discipuli ejus id non intellexerunt, ut habetur v. 22. Neque Judæi, ut habetur v. 21. 7. Ipsemet Christus Dominus Joan. c. 5. v. 39. dixit: *scrutamini scripturas*: atqui res, quæ scrutinio indigent, non sunt claræ, evidentes, & omnibus statim obviæ: ergo. 8. S. Petrus Apostolus 2. Pet. c. 3. v. 16. de Epistolis D. Pauli scribit: *in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles* (uti nostri Adversarii) *depravant, sicut & cæteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem.* Ubi advertendum: hic non dici difficilia tantum indoctis & instabilibus, sed difficilia absolute, quamvis de indoctis dicatur, quod ea dicta depravent: ut Bellarminus tom. 1. Controvers. 1. de verbo Dei L. 3. c. 1. ex S. P. Augustino probat. 9. S. Paulus Rom. c 12. docet: Interpretationem scripturarum esse speciale donum Dei. Et 2. Corinth. c. 3. v. 14. & 15. ait: *obtusos fuisse sensus* Judæorum, quia, etsi Vetus testamentum quotidie legerent, non tamen intelligebant, quæ in eo continebantur de Christo: *usque in hodiernum enim diem* (addit Apostolus:) *idipsum velamen in lectione veteris testamenti manet non revelatum.* 10. Ipsi Scripturæ textus subinde videntur inter se pugnare, v. g. Psal. 1. v. 5. dicitur: *Non resurgent impii in judicio.* Econtra 1. Corinth. c. 15. v. 51. dicitur: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.* Ergo non omnis Scriptura est ita clara ac evidens, ut eam quilibet capere valeat. Et

tandem 11. Quid obſcurius eſſe poteſt Apocalypſi & Prophetiis v. g. Ezechielis *de viſione quatuor animalium:* Danielis *de ſeptem hebdomadibus:* Iſaiæ *de generatione Chriſti?* de quo Iſaiæ c. 53. v. 8. ſcriptum eſt: *generationem ejus quis enarrabit? quia abſciſſus eſt de terra viventium.* Ergo:

Probatur 2. Ex SS. Patribus: qui, etſi illuminatiſſimi Eccleſiæ Doctores, ſummo cum labore connixi ſunt Scripturæ arcana aſſequi, & populo explicare, atque ejusdem ſcripturæ in multis obſcuritatem faſſi ſunt. Sic

S. P. Auguſtinus ad Januar. c. 6. Et Epiſt. 119. c. 21. ſcribit: *In ipſis Sanctis Scripturis plura neſcio, quam ſcio.* Item lib. 12. Confeſſ. c. 14. ita alloquitur Deum: *Mira profunditas eloquiorum tuorum! quorum ecce ante nos ſuperficies blandiens parvulis, ſed mira profunditas. Deus meus mira profunditas: horror eſt intendere in eam; horror honoris, horror amoris.* Item Præfat. in Pſal. 140. inquit: *Sunt in Scripturis ſanctis profunda myſteria, quæ ad hoc abſconduntur, ne vileſcant: ad hoc quæruntur, ut exerceant: ad hoc aperiuntur, ut paſcant.* Item hic S. Pater teſtatur, inter plures ſcripturæ textus ſibi ex D. Pauli Epiſtolis duos difficiles fuiſſe: nempe 1. illum, quem 1. Corinth. c. 3. v. 12. habet: *Si quis autem ſuperædificat ſuper fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna, fœnum, ſtipulam.* 2. iſtum 1. Corinth. c. 15. v. 29. ubi Apoſtolus dicit: *Quid faciunt, qui baptizantur pro mortuis, ſi omnino mortui non reſurgunt? ut quid & baptizantur pro illis?* qui textus tot & diverſas patitur opiniones apud Bellarm. l. 1. de purg. c. 4. videndas. Quomodo ergo vos Proteſtantes, qui ſcripturam ubique claram, & intellectu facilem pronuntiatis, textum illum intelligitis? An unus poteſt baptizari pro alio? & quidem pro mortuo? Num baptiſmus poteſt proficere defunctis? Et quomodo illum Eccli. c. 42. v. 14. textum: *Melior eſt iniquitas viri, quam mulier benefaciens, & mulier confundens in opprobrium:* ſi ita clarus ſit, intelligitis, ac explicatis?

S. Hie-

S. Hieronymus per orbem universum famosissimus Bibliorum translator in c. 4. ad Ephes. scribit: *Quo plus in Scripturis procedit quis, eo majores ei occurrunt difficultates.* Hinc in Epistol. ad Paulinum conqueritur dicens: *Cum nulla sit ars, quam omnes passim sibi vendicent, hanc* (scilicet Scripturarum intelligentiam) *garrula anus, hanc delirus senex, hanc Sophista verbosus, hanc universi præsumunt, lacerant, docent, antequam discant.* Item agens de Epistola ad Rom. c. 7. ad Algasiam. q. 8. inquit: *Totus hic Apostoli locus, & in superioribus & in consequentibus, imo omnis Epistola ejus ad Romanos nimiis obscuritatibus involuta est.* Quod idem confirmat S. Pater Epist. ad Hedibiam q. 10.

S. Gregorius expendens illud Canticorum: *Fons hortorum:* inquit: *Sciendum quod scriptura Divina in quibusdam* (nec nos dicimus in omnibus esse obscuram) *manifeste existens, in quibusdam vero locis obscuram se præbens, aliquando leviter, sicut fons potatur: & aliquando magna inquisitione eget, ut inventa sumatur.*

S. Ambrosius Epist. 44. inquit: *Mare est Scriptura Divina, habens in se sensus profundos, altitudinem Propheticorum ænigmatum.*

Eodem modo sentiunt S. Irenæus lib. 2. Contra hæreses c. 47. S. Chrysostomus Hom. 40. in Joan. Dionysius Areopagita in Mystica Theol. c. 2. S. Clemens Alexand. lib. 2. strom. c. 6. S. Athanasius de Verbi Incarnat. circa finem. S. Basilius Magnus Proemio in Isaiam. S. Epiphanius Hæres. 55. S. Gregorius Nazian. in Apologetico, seu Orat. 1. S. Joannes Damasc. Orthod. fidei lib. 4. c. 18. Ergo.

Probatur 3. Si scriptura sacra in omnibus esset clara & perspicua: nec malè intelligeretur, nec ex male intellecta tot hæreses fuissent exortæ: atqui S. Scriptura fuit male intellecta, & ex male intellecta exortæ fuere hæreses: ergo. maj. constat ex S. P. August. tract. 18. in Joan. Item lib. 1. de Trinit. c. 4. inquiente: *Littera ipsa Scripturæ male intellecta innumeras generavit hæreses, ac enormes errores.* min. autem patet ex exemplis sequentibus:

Primo: *Sabellius* perperam usurpato textu Joan. 10. c. 30. v. *Ego & Pater unum sumus*: distinctam Personarum realitatem negabat, contendens ipsas solo nomine discriminari.

Secundo: *Arius* legens Joan. c. 14. v. 28. *Pater major me est*: Christum dicebat creaturam, & 42. Scripturæ textibus male intellectis probavit Filium in Divinis non esse Patri consubstantialem.

Tertio: *Macedonius* Spiritum S. non esse Deum credidit, quia eundem ignorare somniavit, ex quo Apostolus 1. ad Corinth. c. 2. v. 10. dicat: *Nobis revelavit Deus per Spiritum suum: Spiritus enim omnia scrutatur etiam profunda Dei.*

Quarto: *Pelagius* negat filios originali pollutos labe ex Ezech. c. 18. v. 20. *Filius non portabit iniquitatem Patris.*

Quinto: *Origenes* Scripturas intelligendas in sensu simplici accepit figurate, ut D. Hieron. notat in epist. ad Pammachium dicens: Origenem ita Paradisum terrestrem allegorice intellexisse, *ut historiæ deleverit veritatem*: siquidem per arbores Angelos: per quatuor flumina virtutes cœlestes: & per pelliceas Adæ ac Evæ vestes humana corpora intellexerit, ac si Protoparentes ante peccatum absque corporibus vixissent.

Sexto: Idem *Origenes* Enuchismum sive castrationem, de qua Christus Matth. c. 19. v. 12. loquebatur, quæque figurate ac in sensu spirituali de abstinentia à venereis intelligenda venit, in sensu simplici & litterali de virilium abscissione accipiens, se ipsum demasculavit.

Septimo: *Papias* ejusque Sectatores erraverunt, dum ea, quæ Apoc. c. 20. v. 5. & 6. de mille annis dicuntur, quibus sancti cum Christo regnaturi sunt, censuerunt hic in terris implenda esse: quorum error reprehenditur à S. P. August. lib. 20. de civit. c. 7. Et S. Hieron. lib. 18. in Isaiam.

Verum quid plura, cum Lutheranos & Calvinistas in ejusdem textus intelligentia pugnantes, & contrarie sentientes ha-

bea-

beamus? Si S. Scriptura in omnibus eſt clara & perſpicua, quare non omnes eandem eodem intelligunt, & explicant modo? ergo fatendum, Scripturam S. in multis eſſe obſcuram.

Probatur 4. Si Eccleſiæ Catholicæ impugnatoribus Scriptura eſt adeo facilis, aperta, & clara: quare illi ad dirimendas controverſias inter illos graſſantes circa S. Scripturam Synodos celebrant? quare anathemate refragantes Sanctionibus Synodalibus ſuis percellunt? quare varios & mole immenſos in S. Scripturam adornant commentarios? quare unam eandemque ſententiam tam diverſis & plane repugnantibus ſenſibus explicant? quare inter ſolos Confeſſioniſtas viginti ſententiæ diverſiſſimæ de juſtificatione verſantur? quare magno animorum æſtu inter ſe digladiantur & in varias interpretationes abeunt circa illa Scripturæ verba: *Hoc eſt corpus meum*: ita ut plures quam octuaginta differentes interpretationes adhibeant? quare Lutherani textum præcitatum de præſentia reali Chriſti in uſu absque tamen tranſubſtantiatione, Calviniſtæ & Zwingliani in ſenſu methaphorico & tropico explicant? Catholici vero omnes de reali præſentia Chriſti etiam extra uſum, & cum tranſubſtantiatione intelligunt? Recte igitur fanaticum eſt appellandum dogma, aſſerere, ruſticos plumbeo ingenio præditos, & garrulas mulieres poſſe incunctanter intelligere abſtruſiſſima Chriſtianæ Religionis myſteria, omnes diſſolvere nodos. Ergo.

Probatur 3. Impugnatores Catholicæ fidei debent fateri, non ſolum in Scriptura varios contineri Hebraiſmos, ſive peculiares Hebræorum loquendi modos v. g. quod abſtractum ſæpe ponant pro concreto, ut Exod. c. 8. v. 26. illa verba: *Abominationes Ægyptiorum immolabimus Deo noſtro*, ubi intelliguntur res abominandæ, quarum nomine apud Ægyptios veniebant pecudes & oves ab ipſis immolari non ſolitæ, ſed colebantur ut numina; verum etiam plurimas figuratas locutiones; ſcilicet

cet modo per synecdochen loquitur, ut si ponatur pars pro toto, aut vicissim v. g. Psal. 65. v. 12. *Imposuisti homines super capita nostra*, id est, super nos; modo per metonymiam, ut si ponatur causa pro effectu, aut vicissim v. g. Habacuc. c. 3. metonymice loquitur, dum ait: *Domine audivi auditionem tuam, & timui*, sumens effectum pro causa, videlicet actum pro objecto, auditionem pro re audita: objectum enim actus est causa actus, juxta illud vulgare: *Ex objecto & potentia paritur notitia.* Modo per antonomasiam, v. g. si nomen commune pluribus uni per excellentiam attribuatur, v. g. Antichristo ly *homo peccati.* Modo per antiphrasim, annuntiando unum pro ejus opposito designando, v. g. dum Job c. 1. v. 11. dicitur: *Ne forte peccaverint filii mei, & benedixerint Deo in cordibus suis:* ubi ly *benedixerint*: sumitur pro *maledixerint*: sicut & ibidem c. 2. v. 5. dum dicitur: *Tange os ejus & carnem, & tunc videbis, quod in faciem benedicat tibi*: ubi ly *benedicat* sumitur pro *maledicat*: item 3. Reg. c. 21. v. 13. dum dicitur: *benedixit Naboth Deum & Regem: quamobrem eum eduxerunt extra civitatem, & lapidibus interfecerunt*: ubi ly *benedixit* pariter sumitur pro *maledixit.* Modo per hypallagem, cum unum subjicit pro alio, seu phrasim submutat, & invertit unum ponens pro alio, v. g: dum Exod. c. 12. v. 11. dicitur: *calceamenta habebitis in pedibus*: ibi enim est inversio, seu submutatio, quæ idem significat, ac si dicatur, pedes habebitis in calceamentis nam: calceamenta seu calcei non sunt in pedibus, sed pedes in calceis. Ut alia prætereamus, frequentissima est illa tropologica per metaphoram & allegoriam in scripturis locutio v. g. dum Christus passim vocatur leo, agnus, vitis, ostium, petra. Metaphora pariter est, dum gladii acies os gladii vocatur, ut 1. Reg: c. 15. v. 8. ubi dicitur: *omne autem vulgus interfecit in ore gladii.* Metaphora etiam est, dum omnia, ex quibus mors inferri solet, ut arma, & instrumenta bellica, vasa mortis vocantur, v. g. dum Psal. 7. v. 14. dicitur: *& in eo paravit vasa mortis, sagittas*

suas ardentibus effecit: hoc est, in eo scilicet arcu lethifera paravit instrumenta contra eos, qui ardenter persequuntur justos, sagittas fabricavit. Quæ omnia non ad literam, sed secundum sensum aliquem mysticum intelligenda veniunt; scripturam proinde potius obscuram, quam claram evincunt. Ergo.

Ad hæc argumenta respondent Adversarii 1. Scripturam tantum obscuram esse impiis & infidelibus, non autem piis, & fidelibus, & Prædestinatis, ac eam attente, devote, & sine pravo affectu legentibus. Sed

Contra 1. Quis ex Adversariis damnabit tot Sanctos Patres sub proba 2. adductos impietatis, & infidelitatis: quibus tamen S. Scriptura obscura fuit? Ergo.

Contra 2. Ex dictis AA. Scriptura obscura est impiis, & infidelibus: atqui Scriptura est obscura Lutheranis & Calvinistis: ergo ipsi Lutherani & Calvinistæ sunt impii & infideles, maj. est responsio AA. min. vero prob. assumamus duos, Titium Lutheranum, & Cajum Calvinistam, utrumque supponamus pium, fidelem, prædestinatum juxta ipsos AA. ponamus etiam, quod uterque scripturam legat attente, devote, & absque malo affectu: jam videamus, quomodo Scripturam intelligant, v. g. illum textum Matth. c. 26. v. 26. *Hoc est Corpus meum:* legit Titius, & dicit: *Sub- & cum pane est corpus Christi realiter in sumptione.* Legit etiam Cajus, & dicit: *hic benedictus panis non est corpus Christi realiter, sed est tantum figura corporis Christi:* hic necessario unus eorum debuit falsum legisse, quia asserunt duo contradictoria, quorum unum necessario debet esse falsum: ergo ipsis Lutheranis & Calvinistis est obscura S. Scriptura, adeoque illi ipsi sunt impii & infideles, ac reprobi ex propria sententia.

Respondent AA. 2. Scripturam tantum obscuram esse, superbis, vel indoctis Hebraicæ, aut Græcæ linguæ ignaris.

M Con-

Contra eſt: Eunuchus Candacis Reginæ, de quo Actor. c. 8. pius & humilis erat, imo teſte S. Hieron. epiſt. 103. ad Paulin. in c. 5. Sanctus: linguæ Hebraicæ vel Syriacæ, in qua lingua Iſaias tunc ſcriptus erat, gnarus, tamen eum non intellexit. Item S. Hieronymus tum virtute tum doctrina & Hebraicæ linguæ notitia maximus fuit, quem Eccleſia in exponendis ſacris ſcripturis Doctorem maximum appellat: qui tamen locis ſupra citatis ſcripturam ſacram ſibi eſſe obſcuram fatetur. Ergo.

Reſpondent AA. 3. cum Luthero lib. de ſervo arbitrio contra Eraſmum: quod duplex ſit claritas ſcripturæ, ſicut & duplex obſcuritas: una externa in verbi miniſterio poſita, altera in cordis cognitione ſita: ſi de interna claritate dixeris, nullus homo unum jota in ſcripturis videt, niſi qui ſpiritum Dei habet - - - Si de externa dixeris, nihil prorſus relictum eſt obſcurum aut ambiguum, ſed omnia ſunt per Verbum in lucem producta certiſſimam, & declarata toti orbi, quæcunque ſunt in ſcripturis. Hæc Lutherus.

Contra 1. Hæc reſponſio involvit contradictoria: ergo nihil valet. ant. prob. Si omnia ſunt per verbum in lucem producta certiſſimam, quomodo nullus homo jota unum in ſcripturis videt, niſi Spiritum Dei habeat; quid facit iſte ſpiritus, niſi illuminare, declarare, detegere, manifeſtare? atqui non illuminatur, niſi quod eſt obſcurum? non declaratur, non detegitur, niſi quod eſt opertum? non manifeſtatur, niſi quod latet? Ergo vel omnia non ſunt per verbum producta in lucem certiſſimam: vel ſpiritus iſte utpote otioſus non requiritur.

Contra 2. Ponamus Lutherum cum ſuis aſſeclis, & Calvinum, Zwinglium cum ſuis aſſeclis: jam quæro: habetne Lutherus cum ſuis aſſeclis externam in verbi miniſterio poſitam claritatem ſicut & Calvinus, Zwinglius cum ſuis: vel non? ſi non: ergo falſum eſt: nihil prorſus relictum & obſcurum

aut

aut ambiguum, ſed omnia ſunt per Verbum in lucem producta certiſſimam, & declarata toti orbi, quæcunque ſunt in ſcripturis: ſi enim, quæcunque ſunt in ſcripturis, ſunt declarata toti orbi: ergo non minus Luthero cum ſuis aſſeclis, quam Calvino, Zwinglio cum ſuis. Si autem uterque hanc externam claritatem habet: unde tot inter ipſos jurgia, tot contradicentes interpretationes: ergo.

Contra 3. Ponamus etiam utrumque: & quæramus, an uterque ſpiritum Dei habeat, ſeu internam claritatem? Si non? ergo vel nullus: vel ſolus Lutherus cum ſuis aſſeclis? vel ſolus Calvinus cum ſuis? Si uterque Spiritum Dei habeat: quare circa ſenſum horum verborum: *Hoc eſt corpus meum*: tot ſunt opiniones contradictoriæ: Zwingliani & Calviniſtæ contradicunt Lutheranis: nam hi dicunt, ſenſum illorum verborum importare realem Chriſti præſentiam in pane & in uſu: illi vero præſentiam ſolum figurativam, nec Chriſtum adeſſe in pane realiter, ſed ſolum ut in ſigno: uterque iſte ſenſus utpote contradictorius non poteſt eſſe verus, nec à ſpiritu Dei, qui contradictoria inſpirare non poteſt. Si nullus ſpiritum Dei habeat: ergo nullus jota in Scriptura videt, & uterque in tenebris ambulat. Si aliquis illorum: ergo ſi adſit Lutheranis, deerit Zwinglianis & Calviniſtis, vel econtra: ergo.

Contra 4. Iſte Spiritus Dei neceſſarius ad intelligendas ſcripturas, easque in vero ſenſu interpretandas, vel datur omnibus & ſingulis Idiotis, plebeis &c.? vel ſolis Doctoribus cum pietate ad eam accedentibus? ſi ſolis iſtis, ergo illis erit operta Scriptura, nec jota unum videbunt, quicunque eam legunt: ſi autem omnibus & ſingulis poſt Chriſtum datur, id falſum eſſe evincitur in Eunucho Candacis Reginæ, de quo Actor. 8. qui pietate motus poſt Chriſtum legens Iſaiam, & rogatus an intelligeret, quæ legebat? reſpondit: *quomodo poſſum, ſi non aliquis oſtenderit mihi?* Ergo.

Quod ſi velit Lutherus hac ſua reſponſione, Scripturam eſſe quidem in ſe clariſſimam & lucidiſſimam, ſed homini obſcuram, niſi habeat ſpiritum Dei: nihil dicet contra nos: dato enim ſcripturam eſſe in ſe clariſſimam, & myſteria, quæ reſerat, in apertiſſima luce poſita eſſe: quia tamen lux hæc inacceſſibilis eſt nobis, niſi ſancto illuminante Spiritu, jam ſcriptura nobis obſcura eſt: ſicut eſto Deus clariſſimam lucem habitet, quia tamen teſte D. Paulo 1. Timoth. c. 6. v. 16. *Lucem habitat inacceſſibilem*, jure dicit, eum eſſe homini inviſibilem, incomprehenſibilem.

Reſpondent AA. 4. Obſcuritatem Scripturarum verborum tantum eſſe, & non rerum. Sed

Contra 1. S. P. Auguſtinus in Epiſtola ad Voluſianum 3. nunc 127. clariſſime inquit: *Tanta non ſolum in verbis, quibus iſta dicta ſunt; verum etiam in rebus, quæ intelligendæ ſunt, latet altitudo ſapientiæ, ut annoſiſſimis, flagrantiſſimisque cupiditate diſcendi hoc contingat, quod eadem Scriptura quodam loco habet: cum conſummaverit homo, tunc incipit.* Ergo.

Contra 2 In eo Evangelii teſtimonio, in cujus intelligentia nunquam Lutheri & Calvini diſcipuli convenire potuerunt: *Hoc eſt Corpus meum*: quodnam verbum obſcurum eſt? quidnam pronomine illo uſitatius? quæ propoſitio hac planior? cujus vocabuli magis quam *corporis* explorata perceptio? Ergo ipſum Myſterium Euchariſticum, non verborum involucra, Calvinianos & Lutheranos ſcindit ad invicem. Eadem eſt ratio verborum illorum: *Verbum caro factum eſt:* quæ in oppoſitum ſenſum trahunt Neſtoriani & Eutychiani: & unde? niſi ex Myſterii altitudine eſt illorum Hæreticorum halucinatio?

Reſpondent AA. 5. Ea, quæ ſunt, & manent obſcura, non pertinere ad ſubſtantiam fidei, ſed ad ſcholaſticas tantum controverſias: adeoque in omnibus iis, quæ ad ſalutem ſunt creditu neceſſaria, S. Scriptura eſt clara & perſpicua devote eam legentibus. Sed

Con-

Contra 1. Neque quænam omnia determinate sint creditu necessaria ad salutem, est clare expressum in S. Scriptura: ergo multo minus ipsa omnia necessario credenda sunt clare expressa in S. Scriptura. Ant. patet, vel adferant nobis AA. S. Scripturam, & legant nobis ex ea clare, quænam omnia determinate debeamus credere?

Contra 2. Si S. Scriptura pro articulis necessariis sit ita clara, quomodo ergo fit, quod apud AA. in explicanda S. Scriptura sint tot dissidia circa numerum Sacramentorum? ubi aliqui ex S. Scriptura deducunt duo, aliqui tria, alii quatuor &c. quomodo fit, quod circa S. Eucharistiam inter Lutheranos & Calvinistas ipsos tot sint opiniones sibi contradicentes? Pariter si S. Scriptura sit ita clara, probent ergo AA. claro Scripturæ textu contra Anabaptistas, infantes esse baptizandos, non vero iis esse præbendam S. Eucharistiam: cum tamen S. Scriptura videatur eodem modo loqui de Eucharistia ac de baptismo; nam sicut Joan. c. 3. v. 5. de baptismo ait: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non potest introire in regnum Dei.* Ita Joan. c. 6. v. 54. dicit de Eucharistia: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Imo Scriptura, dum fidem actualem ante baptismum requirit Marci ult. v. 16. dicens: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit, videtur velle, infantes, utpote actualis fidei incapaces non esse baptizandos: atqui mox enumerata sunt articuli fidei ad salutem necessarii: ergo.

Respondent AA. 6. Licet quædam loca Scripturæ sint obscura etiam circa fidei dogmata, circa eadem tamen alibi ipsa S. Scriptura se clarissime explicat, adeoque unus Scripturæ textus ex alio innotescit. Sed

Contra 1. Ex omnibus supra relatis pro nullo se S. Scriptura explicat: pervolvantur Biblia, & adducite unicam sal-

fem explicationem claram: quam cum nullam adducetis, etiam vestra data responsio est nulla.

Contra 2. Subinde textus aliquis, qui per se satis clare apparet, accedente alio fit obscurior, & captu difficilior: ergo Scriptura unum sui textum per alterum non explicat clare. Ant. prob. Iste Joan. c. 10. v. 30. textus: *Ego & Pater unum sumus*: multum obscuratur per alterum textum, quo idem Christus Joan. c. 14. v. 2. dicit: *Pater major me est*: ergo.

Contra 3. Ut unus textus per alterum explicetur, debet prius clare, certo, & infallibiliter constare, quinam ex duobus illis textibus sit clarior, & uter sit explicandus per alterum? an textus A per textum B. vel econtra? sed de his ex scriptura clare, certo, & infallibiliter non constat, v. g. an iste textus: *Pater major me est*: explicandus sit per alterum: *Ego & Pater unum sumus.* Item quisnam ex sequentibus textibus Rom. 3. v. 28. *Arbitramur hominem justificari per fidem sine operibus legis:* & Rom. 2. v. 13. *Factores legis justificabuntur*: explicandus est per alterum, vel potius ad alterum: ergo.

Contra 4. Quid agendum erit, cum plures invicem textus pugnare videntur? si expendatur uterque? crescet hæsitatio. Si unus duntaxat expendatur? vigebit adhuc mentis perplexio, & Sacrilege Dei verbum repudiabitur. Ergo.

Objectiones Adversariorum.

I. Ipsa S. Scriptura se vocat lucidam, lucernam, lucem, sic Ps. 18. v. 9. dicitur: *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.* Psal. 11. *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Prov. c. 6. v. 23. *mandatum lucerna est, & lex lux*: ergo

II. Deut. c. 3. v. 11. dicitur: *mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, nec in cælo situm, neque trans mare:* ergo intelligentia Scripturarum

non

non eſt ſupra captum noſtrum, neque procul eundum eſt ad quærendam ejus interpretationem: ergo.

III. S. Paulus 2. Corinth. c. 4. v. 3. ait: *quod ſi etiam opertum eſt Evangelium noſtrum, in iis, qui pereunt, eſt opertum, in quibus Deus hujus ſæculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ Chriſti.* Ergo ex oppoſito, Paulus Evangelium omnibus fidelibus apertum, & clarum ſentit.

IV. Iſaiæ c. 45. v. 14. dicitur de Chriſtianis: *& ponam univerſos filios tuos doctos à Domino*, quæ verba aſſumens Chriſtus Joan. c. 6. v. 46. inquit: *Eſt ſcriptum in Prophetis, & erunt omnes docibiles Dei, omnis qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me:* ergo omnes fideles docti ſunt à Domino per Spiritum, nec alio indigent Doctore, aut Interprete.

V. S. P. Auguſtinus L. 2. de Doctrina Chriſt. c. 6. docet omnia obſcura alibi explicari dicens: *Sed multiplicibus obſcuritatibus & ambiguitatibus decipiuntur, qui temere legunt aliud pro alio ſentientes, quibusdam autem locis quid vel falsò ſuſpicentur, non inveniunt, ita obſcure quædam dicta denſiſſimam caliginem obducunt, quod totum proviſum divinitus eſſe non dubito ad edomandam labore ſuperbiam, & intellectum à faſtidio renovandum:* ergo.

VI. S. Chryſoſtomus Hom. 3. de Lazaro, ubi cum oſtendiſſet Philoſophos obſcure locutos, ita ſubdit: *Apoſtoli vero & Prophetæ omnia fecerunt manifeſta claraque, quæ prodiderant, expoſuerunt omnibus veluti Communes orbis Doctores, ut per ſe quisque diſcere poſſit ea, quæ dicuntur, ex ſòla lectione.* Item Hom. 3. in 2. ad Theſſal. inquit: *quam ob rem opus eſt concionari? omnia clara ſunt ac plana ex Scripturis Divinis, ſed quia delicatuli eſtis auditores, delectationem audiendo venantes, propterea concionatores quæritis.* Ergo claritatem Scripturæ ſanctus hic Pater commendat.

VII. Dicere quod Scriptura ſit obſcura, eſt deprimere ejus auctoritatem, & eam dicere defectuoſam ac imperfectam: ſed hoc eſt impium: ergo.

VIII.

VIII. Teſtamentum vetus & novum in hoc diſcriminantur, quod Vetus omnia figurative exhibeat, novum vero aperte indicet: unde etiam Vetus Teſtamentum Iſaiæ c. 29. v. 11. dicitur *Liber ſignatus*: econtra novum Teſtamentum Apoc. c. 5. v. 8. vocatur *Liber apertus per Agnum*: ergo clara videtur eſſe S. Scriptura.

IX. Patres probant ſententias ſuas ex Scripturis: ſed non debet probari quod notius eſt ex minus noto: ergo Scriptura clarior eſt quam ſententiæ Patrum.

X. SS. Patres primitivæ Eccleſiæ ſine commentariis Scripturas legerunt: ergo & nos ſine his legere, & intelligere poterimus.

XI. Deus Scripturam dedit, ut eſſet fidelibus regula fidei, & morum magiſtra, quæ omnes veritatem doceret: ergo hoc ipſo debet eſſe clara & intelligibilis ab omnibus.

XII. Scriptura S. eſt Teſtamentum Dei, in quo Teſtator Deus fidelibus ut hæredibus ſuam voluntatem explicavit, ut in eum credentes accipiant dona gratiæ, quibus conſequantur gloriam cæleſtem tanquam hæreditatem: atqui teſtamentum debet eſſe clarum, & facile intelligibile, alias enim foret potius fomentum diſſidiorum inter hæredes, quam Teſtamentum: ergo Scriptura S. debet eſſe clara, & facile intelligibilis.

XIII. Deus 2. Timoth. c. 3. v. 16. & 17. dicit: *Omnis Scriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum - - - ut perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus*: ergo omnis Scriptura debet eſſe clara.

XIV. Scriptura eſt ita clara, ut ab infante valeat intelligi juxta id 2. Timoth. c. 3. v. 15. *quia ab infantia ſacras literas noſti*: ergo declaratione opus non eſt.

XV. S. Joannes Epiſt. 1. c. 1. v. 14. dicit: *Scribo vobis infantes: quoniam cognoviſtis Patrem?* credidit utique S. Joannes, Scripturam ab infantibus poſſe intelligi: ergo

XVI.

XVI. S. Chrysostomus Hom. 3. in Epist. 2. ad Thessal. scribit: *Omnia sunt dilucida & recta, quæ sunt in Divinis Scripturis: manifesta sunt, quæcunque sunt necessaria:* ergo.

XVII. S. P. Augustinus lib. 2. de doct. Christ. c. 9. inquit: *in iis, quæ aperte in Scripturis posita sunt, inveniuntur illa omnia, quæ continent fidem, moresque vivendi: spem scilicet atque charitatem:* ergo.

XVIII. S. Epiphanius Hæres. 70. docet: *Omnia clara sunt in divina Scriptura his, qui pia ratiocinatione divino sermoni attendere volunt, non vero concepta in se ipsis diabolica operatione, se ipsos præcipites dare in barathrum mortis.* Ergo.

XIX. Aliquis ex Protestantibus ita argumentatur: Papistæ per hoc, quod scripturam ab Ecclesia & Papa declarandam esse velint, gravi contumelia afficiunt scripturam: ergo. ant. probat.

1. Stanislaus Hosius Cardinalis lib. de expresso Verbo Dei sub finem scribit: scriptum Dei verbum, nisi secundum Romanæ Ecclesiæ mentem declaretur, esse verbum Satanæ: sed hæc est impia contumelia: ergo.

2. Sylvester Prieras dicit: Ecclesiæ Romanæ & Papæ doctrinam esse infallibilem fidei regulam, atque scripturam à Papa omnem suam habere virtutem, & authoritatem: sed hæc est gravis contumelia: ergo.

3. Doctor Ekius l. 1. de Auth. Eccles. c. 10. scripsit: *Nec Deo credimus nisi propter Ecclesiam*, hoc est, nisi prout Ecclesia approbat, vel Papa exponit: sed hoc est impium dictu: ergo.

4. Cardinalis Bellarminus l. 2. de Verbo Dei c. 15. tradit: scripturam magis nocivam, quam utilem esse: sed hæc est gravis contumelia: ergo.

5. Petrus Canisius in op. Catech. pag. 44. non erubescit dicere: *S. scriptura in illis, quæ continet, & proponit, est velut*

velut nasus cereus, non præbens certam aliquam & immotam scientiam, sed quæ in quamvis interpretationem inflecti potest: ergo.

SOLUTIONES.

℟. AD I. In citatis locis non esse sermonem de universa scriptura, sed de divinis præceptis maxime in decalogo contentis, quæ & clara sunt, ut ab omnibus possint intelligi, & sunt lucerna pedibus nostris, quia intellecta & cognita nos in operando dirigunt. Quod si citati textus de universa scriptura accipiantur, dicitur ibi præceptum Domini lucidum, lucerna, lux, non quod facile ab omnibus statim intelligantur, sed quod, postquam intellecta fuerint, mentem illustrent juxta illud Psal. 128. *Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis.*

Ad II. Retorquetur Argumentum in AA. Si scripturæ interpretatio non est supra nos, nec procul posita, nec in cœlo sita: ergo nec quærenda est à spiritu Dei & à gratia Christi: nam si interpretatio scripturæ esset quærenda à spiritu Dei, esset in cœlo sita, & procul à nobis posita. Quid ad hoc Protestantes. 2. Si mandata Dei non sunt supra nos, nec in cœlo sita, quare dicunt Protestantes: mandata Dei esse nobis impossibilia. 3. Dico, quod textus ille non loquatur de scripturæ intelligentia, sed de impletione divinorum mandatorum, quæ non supra nos posita est, sed nobis non quidem per vires naturæ sed Dei gratia facilis redditur: Deus enim est, qui vires præbet juxta illud Deut. c. 8. v. 47. Imo si etiam textum illum AA. intelligendum velint de intelligentia scripturarum, dicendum, quod scriptura reddatur facilis intellectu, postquam explicata est à Doctore: sicut illi populo facilis erat intellectio mandatorum divinorum, quia Moysen sibi explicantem audiverat.

Ad

Ad III. S. Paulum illo loco loqui de Evangelio jam prædicato, cui noluerunt multi etiam post signa & miracula credere; quod utpote viva voce ab Apostolis explicatum omnino clarum & manifestum erat. Nos autem hic loquimur de Evangelio, seu verbo Dei scripto, ut à Spiritu S. dictato, & nondum prædicato ac explicato. Nec obstat, quod tam multi post Evangelium prædicatum adhuc non credant: non inquam obstat, quia hi ex propria malitia & spontanea cæcitate nolunt Evangelio credere: sed in infidelitate manere.

Ad IV. Dico: Si omnes fideles docentur, vel sunt edocti à Deo, ita ut per hoc superfluat Doctor humanus, qui eos instruat: ergo superfluit prædicatio verbi, & ministerium Ecclesiæ: vidit hoc Calvinus ipse Comment. in dictum cap. Isaiæ: & propterea conjungens simul dictum Isaiæ cum dicto Christi, dicit: utrumque loqui de solis electis ac prædestinatis, qui docentur à Deo & per externam prædicationem & per internam revelationem: inepte igitur hi textus etiam secundum Calvinum trahuntur ad claritatem Scripturæ. Est igitur tam textus Isaiæ quam Christi intelligendus de præveniente, & ad credendum nos vocante & aliciente gratia, ut sensus sit: *ponam universos filios tuos doctos à Domino*, scilicet per fidem, quæ est donum supernaturale proveniens à Domino, quodque non obtinetur nisi per gratiam. Præterea S. P. August. Serm. Domini in monte L. 2. c. 6. dicit: ibi sermonem esse de hominibus post universale judicium: *post quod judicium, id est, cum discretio & separatio justorum ab injustis facta fuerit, ita inhabitat justos Deus, ut non opus sit quemquam doceri per hominem, sed sint omnes, ut scriptum est, docibiles Dei.*

Ad V. Verba S. Patris nostram de obscuritate S. scripturæ sententiam potius roborare: ultimæ particulæ: *nihil enim fere* &c. non probant à quolibet reperiri plenissime dictum, sed

ad ſummum probant reperiri à certis quibusdam copioſius à Deo illuſtratis. Præterea non dicit S. Pater omnia obſcura alibi reperiri planiſſima: ſed tantum ſi quid eruitur ex obſcuritatibus, reperiri doctrinas aliquas Sacras inde erutas, alibi planius ſcriptas: & hinc S. Doctor non dicit ſimpliciter eas rereperiri, ſed addit particulam *fere* valde limitantem: ſi enim illimitate hoc aſſereret, ſibi contradiceret, dum epiſt. 119. ad Januarium dicit: *Etiam in ipſis Sanctis Scripturis multo neſciam plura, quam ſciam.*

Ad VI. diſt. Et loquitur S. Chryſoſt. de myſteriis in Scriptura contentis, neg. & loquitur de claritate hiſtoriarum inibi enarratarum, conc. ſubdit enim S. Doctor: *At obſcure inquis? Quæ eſt iſta obſcuritas, dic quæſo? non hiſtoriæ ſunt? noſti quam clara ſunt, quod de obſcuris rogas.* Quod vero non neget obſcuritatem multis in locis S. ſcripturæ reperibilem, indicat in ipſa Hom. 3. de Lazaro. Præterea S. Doctor increpat etiam eos, qui fugientes Eccleſiam ſe excuſabant, quod neminem concionantem audirent, & dixit in confuſionem eorum, quod licet non adſit, qui concionetur, ſint tamen qui in Eccleſia Scripturas legant. Certe ſi hæc Chryſoſtomi Verba in rigore accipienda eſſent, ſicut quia Scriptura clara eſt, non egemus Doctore, ita nec per ſe egebimus concionatore, ſeu prædicatore: ſicque rueret neceſſitas prædicationis Evangelii, quam tamen Chriſtus Apoſtolis paſſim præcepit, & cui adeo fidunt Proteſtantes.

Ad VII. diſt. dicere, quod Scriptura ſit obſcura in omnibus, eſt deprimere ejus authoritatem, conc. dicere, quod ſcriptura ſit obſcura in aliquibus, neg. Obſcuritas enim S. ſcripturæ ait S. P. Aug. l. 2. de doct. Chriſt. c. 6. ſervit potius ad conciliandam ei Majeſtatem & reverentiam, nec indicat defectum in ea, ſed in nobis, ex defectu intellectus noſtri caligantis ad tam alta myſteria.

Ad

Ad VIII. dist. in hoc discriminantur, quod Vetus omnia figurative, adeoque obscure exhibeat tam quoad se, quam quoad nos, conc. quoad nos solum, neg. differunt itaque inter se hæc duo testamenta, quod in veteri non solum Scripturæ fuerint obscuræ, sed & mysteria contenta in eis & figurata non intelligebantur, nec aperiebantur, eo quod *omnia in figura contingebant illis* 1. Corinth. c. 10. nec adhuc ille venerat, qui figuras esset impleturus, & veritatem manifestaturus, & ideo liber erat adhuc signatus. Nunc autem cum Christus venerit, qui illa mysteria implevit, & toti orbi manifestavit, dicitur liber apertus.

Ad IX. Retorqueo argumentum in AA. Quod est magis notum non debet illustrari, interpretari, commentari, per id, quod est minus notum, & minus clarum: ergo si scriptura sit magis nota & clara, quam dicta & sententiæ Patrum, cur eam adhuc interpretantur Protestantes, imo Lutherus est interpretatus. Profecto hoc argumento Protestantes Sophistas (quos tamen tot maledictis insectantur) agunt: arguunt namque à notitia verborum ad notitiam veritatis rei. Dico ergo, magis quidem notum est, esse verum omne illud, quod in scripturis continetur, quam id, quod in Patribus continetur, & ideo Patres veritatem suarum sententiarum testimoniis scripturæ probant: verba tamen, quibus scriptura loquitur, non sunt notiora quam verba Patrum, & ideo Patres commentariis suis scripturam illustrarunt, quia verba scripturæ obscuriora sunt, quam verba Patrum.

Ad X. dist. Ss. Patres primitivæ Ecclesiæ scripturas legerunt sine commentariis scriptis, conc. sine commentariis divinæ vocis oraculo collatis, neg. Primi orientis & nascentis Ecclesiæ Patres utpote coævi Apostolis omnino non indigebant commentariis, eo quod habuerint commentaria, viva, ipsos nempe Apostolos, eorumque discipulos, quibus in intelli-

gendis ſcripturis adhæſerunt, & non ſicut Proteſtantes proprio ingenio id effecerunt.

Ad XI. Retorqueo Argumentum: Deus dedit etiam omnibus præcepta, ut omnibus eſſent regula, & ab omnibus obſervarentur: quare ergo Proteſtantes dicunt: præcepta Dei eſſe homini impoſſibilia. Si dicant: præcepta quæ naturæ homini ſecundum ſe impoſſibilia ſunt, eidem reddi poſſibilia per gratiam Dei: dicam & ego, ſcripturas, quæ ſecundum ſe obſcuræ ſunt, maxime attenta hominis imbecillitate, adjutorio gratiæ reddi claras, & manifeſtas. In forma diſt. ut eſſet fidelibus regula fidei, & morum magiſtra, ſecundum legitimam interpretationem Eccleſiæ, ad quam ſolam pertinet judicare de vero ſcripturarum ſenſu, conc. independenter ab hac interpretatione, neg.

Ad XII. Si S. Biblia ſunt teſtamentum Dei clarum: cur ergo inter Proteſtantes oriuntur tot lites & Controverſiæ circa hoc teſtamentum? cur aliqui ipſos hæredes obligant ad bona opera in ordine ad hæreditatem conſequendam, alii eos deobligant requirentes ſolam fidem in Chriſtum? imo dicentes, impoſſibilem eſſe mandatorum Dei obſervantiam? quæ tamen eſt conditio Dei teſtamento inſerta juxta id: *ſi vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Certe apud AA. tot ſunt fere hujus teſtamenti ſeu Scripturæ pro libitu factæ interpretationes & ſententiæ, quod Capita: unde & tot inter eos ſectæ atque ſchismata. Dico ergo: in teſtamento eam ſufficere claritatem, qua quis intelligat ſe eſſe hæredem Scriptum, & facile capiat conditiones pro hæreditate conſequenda à teſtatore præſcriptas: hæc autem facile intelliguntur in teſtamento Dei, ubi clare legimus, *quod Deus velit omnes homines ſalvos fieri*, & quod adultus rationis compos *ſi velit ad vitam ingredi, debeat ſervare mandata.*

Ad

Ad XIII. Expl. textum ſub diſt. eſt utilis, ſi debito modo intelligatur, & in vero ſenſu accipiatur, conc. ſecus, neg. Jam in proba oſtenſum, plures non accipientes ſcripturam in vero ſenſu prolapſos eſſe in hæreſes: quibus revera utilis non fuit ſcriptura ad docendum.

Ad XIV. Quod infans, vel potius puer uſu rationis prædìtus poſſit aliquid per ſuos parentes aut pædagogos, vel etiam per lectionem, ubi Scriptura clara eſt, in ſacris literis addiſcere: ita enim S. Timotheus addidicit per Aviam, aut Matrem ſuam 2. Timoth. c. 1. v. 5. & v. 15. vel per propriam lectionem. Si autem ſermo ſit de infante rationis uſu deſtituto, vel etiam eo prædito, quod per ſe ipſum poſſit omnem Scripturam capere: falſum eſt.

Ad XV. Patet ſolutio ex mox dictis: præterea S. Joannes diſcipulos ſuos ex teneritudine charitatis vocavit Infantes: uti eos ſæpe vocat filiolos.

Ad XVI. S. Chryſoſtomum voluiſſe, quod fidelibus Catholicis, ad quos ibi concionem habuit, omnia in Scripturis ſint dilucida & manifeſta, quæ ſunt ad ſalutem neceſſaria fidelibus inquam, qui traditionem amplectuntur, quique ex verbo Dei tradito, ſive non ſcripto circa ſcripturarum ſenſum ab Eccleſia edocti ſcripturas legunt, & intelligunt. In forma explico ſub diſt. Omnia ſunt dilucida & recta, quoad ſe, conc. quoad nos, neg.

Ad XVII. Explico ſub diſt. ſunt aperte poſita, ſi intelligantur ſecundum unanimem Eccleſiæ conſenſum, conc. ſi intelligantur juxta privatum cujusque judicium diſcretionis, neg. legatur S. Pater l. 1. cont. Creſcon. c. 32. & 33.

Ad XVIII. Eadem eſt reſponſio: & prior per verba S. Epiphanii explicatur.

Ad XIX. Neg. ant. ad 1. prob. Hoſium locutum eſſe in in hoc ſenſu, quod Verbum Dei ſcriptum, quod quis exponeret,

ret, & declararet contra Ecclesiæ Romanæ mentem, ac doctrinam, non sit verbum Dei sed satanæ: sunt & isti, qui verbum Dei contra mentem, ac doctrinam Ecclesiæ Dei exponunt, habentur pro hæreticis, & filiis satanæ, seu diaboli: ad minimum debent juxta Christi effatum Matth. c. 18. v. 17. pro Ethnicis & publicanis haberi. Si dicat aliquis Protestans ad Hunnium insignem Calumniatorem, & Zythophilum provocans: Hosium lib. 3. de Script. S. authorit. Scripturam S. appellasse *fabulamentum Æsopi*: Dico: id esse falsum, & ab hæreticis affictum: & dato; Forte Hosius cit. loc. meminit, quomodo S. Scripturam ut fabulas Æsopi, & gladiatorium ludum tractent nostri Protestantes: utpote quibus par est id, quod contra eos ex S. Scriptura profertur, vel rejicere, vel eludere: uti Lutherus in colloq. conmensf. de vet. & nov. testam. anno 1558. Francofurti impressis fol. 387. pag. 2. de libro Job fecit. Egregius Protoparens!

℞. Ad 2. Quod Romanæ Ecclesiæ & Papæ, dum Ecclesiam è Cathedra docet, doctrina in fidei dogmatibus sit infallibilis regula fidei, dicit non solum Prieras, sed ipsum dicunt omnes Ss. Patres, & omnia concilia, ut suo loco videbimus. Pro fidei regula inanimata admittimus S. Scripturam, quæ, prout est certum Verbum Dei, omnem virtutem, & authoritatem suam habet non à Papa, aut alio puro homine, sed â solo Deo. Pro iis vero, in quibus S. Scriptura est obscura & dubia, Ecclesia & hujus visibile caput summus Pontifex tanquam regula fidei animata, â Christo obtinuit potestatem Scripturam declarandi, & de ejus genuino sensu judicandi: & hoc Prieras dicere volebat: minime vero quod certum & clarum verbum Dei absque Papali approbatione nullam virtutem & authoritatem habeat.

℞. Ad 3. Ita propositio: *Nec Deo credimus, nisi propter Ecclesiæ approbationem*: si habeat hunc sensum, quod Deo absque

que Ecclesiæ approbatione credi non possit in iis, de quibus certum & clarum est, esse à Deo revelata, & in quo sensu sint revelata: tunc sumpta ista propositio foret prava: certum enim est D. Eckio & omnibus Catholicis, quod absque ulla Ecclesiastica approbatione indubitatus sit Verbo Divino & Scripturæ S. præstandus assensus. Si vero dicta propositio hunc faciat sensum, quod Deo absque Ecclesiæ approbatione credi non possit in iis, de quibus dubium est esse à Deo revelatum, & in quo sensu sit revelatum: vera est propositio: tunc enim Ecclesiæ debemus stare declarationi, & judicio: & in hoc sensu sunt accipienda verba Eckii: uti & ille textus S. P. Augustini Cont. epist. fundam. c. 5. *Ego Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret authoritas.*

℞. Ad 4. Bellarminum cit. loc. solum formare quæstionem, an necessarium, vel utile sit, ut S. Scriptura (prout hæretici modernis temporibus exigunt: in vulgare cujuslibet Provinciæ idioma transferatur? ad quod respondet negative ob plures rationes, maxime quia post quodlibet sæculum novis opus esset versionibus, cum quolibet fere Sæculo varientur linquæ vulgares: ex varietate autem versionum discordantiæ generentur.

℞. Ad 5. Canisium cit. loc. nec verbulum habere de objectis: de naso cereo &c. Ergo false & calumniose hæc adducuntur. Legatur Canisius cit. loc. & pag. 45. Contrarium omnino videbitur.

QUÆSTIO QUINTA.

Cujus sit de vero Scripturæ sensu judicare? seu quodnam sit determinatum fidei Tribunal?

CUm S. Scriptura, ut dictum est, in multis sit obscura, adeoque varios patiatur sensus: ergo restat inquirendum,

dum, ad quem ſpectet genuinum ſenſum à Spiritu S. intentum aperire, & proponere, ut ita fideles de illo certi ſint. Pro quo

Obſervandum 1. Certum eſſe inter nos & Proteſtantes, ſcripturas non proprio ingenio eſſe exponendas, ſed ſecundum dictamen Spiritus S. quia ex inſpiratione Spiritus S. & non humano ingenio, & voluntate ſcriptæ ſunt, ut habetur ex D. Petro Apoſt. 2. c. 1. v. 20.

Obſervandum 2. Certum itidem eſſe inter nos & Proteſtantes, S. Scripturam eſſe infallibilem fidei regulam, cum contineat verbum Dei, Deumque pro Authore habeat: quia tamen in pluribus eſt obſcura, & non clara, ac aperta, ideo ſe ſola non ſufficit ad diluendas, & determinandas controverſias fidei, ſed indiget alio judice in terris viſibili.

Obſervandum 3. Apud nos Catholicos hæc duo *Judicem*, & *Normam* ſeu *regulam* diſtinqui: docemus enim, Regulam ſeu normam, ſecundum quam Judex in decidendis fidei controverſiis fert ſententiam, eſſe verbum Dei ſcriptum, ſed non ſolum, verum & traditum: judicem vero controverſiarum eſſe Eccleſiam Univerſalem: quæ ſententiam, qua fidei controverſia dirimatur, poteſt pronuntiare dupliciter, nempe vel primò per Romanum Pontificem extra Concilium ex Cathedra, ſeu authoritative loquentem, ut ſcilicet eſt caput, & Doctor univerſalis Eccleſiæ: vel ſecundò per Concilia generalia à ſummo Pontifice approbata, & confirmata: utroque autem modo pronuntiatam Eccleſiæ ſententiam eſſe infallibilem ſuo loco oſtendemus. Diſtinctionem hanc inter Regulam & Judicem fieri debere cape exemplum ſequens:

Dum condito teſtamento, ac viro defuncto, qui de hæreditate diſpoſuit, propinqui nequeunt ad concordiam revocari: norma quidem, ſeu regula ad litem dirimendam ſunt tabulæ teſtamenti à Notario conſcriptæ: ſed neuter jure bona Teſtatoris acquiret, ſi unus aut neget producta inſtrumenta, aut

quæ-

quædam in eis dubia inveniat, ideoque ex his petat causæ suæ patrocinium: neque sit vivus judex, qui perpendat pugillaria, audiat dissidentes, sensum explicet, & sententiam pronuntiet. Ita post Christi mortem intentarunt nobis litem ad hæc usque tempora Hæretici, nec fuit eorum quispiam, qui testamentum, sacram scilicet divinamque Scripturam non proferret: hanc & nos tanquam Dei testamentum recipimus, hanc normam fidei & veritatis regulam esse fatemur: & quomodo poterit dignosci, ad quos pertineat hæreditas, ad quos spectet Ecclesia, ad quos custodiendum fidei depositum; si proferentibus nobis libros aut sapientiæ, aut Ecclesiastici, aut Machabæorum, respondent Sectarii: non est testamentum Domini: aut promentibus Evangelia, reponunt, aliam esse mentem Testatoris: quis judicabit? Judicis vivi necessaria est sententia, qui decernat sacrorum codicum germanitatem, ac sensum. Aperte S. P. Augustinus judicem à testamento seu norma discernit, cum in Psal. 21. ita scribit: *Quare litigamus? Non intestatus mortuus est Pater, fecit testamentum, & mortuus est. Tamdiu contenditur de hæreditate mortuorum, quamdiu testamentum proferatur in publicum: & cum prolatum fuerit, tacent omnes: ut tabulæ aperiantur, & recitentur. Judex intentus audit, advocati sedent, universus populus suspensus est, ut legantur verba mortui.*

Observandum 4. In judice controversiarum requiri sequentia. 1. ut sit visibilis, & vivens: visibilis quidem, ut ad eum recurri possit: vivens autem, ut discrepantium rationes & momenta audiat, & ponderet. 2. Ut habeat jurisdictionem, & authoritatem, qua non solum proponat, quæ vera et justa sunt, uti proponit quivis Consiliarius: sed etiam subditos cogere possit ad obtemperandum, & punire rebelles. 3. Ut sit infallibilis in iis, quæ ex fide credenda decernit. 4. Ut omnem Religionis Controversiam etiam in propria causa terminare possit.

His ergo obſervatis, Proteſtantes, ne cogantur admittere traditiones, audire Eccleſiam, Concilia, Romanum Pontificem, aſſerunt, ſolam S. Scripturam eſſe infallibilem fidei regulam, & judicem controverſiarum, non diſtinguentes inter regulam & judicem. Alii vero Spiritum privatum, ſeu privatam Spiritus S. revelationem, ſeu internam Spiritus S. perſuaſionem & illuſtrationem, qua Spiritus S. fideli lectori adeſt, eique verum ſenſum dictat, ut judicem audiendum eſſe docent. Catholici vero Eccleſiam, ejusque ſupremum in terris viſibile caput judicem eſſe tuentur, normam vero, juxta quam Eccleſia judicat, non ſolum Scripturam, ſed & traditionem eſſe, agnoſcunt: & ut clare in hac quæſtione procedamus, per ſequentes Paragraphos decidemus. Igitur ſit

§. I.

Dico 1. S. Scriptura Sola non eſt, nec poteſt eſſe ſui ipſius Judex, & Interpres.

PRobatur 1. Scriptura S. ſpectari poteſt vel quoad literam, vel quoad ſenſum: atqui Scriptura S. neque quoad literam, neque quoad ſenſum ſpectata poteſt eſſe ſui ipſius Judex: ergo. Prob. min. quoad 1. part. Scriptura S. literaliter ſumpta ſane multos occidit, & in errorem ac hæreſim induxit, ut conſtat ex illo Pauli 2. ad Corinth. c. 3. v. 6. dicentis: *Litera occidit, Spiritus autem vivificat*. Conſtat & exemplo multorum, quos ſola Scripturæ litera variis temporibus occidit, & in hæreſim induxit: ſic

Primo *Sabellianos* occidit, & Trinitatem in Divinis negare fecit, quatenus hi relicto genuino Scripturæ ſenſu, & ad literam explicantes illud Chriſti Joan. c. 10. v. 20. dicentis: *Ego & Pater unum ſumus*: inferebant Patrem & Filium ac conſequenter Spiritum S. eſſe unum quoad Perſonam: cum tamen

juxta

juxta genuinum Chriſti ſenſum, & mentem Eccleſiæ, Chriſtus his verbis ſignificet, ſe unum eſſe cum Patre quoad eſſentiam, & non quoad Perſonam.

Secundò *Arianos* occidit nuda litera, & in deteſtabilem illam hæreſim induxit, qua Chriſtum non Deum, ſed Deo minorem & inferiorem eſſe docebant, quia ad literam genuino relicto ſenſu illud Chriſti apud Joan. c. 14. v. 28. *Pater major me eſt:* abſolute dictum putabant, cum tamen juxta Patres & mentem Eccleſiæ Chriſtus ibi de ſe loquatur ut homine præciſe, ſolumque ſe minorem Patre quoad humanitatem, non vero quoad Divinitatem dicere velit.

Tertio *Macedonianos* pariter occidit Scripturæ litera ſola, & ad Spiritus S. divinitatem negandam induxit, dum hi ad literam explicantes illud Pauli 1. ad Corinth. c. 2. v. 10. dicentis: *Spiritus omnia ſcrutatur etiam profunda Dei:* unde ſic diſcurrebant: qui ſcrutatur, quærit: qui quærit, dubitat: qui dubitat, ignorat: qui ignorat, Deus non eſt: ergo Spiritus S. Deus non eſt: & in hoc errabant ipſi: cum germanus Apoſtoli ſenſus ſit, quod Spiritus S. dicatur omnia ſcrutari, quatenus omnia etiam cordium ſecretiora videt, penetrat, & comprehendit, ac proinde quod ſit Deus, de quo dicitur 1. Paralip. c. 28. v. 9. *Omnium corda ſcrutatur Deus.* Item Pſal. 7. v. 10. *Scrutans corda & renes Deus.* Item Jerem. c. 17. v. 10. *Ego Dominus ſcrutans corda.*

Quartò *Manichæos* etiam occidit nuda Scripturæ litera, eosque hunc in errorem induxit, quo vetus teſtamentum novo contrarium eſſe credebant, quia ad literam intelligebant vetus, dum Gen. c. 1. v. 27. dicit: *Hominem ad imaginem Dei factum*: & pariter novum, dum Joan. c. 8. v. 44. *hominem ex diabolo eſſe* docet: & iterum vetus, dum Gen. c. 2. v. 2. ait: *Deum quievisse die ſeptimo ab omni opere*: & novum, dum Joan. c. 3. v. 17. ait: *Deum uſque modo operari*: hæc enim ad literam intellecta videntur ſibi contraria, non autem ſi ſecundum genuinum Scri-

pturæ & Ecclesiæ sensum explicentur: non enim repugnat hominem esse ad imaginem Dei quoad naturam, & ex diabolo quoad malitiam: nec, Deum quievisse die septimo ab opere creationis mundi, & tamen operari adhuc in eodem conservando, atque gubernando mundo.

Præter hos alios innumeros subsequentibus temporibus nudæ Scripturæ litera occidit, & in varios errores, & hæreses induxit: ergo Scriptura S. secundum literam nequit sui ipsius esse Judex.

Prob. etiam min. argumenti quoad 2. part. videlicet, quod nec quoad sensum spectata Scriptura S. queat esse sui ipsius Judex: sensus Scripturæ S. sæpe est ambiguus, obscurus, & delitescit, ut ex priori quæstione patet: ergo nec quoad sensum spectata potest esse sui ipsius Judex, sed pro genuino Scripturæ sensu ad Ecclesiam recurrendum est.

Confirmatur 1. Quando de alicujus Scripturæ sensu controvertitur, ipsa Scriptura est materia, seu objectum controversiæ, nempe id, de quo partes controvertunt: ergo non potest esse Judex: quis enim unquam dicet, objectum controversiæ esse judicem controversiæ: ergo.

Confirmatur 2. Controversia de Scripturæ sensu tolli non potest per nuda verba illius scripturæ, sed tolli debet per genuinum sensum verborum: atqui de illo sensu controvertitur, quis sit? ergo Interpres & Judex, qui decernat, quis sit genuinus sensus, non potest esse ipsa Scriptura: sicut in Republica, lex non potest esse Judex de ejus sensu, quando de eo ambigitur, sed præter legem necessarius est Judex, qui de mente & sensu legis respondeat.

Dicunt AA. Controversiam de sensu Scripturæ in uno loco subobscuro tolli per alium locum Scripturæ magis clarum: ideoque scripturam posse uno loco claro esse Judicem ac interpretem suimet circa alium locum obscurum. Unde dicit S. P. Aug.

Aug. lib. 5. de Doct. Christ. c. 6. non est in Scriptura locus obscurus, qui per alium clarum intelligi non possit: *Nihil fere de illis obscuritatibus eruitur, quod non planissime dictum alibi reperiatur.* Hæc responsio etsi jam sit impugnata in præcedenti quæstione sub responsione 5. AA. adhuc

Contra est 1. Proferant AA. textum Clarum explicantem principium & finem Ezechielis: plurima loca obscura in Prophetis, in Epistolis Paulinis, in Apocalypsi, aliaque, de quorum sensu dubitatum est, & adhuc dubitatur: ergo.

Contra 2. Verba hujus Scripturæ textus: *Hoc est corpus meum*: Lutherani proprie & literaliter accipiunt, Calvinistæ autem figuraliter & symbolice. Item hæc verba: *Baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus S.* Anabaptistæ de solis adultis: alij vero de omnibus promiscue accipienda esse docent: Jam si allati textus ambigui, obscuri sunt, cur non proferuntur alii tam expressi & aperti ac clari, ut pars contraria acquiescat, cum juxta AA. unus locus obscurus Scripturæ tollatur per alium locum Scripturæ magis clarum? cur Lutherani & Calvinistæ de loco citato Scripturæ, qui obscurus est, altercantes, non recurrunt ad alium, qui clarus est? aut si id faciunt, cur nullus altercandi apud ipsos est finis? cur hac via Protestantes non finiunt lites, quas inter se habent? Ergo inanis & futilis est responsio AA.

Contra 3. Multa sunt testimonia Scripturæ, quorum verus ac legitimus sensus haberi non potest ex ipsa S. Scriptura, nisi accedat traditio, aut authoritas Ecclesiæ: ergo si oriatur controversia circa ipsa, sola Scriptura non poterit esse Judex. ant. prob. 1. Christus dicit Matth. c. 28. v. 19. *Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus S.* quorum verborum sensus legitimus est etiam juxta AA. in baptismo pronuntianda esse hæc verba: *Ego te baptizo in nomine Patris & Filii, & Spiritus S.* Jam posito si aliquis negaret hunc esse

sen-

ſenſum, & diceret, non eſſe opus pronuntiare dicta verba, ſed ſufficere, ut qui baptizat, interne velit baptizare in nomine Trinitatis, ut viſus eſt ſentire Zwinglius *de vera & falſa Religione.* Vel ut, qui baptizatur, intendat recipere in nomine Trinitatis, ut ait Lutherus lib. de capt. babyl. c. de baptiſmo: quomodo illum confutaremus? Non ex ſolis Scripturæ verbis: nam illa verba *baptizantes eos* &c. non dicunt vocalem Trinitatis invocationem adhiberi oportere: alius clarus textus Scripturæ hoc explicans reperibilis non eſt, vel adducatur? unde ergo conſtabit? niſi ex traditione Eccleſiæ: ergo.

Præterea: Chriſtus in ultima cæna non ſolum inſtituit Euchariſtiam, ſed etiam lotionem pedum adhibuit: & quidem in inſtitutione Euchariſtiæ dixit: *comedite, bibite* Matth. c. 26. In lotione autem pedum ait Joan. c. 13. v. 24. *Et vos debetis alter alterius lavare pedes:* Hic AA. dicunt, priora verba continere præceptum: adeoque fideles omnes divino præcepto obligari ad ſumendam Euchariſtiam utraque ſpecie: at poſteriora verba non continere præceptum. Nunc quæro, ex quo fundamento exiſtiment, ſe teneri quidem ad ſumptionem Euchariſtiæ ſub utraque ſpecie, à lotione autem pedum liberos eſſe? Non poſſunt prætexere Scripturæ verba, nam hæc potius contrarium præſeferunt: hæc enim *comedite, & bibite*, non videntur præſeferre plus, quam ſi Paterfamilias ſuis hoſpitibus dicat, comedite, bibite, læti eſtote, quibus certe non cenſeretur velle eos obligare ſub præcepto, ut comederent, ac biberent. Hæc autem alia: *vos debetis alter alterius lavare pedes*: videntur ſignificare præceptum non minus, quam ſi Dominus dicat ſervo: tu debes hoſpitibus meis lavare pedes. Unde igitur ſciunt ſe hiſce verbis non obligari ad lavandos pedes, cum verba potius obligationem præſeferant? Non aliunde, niſi ex traditione Eccleſiæ, quæ nunquam exiſtimavit, hanc lotionem eſſe præceptam. Ergo.

Con-

Contra 4. Si de illa prætensa majori aliornm testimoniorum claritate, discordia, ut sæpe fit, excitetur, quis Judex erit? necesse est, ut tunc in dubio ac suspenso hæreat fides: ergo.

Contra 5. Si in quæstionem veniet ipse Canon Scripturarum? an Scriptura, quam præ manibus habemus, genuinum sit Dei verbum? an autographis Prophetarum & Apostolorum conformis? an pura & integra ad nos pervenerit? an Judæorum aut Hæreticorum fraudibus sit depravata & corrupta? an hi vel illi libri sint Canonici vel non? de omnibus his Heretici litem moverunt? quomodo lis hæc solius Scripturæ testimonio refelli & dirimi poterit? nonne Lutherani & Calvinistæ negant Canonicos esse libros Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Ecclesiastici, & Machabæorum? imo nec ipsi inter se de nonnullis libris consentiunt: Lutherus è Canone rejicit Epistolam ad Hebræos, & illam quæ S. Jacobi est, & Apocalypsim, quos libros admittit Calvinus: quis quæso Judex erit inter illos? quæ ipsis certa regula veritatem illam dignoscendi? Nulla. An confugient ad textus claros, & perspicuos? ubi sunt? citentur? necesse est alterutrum sequi: nempe vel nullos tales textus dari claros & perspicuos: vel certe si dentur, Lutheranos & Calvinistas pervicaces esse, quod his claris & perspicuis textibus non acquiescant. Præterea sit impius aliquis, qui utrumque testamentum repellat, per quam alterius testamenti auctoritatem poterit controversia ista resolvi? Pervulgatum est hoc argumentum, quod tamen magno verborum pondere urget S. P. Augustinus lib. 11. Contra Faustum c. 2. *Si non de aliqua particula, sed de toto audies contradicentem, & clamantem, falsus est: quid ages? quo te convertes? quam libri à te prolati originem, quam vetustatem, quam seriem successionis testem citabis? Nam si hoc facere conaberis, & nihil valebis: & vides in hac re, quid Ecclesiæ Catholicæ valeat auctoritas, quæ ab ipsis fundatissimis sedibus*

Apostolorum usque ad hodiernum diem succedentium sibimet Episcoporum serie, & tot populorum consensione firmatur. Atque hinc est, quod Athanasius in Synopsi rationem afferens, cur non recipiamus Evangelium Thomæ, respondet: *quia non est in Catholico Canone.* Et S. P. August. lib. 1. Serm. Dom. in Monte c. 3. scribit: à nobis censeri Apocrypham Apocalypsim Pauli, quoniam illam *Ecclesia sana non recipit.* Econtra libros Machabæorum, aliosque ab Hæreticis rejectos ipsius Ecclesiæ auctoritate retinemus juxta regulam S. P. August. lib. 11. de Doctrina Christ. c. 8. Et lib. 18. de Civit. Dei c. 36. Ergo.

Probatur Conclusio 2. Si Scriptura, ut AA. prætendunt, ita sit Clara, ut se sola omnes fidei Controversias valeat dirimere, cur Protestantes in Augustanæ Confessionis præfatione Carolum V. Imperatorem pro Concilio Generali, quod Scripturam, & quid tenendum sit, declaret, tam instanter solicitarunt? cur Argentinenses Lutherani ac Professores Confessionem Augustanam, & Apologiam vocant normam & regulam totius doctrinæ Christianæ? prout testantur Lipsienses notitiæ ad annum 1714. his verbis: eo quod (Augustana confessio, & Apologia) sit norma & regula totius doctrinæ non tantum de Cæna Domini, sed etiam de reliquis articulis omnibus, ex verbo Dei sincere & incorrupte in scholis & Ecclesiis docendi? cur illud principale Saxo-Gothense Fridensteinii anno 1715. die 20. Febr. emanatum Edictum ita habet? Mandamus, quod nemo præsertim contra libros Symbolicos, nempe Augustanam Confessionem, Apologiam, librum concordiæ, librum Corpus doctrinæ intitulatum &c. tanquam principia & formam nostræ confessionis quovis modo aut scribere præsumat: etiam quilibet Candidatus illa, tanquam à nostra Ecclesia secundum Scripturam examinatam regulam & normam sine ulla limitatione aut reservatione suscipiat, & subscribat. Ergo juxta Protestantium doctrinam non sola Scriptura, sed penes hanc etiam Con-

fessio

fessio Augustana, & Apologia &c. sunt norma ac regula credendi, & docendi.

Probatur Conclusio 3. Si sola Biblia sunt Judex Controversiarum, quæro, quænam sint illa Biblia? Lutheranus respondebit: *Mea.* Calvinianus *Mea.* Zwinglianus *Mea.* Catholicus *Mea.* Et sic de reliquis. Ergo tot erunt diversi Judices, quot Biblia diversa. Quis in causa fidei v. g. inter Lutheranum & Calvinistam controversa Judicabit? quæ Scriptura feret sententiam in quæstionibus fidei controversis? an Catholica? an Calvinista? an Lutherana? an Zwingliana? Catholica ab omnibus rejicitur, Lutherana à Calvinistis, horum à Lutheranis: ergo.

Dicet Lutheranus: Scripturæ Catholicorum, Calvinistarum, Zwinglianorum &c. non sunt veræ ac puræ, consequenter nequeunt in rebus fidei esse arbitri aut Judices. Sed

Contra 1. Sicut Lutheranus dicit, Scripturas Catholicorum, Calvinistarum, Zwinglianorum non esse veras, ac puras: ita dicit Catholicus, Calvinista, Zwinglianus scripturas Lutheranorum non esse veras, ac puras: ergo.

Contra 2. Unde Credam Lutherano dicenti: Scripturam Catholicorum, Calvinistarum, Zwinglianorum &c. non esse veram, ac puram? nam juxta principia Lutheranorum nihil possum fide Divina credere, quod non est clare expressum in scriptura: atqui Catholicam, Calvinisticam, Zwinglianam &c. Scripturam non esse veram ac puram scripturam: econtra Lutheranam esse veram ac puram, non est clare expressum in scriptura, vel dicatur in qua, quo loco? ergo id non possum fide divina credere: nec Lutheranus potest de sua scriptura tanquam vera ac pura habere fidem divinam: ergo inutilis & incapax est, ut sit Judex controversiarum fidei. Ergo.

Probatur Conclusio 4. In omni republica bene instituta, & ordinata, *Lex*, & *Judex* duæ sunt res distinctæ: *Lex* enim

docet, quid ſit agendum: *Judex* vero ex præſcripto legis pronunciat: Lex dirigit ſubditos declarando ipſis, quæ facienda ſunt vel omittenda: Judex autem illos cogit, ut faciant, vel omittant, ac reos pro delicti natura punit. Jam ſcriptura eſt quidem lex, norma, ac regula fidei & morum: at non poteſt eſſe Judex, ut contendunt Proteſtantes: nam qui Judex eſt inter duos litigantes, debet ita pronuntiare ſententiam, ut uterque litigantium clare intelligat, quænam ſit Judicis ſententia: & alter eorum fateatur illam pro ſe, alter contra ſe latam eſſe: niſi ita fuerit, à lite non deſiſtent, & interminabilis evadet controverſia: atqui non poteſt ſola ſcriptura id præſtare: nam Lutherani & Calviniſtæ litigant tum inter ſe, tum nobiſcum: hactenus tamen ex ſola ſcriptura finiri ac terminari non potuit controverſia, & quisque in priori ſua ſententia immotus perſiſtit: eſt ſiquidem ſcriptura regula, ut vocant mortua, ergo ſe ipſam exponere non poteſt, nec conſequenter lites circa varium ipſius ſenſum excitatas componere. Ergo.

OBJECTIONES.

OBjicies I. Dum in Veteri teſtamento orireretur Controverſia aliqua, Judæi ad ſcripturam tanquam ad Judicem mittebantur juxta illud Iſaiæ c. 8. v. 20. *Ad legem magis & ad teſtimonium:* ergo & in novo teſtamento ad ſcripturam tanquam ad Judicem recurrere oportet.

II. Ad dirimendam Controverſiam illam, qua Judæi olim Chriſtum Filium Dei negabant eſſe, Chriſtus illos ad ſcripturas provocat dicens Joan. c. 5. v. 59. *Scrutamini Scripturas:* ergo ſuo exemplo ſcripturam controverſiarum fidei Judicem eſſe indicat.

III. Actor. c. 17. v. 11. dicitur: quod Beræenſes fuerint quotidie ſcrutantes ſcripturas, an illa ita ſe habeant, ſicut illis Pau-

Paulus prædicabat: ergo hi pro Judice controverſiarum fidei ſcripturas agnoſcebant.

IV. Joan. c. 7. v. 17. dicitur: *ſi quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoſcet de doctrina, utrum ex Deo ſit, an ego ex me ipſo loquor:* ergo omnes probi & boni titulo probitatis & ſanctitatis poſſunt intelligere omnia loca Scripturarum.

V. Qui ſcripturas ſcrutatur, fit homo ſpiritualis: ſed dicitur 1. Corinth. c. 2. v. 15. *Spiritualis homo judicat omnia, & ipſe à nemine judicatur:* ergo.

VI. Regula fidei noſtræ eſt verbum Dei: ergo de ſe eſt clara, & intelligibilis ab omnibus.

VII. Primævi Patres intellexerunt ſcripturas absque interpretatione Eccleſiæ: ergo & nunc erunt intelligibilis ſine tali interpretatione.

VIII. Controverſia de ſenſu ſcripturæ in uno loco ſubobſcuro tollitur per alium locum ſcripturæ magis clarum: ergo ſcriptura uno loco clara poteſt eſſe Judex ac interpres ſui circa alium locum obſcurum.

IX. S. P. Auguſtinus Epiſt. 178. Contra Arianos ad Paſcentium ait: In diſputationibus ſine ſcripturarum auctoritate nihil temere aſſerendum: ergo in omnibus fidei controverſiis ſola ſcriptura eſt Judex.

X. S. Paulus 2. ad Timoth. c. 3. v. 16. ait: *Omnis Scriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad erudiendum in juſtitia, ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus:* ergo ſcriptura eſt ſufficiens ad fidei controverſias dirimendas.

SOLUTIONES.

AD I. Hæreticos textum Iſaiæ ſibi absque readoptare. Scriptura ſiquidem ibi eos redarguit, qui, ut futura dignoſce-

cerent, ad Pythonissas, Ariolos, & maleficos confugiebant, & liquet ex verbis proxime præcedentibus: *& cum dixerint ad vos: quærite à Pythonibus, & à divinis, qui strident in incantationibus suis.* Hique recte partim ad legem, partim ad testimonium remittuntur, ut sic instruantur, melius & salubrius fore testimonium legis, & Prophetarum Consilium futura sciendi, quam Ariolorum & Pythonissarum vaticinium, & prognosticatio falsissima: quod aliunde per legem Domini Deut. c. 18. v. 9. prohibebatur.

Ad II. dist. ant. Christus illos provocat ad scripturas tanquam Controversiæ hujus Judicem, neg. ant. tanquam ad fidelem, Judæisque non suspectum suæ doctrinæ, & sanctitatis testem, conc. ant. neg. conseq. Hoc eruitur ex ipsis Christi verbis, dum non dicit scrutamini scripturas, illæ de me judicant, sed *illæ testimonium perhibent de me.* Cum enim Judæi Christo utenti & perhibenti triplex testimonium divinitatem suam probans, nempe *Joannis* c. 1. v. 34. *Suorum miraculorum* Joan. c. 1. v. 36. & *Patris sui æterni* Joan. 1. c. 37. Fidem adhibere renuerint: quarto usus est contra eos testimonio, & quasi ex concessis argumentando ad Scripturas scrutandas remisit, quoniam has illi admittebant. Itaque scripturæ testimonium quidem optimum est ad dignoscendam veritatem: sed si obscurum sit, alia suppetunt media, ut rerum habeatur intelligentia, judicium nempe Ecclesiæ.

Ad III. Beræenses non ad Scripturas legendas se convertisse, ut crederent Paulo: jam enim verbum cum omni aviditate susceperant: sed ut in fide proficerent, videntes omnia, quæ de Christo vero Messia, passo, & resurgente ab Apostolo enuntiabantur, fuisse prædicta vaticiniis Prophetarum: uti in hunc locum Grotius (quem tanti faciunt Novatores) tom. 2. op. Th. p. 630. Scribit his verbis: *Non quod dubitarent de veracitate*

racitate Pauli & Silæ, ſed ut prophetica ſcripta cum illorum verbis conferendo, magis magisque in veritate confirmarentur, & haberent, unde alios convincerent. Hac intentione animoque proficiendi unicuique licet ſcripturas expendere, & ex illis veritatem inveſtigare judicio diſcuſſionis, non judicio definitionis, quæ duo callide Heterodoxi confundunt. Præterea Beræenſes non recurrebant ad ſcripturas tanquam judicem controverſiarum fidei, ſed tantum tanquam motivum credibilitatis. Nam diverſa eſt ratio illorum, quibus nova doctrina proponitur, & illorum, qui jam Religionem Chriſtianam per baptiſmum profeſſi ſunt. Illi enim ſi prophetias, ſi miracula, ſi rerum conſonantiam, ſi auctorum fidem explorant, prudenter ſe gerunt, cum nemo teneatur credere, priusquam motiva credibilitatis ad trutinam revocarit: & tales fuere Beræenſes. Econtra qui jam fide imbuti ſunt, & Chriſti Religionem ſuſceperunt, debent in ea ſupremi Judicis agnoſcere auctoritatem: ſine qua Religionis unitas conſiſtere nequit: contra hoc

Dices: Beræenſes non recurrebant ad ſcripturas tanquam motivum credibilitatis, ſed eam pro Judice venerabantur, cum ſtatim in Chriſtum crediderint: ſcriptum eſt enim AA. c. 17. v. 11. de iis: *Suſceperunt verbum cum omni aviditate quotidie ſcrutantes Scripturas, ſi hæc ita ſe haberent:* ergo. ℞. neg. ant. Verba enim iſta: *cum omni aviditate:* non ſignificant illos avide in Chriſtum credidiſſe, ſed ſolum indicant, quod Paulum audiverint, & ejus zeloſæ prædicationi, atque de Chriſto habitis concionibus cum aviditate interfuerint.

Ad IV. Chriſtum cit. loc. non hoc intendere, quod omnes viri boni ſoli titulo probitatis & ſanctitatis per ſe intelligere poſſint omnia loca ſcripturarum obſcura & difficilia: ſed ibi hoc unum velle Chriſtum, quod viri juſti & probi careant impedimentis quibusdam, propter quæ alii quidam nec per ſe nec per alios fidei veritatem intelligere poſſint: cupiditas enim v. g.

glo-

gloriæ, pecuniarum &c. oculos excæcat. Unde Joan. c. 5. v. 44. dicitur: *quomodo vos poteſtis credere, qui gloriam ab invicem accipitis.* Item Lucæ c. 16. v. 14. *Audiebant hæc Phariſæi, qui erant avari, & deridebant eum.*

Ad V. Ariani, Sabelliani, Neſtoriani & alii veteres Hæretici Scripturas ſcrutati ſunt non minus, quam hodierni Proteſtantes, adeoque & illos ſicut hos factos fuiſſe ſpirituales: ergo & Ariani, Sabelliani, Neſtoriani, aliique veteres Hæretici non minus quam Calviniani, Lutherani &c. judicant, & non judicantur: eruntque fidei Judices. Cæterum qui ſcripturas ſcrutatur cum animo eruendi veritatem ſubmittendo ſe judicio infallibili Eccleſiæ Catholicæ: qui Scripturas ſcrutatur ſequendo ſenſum definitum ab Eccleſia Catholica, is ſpiritualis eſt, is judicat, & non judicatur: Ille vero, qui ſcrutatur ſcripturas errores ſuos propugnando, in falſum ſenſum eas detorquendo: ſecundum proprium fallibile, & mendax Judicium interpretando: veritatem definitam ab Eccleſia Catholica impugnando: is non ſpiritualis, ſed pure animalis eſt homo: is non debet præſumere judicare, ſed timendum habet, ut à juſto Judice judicetur: & tales ſunt Novatores. Præterea ſpiritualis, qui judicat, & non judicatur, is plane eſt, qui tanquam Doctor alios inſtruere debet, ut ex Apoſt. ad Galat. c. 6. v. 1. evincitur: *Vos, qui ſpirituales eſtis, hujusmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis:* cum ergo non omnes ſint legis Doctores ab Eccleſia conſtituti, ſenſum ab ea definitum proponentes, in aperto eſt, prædictum textum in argumento non omnibus ſcrutantibus ſcripturas applicandum eſſe.

Ad VI. diſt. ant. Regula fidei noſtræ eſt verbum Dei infallibiliter declaratum, & explicatum per auctoritatem infallibilem Eccleſiæ, cui Chriſtus continuam aſſiſtentiam promiſit ad docendum omnes fidei veritates, ut inferius latius probabitur, conc. ant. eſt verbum Dei expoſitum à fide vera alienis, quibus

bus Christus infallibilem assistentiam non promisit, nec promittere potuit, neg. ant. & conseq.

Ad VII. dist. ant. intellexerunt scripturas absque interpretatione scripta, conc. ant. absque interpretatione Divinæ vocis oraculo collata, neg. ant. & conseq. Primi orientis & nascentis Ecclesiæ Patres utpote coævi Apostolis omnino non indigebant commentariis, eo quod habuerint commentaria viva, ipsos nempe Apostolos, eorum discipulos, aut Pontificem ex Cathedra loquentem: quibus intelligendis scripturis adhæserunt: & non sicut Novatores proprio ingenio id effecerunt.

Ad VIII. dist. ant. tollitur in aliquibus per alium clariorem, conc. ant. in omnibus, neg. ant. & conseq. solutio patet ex probis. Et Instatur: In lege humana persæpe unus textus obscurus explicatur per contextum clariorem, & tamen lex hæc non est sui interpres, neque lites per solam legem, sed per judicem secundum legem dirimuntur: ergo pariter.

Ad IX. Trans. ant. neg. conseq. quæ in antecedenti non continetur: nam si in fidei disputatione, dum textus scripturæ non suffragatur, proferam auctoritatem verbi Divini non scripti, Ecclesiæ &c. non assero temere. Præterea non omnia, quæ sine scripturæ probatione afferuntur, sunt habenda pro temeritate: siquidem res sunt non paucæ, quas Christiani credimus, etsi in S. Scriptura expresse non contineantur, uti sunt Consubstantialitas Divinarum Personarum in Trinitate: quod Deipara in & post partum manserit Virgo; quod Biblia sint verum Dei Verbum: &c. Satis est enim, quod secundum sensum in scriptura contineantur. Vere nostris Novatoribus commune est cum Pelagianis & Arianis teste D. P. August. lib. de nat. & grat. dicere: *Credamus igitur, quod legimus, & quod non legimus, nefas credamus adstruere.* Dixi *Trans. ant.* Nam loc. cit. Verba ita sonant: *nihil, præterquam quod scriptum est, debere*

quemquam in defensione fidei applicare, vel nominare: ast hæc verba non sunt S. P. Augustini, sed Pascentii Ariani Hæretici, qui illa in quadam disputatione coram aliquo Regio locumtenente protulit: eo quod græcam voculam *Homousios*, latine *consubstantialis*, in Dei Ecclesia pati nollet ex falsa hac ratione, quod illa vocula non contineatur in S. Scriptura: quam rationem S. P. Augustinus refutat ita: Pascentius admittit, quod Pater in Divinis sit ingenitus & incapabilis, seu incomprehensibilis: quamvis id in nulla scriptura contineatur: ergo etiam.

Ad X. Conc. ant. neg. conseq. Non enim idem est *utile* ac *sufficiens*: nec omne id sufficit, quod est utile. Sic utilis est Eleemosyna ad salutem, sed sola non sufficit: & sic de pluribus: ergo.

Dices: Cap. 22. v. 16. 17. & 18. Apocal. habetur: *Contestor omni audienti verba prophetiæ libri hujus: si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto. Et si quis diminuerit de verbis libri prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ:* ergo. ℞. Hæc ad præsentem materiam non esse. Neque enim Ecclesia ut Judex controversiarum scriptis quidquam addit, aut ab ipsis quid detrahit. Nam illa est custos depositi, quod integrum & illæsum servat: solum textum scripturæ ex officio exponit, non auget, non minuit. Hic textus proprie AA. Novatores ferit: qui scripturam adulterant, partim addunt, partim demunt, ut lustranti Biblia Novatorum, & cum authentica combinanti ad oculum patescet.

§. II.

Dico 2. Judex Infallibilis de sensu S. Scripturæ, non est Spiritus privatus, seu Spiritus S. cuique fideli assistens.

JAm præmissum est, Spiritus privati nomine intelligi internam Spiritus S. persuasionem, seu illustrationem, ac revelationem,

nem, qua fidelis privatus discernit veritatem in controversiis fidei, ut docent Hæretici. Non negant Catholici, Spiritum S. aliquibus privatis & probis hominibus aliquando concedi, & concessum esse, sed solum negant, hunc Spiritum ita certo adesse cuilibet privato etiam fideli, ut quilibet privatus possit certum & infallibile judicium de vero sensu scripturarum ferre, ut Protestantes prætendunt. Hoc præmisso

Probatur Conclusio 1. Spiritus à Deo reprobatus nequit esse Judex infallibilis controversiarum fidei: sed spiritus privatus est à Deo reprobatus: ergo spiritus privatus non potest esse Judex infallibilis controversiarum fidei. min. prob. 1. Jerem. c. 23. v. 16. habetur: *Nolite audire verba Prophetarum, qui prophetant vobis, & decipiunt vos: visionem cordis sui loquuntur, non de ore Domini.* 2. Ezech. c. 13. v. 3. dicitur: *Væ Prophetis insipientibus, qui sequuntur, Spiritum suum, & nihil vident.* 3. Maria soror Moysis & Aaron frater, qui murmurantes contra Moysen, & putantes sibi æque ac illi Dominum loqui per privatam revelationem, seu per spiritum illum privatum, dixerunt Numer. c. 12. v. 2. *Num per solum Moysen locutus est Dominus? nonne & nobis similiter locutus est?* quod cum audisset Dominus, iratus est, & gravi lepra percussit Mariam sororem Moysis. 4. 3. Reg. c. 22. v. 23. *Dedit Dominus spiritum mendacii in ore omnium Prophetarum tuorum, qui hic sunt.* 5. 2. ad Thessal. c. 2. v. 2. dicitur: *Rogamus - - - ut non cito moveamini à vestro sensu, neque terreamini, neque per spiritum, neque per sermonem:* Hic Paulus duos deceptores præcavendos admonet: judicium spiritus privati, & Pseudoprophetarum doctrinam. 6. 1. ad Corinth. c. 12. habetur: *Alii datur Prophetia, alii discretio spirituum - - - Nunquid omnes Prophetæ? nunquid omnes Doctores? nunquid omnes interpretantur?* quid clarius ad intelligendum, non omnibus datum esse donum sensum scripturarum percipiendi? 7. 1. Joan. c. 4. v. 1. dicitur: *Charissimi nollite omni spiritui credere, sed probate spiritus,*

si ex Deo sint, quoniam multi Pseudoprophetæ exierunt in mundum. Probandus est igitur spiritus privatus utique non per privatum spiritum, cum eadem ratio urgeat. Ergo. Ex his

Confirmatur 1. Incertum est, num spiritus iste privatus sit à Deo: & quamvis nonnunquam donum interpretationis sit alicui collatum, nullus habet proprii spiritus certam, exploratamque persvasionem, & qui hanc se habere præsumit, insigniter inflatus est ac superbus. Esse enim Prophetas, qui sequuntur spiritum suum & nihil vident affirmat Ezech. c. 13. v. 3. Eum qui loquitur mendacium, ex propriis loqui, quia mendax est & pater ejus inquit Christus Joan. c. 8. v. 44. atque in corpore Ecclesiæ omnibus à spiritu, qui ubi vult spirat, non dari interpretationes sermonum, scribit Paulus in 1. ad Corinth. c. 12. v. 28. & 30. atqui spiritus hæreticorum non solum ob hanc rationem est incertus, sed etiam est spiritus mendacii, præsumptionisque sacrilegæ, cum sibi temere attribuant, quod Ecclesiæ, & summis Pontificibus negant, quibus tamen Christus solis repromisit: testis hujus incertitudinis est Zwinglius, qui in Lutheranis palæstris edoctus ad Sacramentarios circa doctrinam cœnæ defecit, alio spiritu interpretatus verba consecrationis: monitoremque habuit in somniis, de quo ipsemet scribit in subsidio de Euchar. non meminisse, *ater is fuerit an albus.* Præsumptionis vero exemplum singulare tribuit Lutherus scribens initio libri contra Regem Angliæ, *Nactum se spiritum insignem contemptorem tum fraudis, quam furoris Papistici.* Et quodnam majus præsumptionis indicium, quam sibimet arrogare auctoritatem interpretandi scripturam, illamque auctoritatem Romano Pontifici, & plenariis synodis denegare? ergo interpretatio S. Scripturæ facta privato spiritu tanquam ambigua, fallax, & temeraria debet esse suspecta. Ergo.

Confirmatur 2. Licet etiam interpretatio S. Scripturæ fieret Divino spiritu afflante, ut Novatores sibi falso blandiuntur,

tur, non esset tamen ad faciendam fidem idonea nisi accedente Ecclesiæ comprobatione; nam & Paulus Evangelium acceperat per revelationem Jesu Christi, & nihilominus illud cum Apostolis contulit, *ne forte in vacuum curreret, aut cucurrisset*, ut ipse scribit ad Galat. c. 11. v. 2. *scilicet ne secundum illos credidisset, & ne secundum illos evangelizaret*, ait Tertull. lib. 4. Contra Marcionem. Quare S. P. August. lib. 28. c. 4. Contra Faustum inquit: *Quis est ergo tam demens, ut credat, nescio cui ex transverso de Perside post ducentos & amplius annos venienti - - - cum ipse Apostolus Paulus post Ascensionem Domini de cælo vocatus, si non inveniret in carne Apostolos, quibus communicando, & cum quibus conferendo Evangelium, ejusdem societatis appareret, Ecclesia illi omnino non crederet?* Jam ergo ex his hoc conficitur argumentum: spiritus privatus aut est spiritus mendacii, aut veritatis? si mendacii, idoneus non est ad rectum judicium de veritate fidei pronuntiandum: si veritatis: suam ab Apostolica Ecclesia postulat dijudicationem, si non sui causa, saltem causa illorum, qui sunt instruendi: ergo nullatenus privatus ille Spiritus Judex esse potest Controversiarum fidei.

Probatur Conclusio 2. Si spiritus privatus, seu Spiritus S. fideli assistens esset Judex Controversiarum fidei: nulla apud fideles esse posset dissensio circa res fidei sed maxima est dissensio non modo Catholicos inter & protestantes, sed inter ipsos protestantes, qui se solos fideles jactitant:. ergo. maj. constat: quia Spiritus S. contraria & repugnantia dictare non potest, alias esset Spiritus mendax, sibique contradicens. Min. de dissensione inter Catholicos & protestantes aliunde patet: de dissensione inter ipsos invicem protestantes æque constat: hæc enim verba Christi: *Hoc est corpus meum*. aliter interpretantur Lutherani, aliter Calvinistæ & Zwingliani: illi volunt Christum designasse realem sui corporis præsentiam in Eucharistia, & quidem in sumptione quamvis sine transsubstantiatione: Isti solum figura-

tivam: ergo non adeſt ipſis Spiritus S. cum nequeat ſpiritus veritatis uni veritatem dictare, alteri falſitatem: quod fieret, ſi uni dictaret unum ſenſum, alteri ſenſum contradictorium.

Confirmatur: Nonne Lutherani jactant ſe privato ſpiritu edoceri de rebus fidei: jactant idem & Calviniſtæ. jactant & alij. Putemne potius recurrendum eſſe ad Paſtorem Lutheranum, quam Calviniſtam, aut viciſſim? cui infallibilem adhibendam fidem cenſeam? Lutheranus dicit ſpiritu privato ſe edoceri, *Apocalipſim*, *Epiſtolam ad Hebræos* &c. non eſſe Scripturas Canonicas ac divinas: hæc verba: *Hoc eſt corpus meum* deſignare realem Chriſti præſentiam in Euchariſtia. Calviniſta vero reponit ſe à ſpiritu privato contrarium edoceri: prædictos libros vere in Canonem SS. Scripturarum referendos eſſe: atque hæc verba: hoc eſt corpus meum, ſolum deſignare præſentiam Chriſti figurativam in Euchariſtia. Jam ſi ſpiritus privatus ſit infallibilis S. Scripturæ Judex, cur aut Lutherani non acquieſcunt Calviniſtis? aut cur Calviniſtæ non conveniunt cum Lutheranis? nempe complacet ſibi ſenſus humanus in ſuis inventionibus, & quivis blanditur ſibi ſe verum habere ſpiritum, verum Scripturæ ſenſum, ſæpe Sathana in Angelum lucis ſeſe transfigurante, & tales decipiente cum æternæ vitæ diſpendio. Ergo.

Probatur Concluſio 3. Stante Novatorum doctrina, quod ſpiritus privatus ſit Judex Controverſiarum fidei: nulla in Eccleſia foret Hæreſis: atqui contrarium conſtat tum ex experientia: tum ex Apoſt. 1: ad Corinth. c. 11. v. 19. dicente: *oportet eſſe Hæreſes:* ergo. ſeq. maj. prob. Hæreticus is cenſetur, qui à fidei regula elongatur: ſed ſi ſpiritus privatus eſſet Judex & regula fidei, nemo ab ea diſcreparet, cum juxta Novatorum principia eidem adhærere teneatur quilibet: nemoque proprio ſpiritu refragetur & judicio: ergo nusquam falſi dogmatis quis criminari poſſet, adeoque nullus foret hæreticus. Imo nullus

re-

redarguendus esset & vitandus contra Apostoli sententiam ad Titum c. 3. v. 10. *Hæreticum hominem - - - devita.*

Dices: Juxta evulgatum Novatorum axioma, quisque in propria lege salvari potest: ergo nil officit, quod aliquis ex motione privati spiritus credat, quæ alter non credit. Sed

Contra 1. Juxta scripturam, ad quam perpetuo provocant Novatores, admittendum est, futuras esse Hæreses, atque hæreticum à via salutis aberrare: ut dicatur ad Titum c. 3. v. 10. *Hæreticum hominem post unam & secundam correptionem devita, sciens quia subversus est, qui ejusmodi est, & delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus:* ergo falsum est, unumquemque in ea fide, quam perperam credit, salvari posse.

Contra 2. Si quilibet in propria secta salvari potest, cur furiose adeo adversus Catholicos invehunt Hæretici? cur veteres hæreticos damnant, atque ab illis discriminari summo conantur studio? ergo.

Probatur Conclusio 4. Spiritus privatus excitat, fovet, & auget hæreses ac Schismata: ergo nequit esse Judex controversiarum fidei. Ant. prob. Calvinus instruct. adversus Anabaptistas fatetur, quod si adversus omnes illorum errores, & falsas opiniones scribere vellet, ingressurum se abyssum, unde sibi non pateret exitus, cum illa secta quoddam sit immensum stupendorum deliriorum Mare. Lutherus Thesi 27. lib. contra art. Lovaniens. ait: *Hæreticos serio censemus, & alienos ab Ecclesia Dei Zwinglianos, & Sacramentarios omnes: qui negant Christi corpus, & sanquinem ore carnali sumi in universa Ecclesia.* Tigurini in Confessione Germanica edita Tiguri anno 1544. fol. 123. & 131. habent: *Quia Lutehrus monstruosum dogma inducere conatur - - - Lutherus Dei & Divini honoris oblitus nos damnatam sectam vocat, sed videat, ne hujusmodi nefandis & impiis dicteriis seipsum Hæresiarcham declaret.* Heidelbergenses in ordin. Eccles. definiunt: *Lutheri & Brentii Catechismi extra Ecclesiam ejiciantur, & eorum*

scripta

scripta nullam habeant auctoritatem. Franciscus Stanckarus de Trinitate adversus Bullingerum, Petrum Martyrem, Calvinum, scribit: *Quis Diabolus ô Calvine te seduxit contra filium Dei cum Ario obloqui, ut ostenderes, eum privatum fuisse gloria sua, nunc autem petere eam sibi dari, quasi eam non semper habuerit - - - Cave o Christiane, & vos Ministri à libris Calvini cavete, & præsertim in articulo de Trinitate, Incarnatione, Mediatore, de Sacramento baptismi, & Prædestinatione: continet enim doctrinam impiam, & blasphemias Arianorum.* His positis instauratur præsens argumentum: Vel istæ censuræ & definitiones veræ sunt vel falsæ? Si falsæ: ergo spiritus privatus non est infallibilis Judex fidei, cum omnes isti Sectarii ex propriæ conscientiæ sensu scripserint. Si veræ: ergo Anabaptistæ, Tigurini, Calviniani Lutherani, Porretani, & reliqui ejusdem furfuris homines vere sunt Hæretici, & extra Ecclesiam, ut censuræ satis innuunt; subsumo: sed omnes isti erraverunt, quia spiritum suum privatum obsecuti sunt: ergo spiritus privatus est hæresum, Schismatumque radix. Ratio in promptu est: quia spiritus unius alteri non probatur, & quod uni constat, alteri sufficienter non ostenditur: unusquisque judicat, secundum quod est affectus: cumque scripturam legentes diversimode affecti sint, diversa judicia fore est necesse. Qui rudes sunt, non intelligunt: qui polent ingenio, inter se digladiantur: imo qui doctrina excellere sibi videtur, alterius opinioni sese accomodare dedignatur: ergo. Hinc bene scripsit S. Hieronymus adversus Luciferanos: *Si non sit in Ecclesia una eminens potestas, futura sunt Schismata, quot Sacerdotes;* & licebit dicere, tot Shismata, quod homines.

Communis & vulgaris Hæreticorum est responsio: quod duo sint articulorum genera distinquenda: fundamentalium. nempe & non fundamentalium. Fundamentales ii censentur, sine quibus Ecclesiæ veritas corruit, nec salus haberi potest.

Non

Non fundamentales ſunt ii, ſine quibus tum Eccleſiæ veritas, tum animarum ſalus habetur, ſuntque adiaphori, quos absque fidei injuria liberum eſt adoptare, vel reſpuere. Porro in fundamentalibus omnes ad unum conveniunt Reformati: in adiaphoris diſcriminantur quidem, verum ex horum diſcrepantia nihil fidei derogatur: ſicut ex quo in pluribus Scolaſticis concertationibus diſſidium eſt inter Thomiſtas, Scotiſtas, & Recentiores, non valet inferri ſubſtantialis diviſio in Papatu. Sed

Contra 1. Illa Articulorum in fundamentales, & non fundamentales, ſeu adiaphoros & arbitrarios diſtinctio eſt inanis, fruſtranea, & Proteſtantibus impoſſibilis: ergo. ant. infra ex profeſſo demonſtrabitur.

Contra 2. Articuli, in quibus Lutherus à Zwinglio, Calvinus ab Anabaptiſtis, Lutherani à Calviniſtis diſcriminantur, vere ſunt fundamentales: nam ii articuli ſunt fundamentales, quibus non credens fit hæreticus: ſed Lutherus Zwinglianos aperto ore hæreticos vocat: Tigurini Lutherum Hæreſiarcham prædicant: Bullingerus Calvinum Arianum dicit: ut ex proba conſtat; ergo.

Contra 3. Inter ipſos Calvinianos eſt diſcrepantia in fundamentalibus articulis: ergo. ant. prob. 1. Joannes Piſcator (à quo Piſcatoriani) in Gymnaſio Herbornenſi Calvinianæ Theologiæ Profeſſor in Aphoriſmis de lege Dei aphoris. 17. affirmat: fractionem panis in Dominica cæna eſſentialem, atque ita neceſſariam, ut, quisquis illam omittit, cænam non modo mutilet, ſed etiam tollat. Hæc quæſtio in tribus Calviniſtarum Academiis acriter agitata fuit, Marburgenſi nempe, Baſileenſi, & Heidlbergenſi. Marburgenſes Piſcatoris doctrinam in fidei dogma adoptarunt: Baſileenſes ritum eſſe adiaphorum dixerunt: Heidlbergenſes fractionem nec eſſentialem, nec adiophoram volunt, ſed neceſſariam fatentur ad cænæ in-

tegritatem. Piſcatoriani itaque in ſubſtantialibus diſcrepant à Calvinianis Baſileenſibus & Heidlbergenſibus, & taliter diſcrepant, ut iſti Piſcatoris opiniones aperte hæreticas proclamaverint. Ergo.

Prob. ant. 2. Diſſidium inter Calvinianos Jacobum Arminium (à quo Arminiani, ſeu Remonſtrantes) & Franciſcum Gomarum (à quo Gomariſtæ, ſeu Contraremonſtrantes) erat in fundamentalibus utique articulis, nempe in materia de gratia Dei, & libero arbitrio, de Juſtificatione &c. ita ut tota Hollandia in partes fuerit diviſa. In Dortrectana ſynodo lis inſtituta fuit, damnatique Arminiani, qui ſolemni proteſtatione Dortrectanam ſynodum pro legitimo controverſiarum ſuarum Judice recuſarunt: verum contra eosdem Synodica ſententia lata eſt: *Synodus invocato Dei Sancto nomine, ſuæ auctoritatis ex verbo Dei probe conſcia, omnium legitimarum tum veterum tum recentium Synodorum veſtigiis inſiſtens, & Illuſtriſſimorum DD. Ordinum Generalium auctoritate munita declarat, atque judicat, Paſtores illos, qui partium in Eccleſia Ductores, & errorum Doctores ſe præbuerunt, corruptæ Religionis, ſciſſæ Eccleſiæ unitatis, & graviſſimorum Scandalorum: citatos vero ad hanc Synodum pervicaciæ reos & convictos teneri. Quas ob cauſas primò Synodus prædictis citatis omni Eccleſiaſtico munere interdicit, eosque ab officiis ſuis abdicat, & Academicis functionibus etiam indignos eſſe judicat, donec per ſeriam reſipiſcentiam dictis, factis, ſtudiis contrariis abunde comprobatam Eccleſiæ ſatisfaciant, & cum eadem vere & plene reconcilientur, atque ad ejus communionem recipiantur.* Jam, qui tam ſevere puniuntur, nonne in fundamentalibus à cætu Calviniano diſcriminantur? Ergo.

Diſſidium inter Thomiſtas, Scotiſtas, & Recentiores nullas ſuppetias fert Novatoribus: etenim hi omnes pleno conſenſu approbant, quidquid credendum proponit Eccleſia: unde in fide nulla inter eos eſt diſcrepantia, immo ſumma conſen-

ſio:

sio: quare lis tota versatur circa conclusiones ex fidei principiis proxime vel remote illatas, parato semper animo obtemperandi in omnibus Ecclesiæ: ergo hæc paritas ipsos Novatores ferit.

Dices: Esto discrimen in fundamentalibus intercederet, non tamen illud est, quod saluti officiat. Unde etsi Lutherani & Calvinistæ &c. in pluribus discriminentur etiam fundamentalibus, omnes tamen habent in iis, in quibus differunt, solidam probabilitatem: qui vero solidæ innititur probabilitati, nequaquam censeri debet extra statum salutis. Etenim non minus ad salutem necessaria est fides quam lex: sed stante solida probabilitate circa legem potest absque ulla noxa unusquisque sequi, quam vult partem: ergo etiam in fide. Porro quamblibet Novatorum sectam solidæ innixam fore probabilitati ex ipsis Papistarum principiis compertum est: nam illa sententia vere est probabilis, quæ à pluribus Doctoribus rem ex professo tractantibus tum Scripturæ S. fundamento, tum rationum pondere, tum Patrum auctoritate, atque oppositorum argumentorum solutione defenditur: atqui evidens est, Novatorum sectas sua dogmata his momentis propugnare v. g. in Eucharistia non adesse reale corpus Christi, probant Calviniani Scripturis, Patribus, atque argumenta dissolvunt: quod si conferantur momenta, quibus Calviniani probant non adesse realiter corpus Christi in Eucharistia cum iis, quibus Catholici intendunt evincere Sacramenta vivorum v. g. producere per accidens primam gratiam, luce clarius apparebit, gravioribus fundamentis inniti Calvinianos, quam Catholicos: ergo si Catholicorum hujusmodi assertio ut probabilis propugnatur, cur non & illa Calvinianorum? Sed

Contra 1. Si hæc Hæreticorum doctrina urgeret, Secta Arianorum, Sabellianorum, Ebionitarum, aliorumque non fuisset hæresi nota proscripta, cum iisdem probabilitatis momen-

tis inniteretur, quibus recentiorum hæreticorum: atqui ipſimet Novatores proſcribunt tanquam hæreticos Arianos, Sabellianos, Ebionitas, & hujusmodi, atque fore extra ſtatum ſalutis palam profitentur: ergo Chriſti Eccleſia circa fidei dogmata non patitur opinionum probabilitatem.

Contra 2. Chriſti fides ad ſalutem neceſſaria taliter una eſſe debet, ut omnes idipſum ſentiant, ſed ubi pluralitas probabilitatum admittitur, non omnes id ipſum ſentiunt: ergo. maj. conſtat ex D. Paulo ad Epheſ. c. 4. v. 5. *Unus Dominus, una fides, unum baptiſma.* Eapropter S. P. Auguſt. lib. 12. Confeſſ. c. 25. Deum alloquens ait: *Veritas tua nec mea eſt, nec illius aut illius, ſed omnium noſtrum, quos ad ejus communionem publice vocas: terribiliter admonens nos, ut nolimus eam habere privatam, ne privemur ea. Nam quisquis id, quod tu omnibus ad fruendum proponis, ſibi proprie vindicat, & ſuum vult eſſe, quod omnium eſt, à communi propellitur ad ſua, hoc eſt, à veritate ad mendacium. Qui enim loquitur mendacium, de ſuo loquitur.* Ruminent quæſo Novatores hæc verba, & dicant, annon acu tangantur.

Contra 3. Fides Chriſti ad ſalutem neceſſaria in una ſolum Eccleſia univerſos fideles comprehendente reperitur; & ideo in Symbolo habemus, *Credo in unam ſanctam, Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam*: atqui probabilis Sectarum pluralitas multiplicat Eccleſias: ergo non ſtat cum fide ad ſalutem neceſſaria.

Contra 4. Fides ad ſalutem neceſſaria debet eſſe ſummæ certitudinis, atque omnimodæ infallibilitatis, cui falſum ſubeſſe nequit: nam à Divina pendet revelatione, quæ falſum, & mendacium dictare non poteſt: dicitur enim Lucæ c. 21. v. 33. *Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt*: ſed ſtante probabilitate nequaquam datur ſumma & omnimoda infallibilitatis certitudo, cui ſubeſſe falſum nequeat: ergo.

Contra 5. Vera fides ea eſt, ſine qua nemo Deo placere poteſt: nam *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*: atqui Sectarum diviſio

divisio nequaquam Deo placet: ergo cum ex emendicata sectarum probabilitate oriatur divisio, hæc Dec nusquam placere potest. Et sane unitate non minus gaudet fides ac baptisma: sed contentiones circa baptisma dividunt Christum juxta illud 1. ad Corinth. c. 1. v. 3. *Ego sum Pauli: ego autem Apollo: ego vero Cephæ: ego autem Christi: divisus est Christus?* Ergo etiam contentio in fide Christum dividit: atqui qui dividit Christum ex Deo non est: ergo Novatores suis fallaciis nullam gignunt probabilitatem, nec ex Deo, sed ex Patre mendaciorum sunt.

Novatores quidem suas hæreses contendunt scripturis, Patrum authoritatibus, immo Catholicorum argumentis respondendo propugnare: sed cum Deus in eos immiserit spiritum vertiginis, ut videntes non videant, & intelligentes non intelligant, infeliciter opus absolvunt, videlicet scripturas depravando, Patrum auctoritates mendaciter in suas partes trahendo, secundum proprium judicium interpretando, argumenta Catholicorum illudendo: ut ipsis merito verba S. Hilarii ad Constantium Augustum adoptari queant: *Periculosum nobis admodum, atque etiam miserabile est, tot nunc fides existere, quod voluntates, & nobis tot esse doctrinas quot mores, & tot causas blasphemiæ pullulare quot vitia, dum aut fides scribuntur, ut volumus, aut intelliguntur; & cum secundum unum Deum & unum Dominum, & baptismum etiam fides una sit, excidimus ab ea fide, quæ una est; & dum plures fiunt, ad id esse cæperunt, ut nulla sit.*

Dicunt AA. Omnes nostras probas premere difficultatis pondus: inquirit Calvinianus, quænam Ecclesia dogmata prohibuit Calviniana? Romanam dicunt Pontificii. Verum de hac quæritur, an sit vera Ecclesia? affirmant Papistæ: Calviniani negant. Cur igitur illorum doctrina rem facit probabilem immo certam, secus istorum? Ad unum omnes volunt dari veram Christi Ecclesiam, extra quam non est salus: contendunt Paptistæ hanc esse sub Papatu: negat Calvinus. Porro

 ridi-

ridiculum eſt dicere: Calviniſticam doctrinam nulla gaudere probabilitate, quia oppoſitum Romana Eccleſia decrevit: cum de hac ſit quæſtio, an vere ſit Eccleſia?

Ad hanc ſuperbam, futilem inſtantiam, & excogitatum deliramentum infra ex profeſſo reſpondebitur, dum invicte demonſtrabimus ſolam Romano-Catholicam veram eſſe Eccleſiam Chriſti, extra quam ſalus haberi non poteſt.

Probatur Concluſio 5. In omni republica bene ordinata & inſtituta debet eſſe Judex, qui legem Principis interpretetur: qui à litigantibus adiri, videri, & audiri poſſit: qui Civiles ſubditorum cauſas dirimat: qui cum judicandi poteſtate conjunctam habet vim coactivam, alias judicis ſententia eſſet fruſtranea maxime adverſus eos, qui non amore juſtitiæ, ſed metu pœnæ a malo retrahuntur. Ergo etiam talis vivus Judex debet eſſe in Eccleſia: atqui Spiritus privatus enumeratas conditiones non habet: ergo nequit eſſe judex Controverſiarum fidei. Ipſimet Hæretici proprio teſtimonio in hoc convincuntur. Nam Henricus VIII. Anglorum Rex anno 1540. decrevit, neminem præter Eccleſiæ Doctores poſſe Scripturas interpretari, inhibuitque populo, ne illas exponere, aut ex illis ratiocinationes inferre auderet. Zwinglius ad refellendos Anabaptiſtas lib. 1. de baptiſmo. p. 72. demonſtrat, non ad illos ſed ad Eccleſiam ſpectare Scripturarum expoſitionem. Idem ſcribit Bucerus in Rat. Can. exam. p. 223. Cur demum hæretici ad Controverſias dirimendas, & dogmata definienda de Euchariſtia, de baptiſmo, de juſtificatione &c. adeoque non ad ſolam ſtatuendam Eccleſiaſticam diſciplinam, non ſemel Synodos coegerunt, ſi unusquisque à proprio privatoque ſpiritu debet dirigi. Quid etiam definiunt niſi fidei dogmata tot Confeſſiones ab Hæreticis divulgatæ? Ipſi ergo velint, nolint, præter Scripturam & privati ſpiritus perſuaſionem coguntur vivum & ſpirantem adire Judicem, quem nullibi invenient, niſi in vi-

ſibili

ſibili, & Apoſtolica Romana Eccleſia, Perbene ſcripſit hac ſuper re Sectarius Anglicanus Hookerus in præf. lib. de Eccleſiaſtica Politia. Sect. 6. *Hoc unum ſat ſcimus tam natura & experientia, quam ipſa Scriptura edocti, Contentionibus tandem finem imponendum eſſe definitive alicujus Judicis ſententiæ nos ſubmittendo, cui neutra litigantium pars ſub quovis prætextu contradicat, alioquin ſemper confuſio erit, nec ſpes ulla pacis conſequendæ.* Witakerus Hæreticus *de S. Scriptura* approbat in veteri lege auctoritativum tribunal : *alioquin nullus fuiſſet litigandi finis*: Cum par in parem non habeat i mperium.

OBJECTIONES.

Objicies I. Scriptura docet, ſingulos fideles novæ legis à Deo immediate erudiri; Iſaiæ 54. c. v. 13. dicitur: *Dabo omnes filios tuos doctos à Domino*: ergo Spiritus interior & privatus eſt fidei tribunal, & Judex.

II. Ut Divina Myſteria percipiantur, ita Filii Dei in nova lege erudiuntur interius, ut omne prorſus externum Magiſterium excludi debeat : ergo ſolus privatus Spiritus interne loquens audiendus eſt. ant. prob. ex Jerem. c. 31. v. 33. ubi dicitur : *Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam - - - & non docebit ultra vir proximum ſuum & vir fratrem ſuum dicens: cognoſco Dominum: omnes enim cognoſcent me.* Ergo.

III. Si interior & privatus ſpiritus non foret Judex Controverſiarum fidei, alius ſane neceſſarius foret: ſed hoc repugnat Joanni Epiſt. 1. c. 2. v. 27. dicenti: *Non neceſſe habetis, ut aliquis doceat vos, ſed ſicut unctio ejus docet vos de omnibus - - - manete in eo.* Ergo interior & privatus Spiritus & de omnibus docet, & eſt ſufficiens Judex.

IV. Interior illuſtratio, quæ eſt probativa veritatis, eſt fidei tribunal: ſed illuſtratio, de qua loquitur Joannes cit. loc. eſt hujusmodi, ideo ſubdit c. 4. v. 1. *Probate ſpiritus ſi ex Deo ſint.* Cui conſentit Apoſt. 1. ad Theſſal. c. 5. v. 21. *Omnia probate, quod bonum eſt, tenete.* Ergo.

V. Lumen interius, quod propheticum eſt, debet cenſeri regula fidei, cum fides fundata ſit ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum: ſed fidelis quilibet prophetia eſt donatus: dicit enim Apoſt. ad Rom. c. 12. v. 7. *Habentes autem donationes ſecundum gratiam, quæ data eſt nobis, differentes: ſive Prophetiam ſecundum rationem fidei: ſive miniſterium in miniſtrando* &c. Ergo.

VI. Spiritus, qui omnia judicat, & à nemine judicatur, eſt regula & Judex myſteriorum fidei: ſed omnes fideles ſunt ejusmodi: cum ille ſpiritualis jure credi debet, qui Spiritu regenerationis prædìtus eſt, & ſpiritualem judicare, & non judicari docet Apoſt. 1. ad Corinth. c. 2. v. 15. *Spiritualis autem judicat omnia, & ipſe à nemine judicatur.* Ergo.

VII. Ille eſt Judex myſteriorum fidei, ad quem pro Controverſiis dirimendis recurrendum eſt: ſed in iis ad ſcripturas ſecundum internam ſpiritus ſignificationem eſt recurrendum, dicente Joan. c. 10. v. 27. *Oves meæ vocem meam audiunt, & ſequuntur me:* Vox autem Dei eſt Scriptura, & hanc vocem absque præceptore audiunt interius fideles. Ergo.

VIII. Oves Chriſti ita ejus vocem audiunt, ut non noverint vocem alienorum, ut dicitur Joan. c. 10. v. 5. Ergo ſola vox Dei audienda eſt.

IX. Oves per interiorem ſpiritum audiunt vocem Chriſti ita, ut aliam quamcunque excludant: dicit enim S. Paulus 1. ad Corinth. c. 12. v. 7. *Unicuique autem datur manifeſtatio ad utilitatem*, id eſt, ut recte ſcripturas intelligat, ſeque ad ſalutem dirigat: Ergo.

X.

X. Cuilibet taliter Scripturæ Spiritus manifestatur, ut eam judicare possit: unde Apost. 1. ad Corinth. c. 14. v. 29. hoc clarius explicat dicens: *Prophetæ autem duo, aut tres dicant, & cæteri dijudicent*: & infra: *Potestis enim omnes per singulos prophetare*: ergo omnes fideles sunt Judices, & prophetæ.

XI. Si spiritus privatus non esset regula & tribunal fidei, alicui alligaretur, puta Papæ, aut Concilio; sed hoc est falsum: nam Joan. c. 3. v. 8. legitur: *Spiritus, ubi vult, spirat*: ergo.

XII. S. Paulus 2. ad Corinth. c. 3. v. 17. ait: *ubi Spiritus Domini, ibi libertas*: sed in lege gratiæ datur Spiritus Domini, ergo & libertas: ergo in judicio fidei nequaquam huic vel illi debet dari alligatio.

XIII. Habetur 1. Joan. c. 5. v. 10. *Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se*: ergo fidelis quilibet lumen habet, & donum interpretandi dogmata.

XIV. Dicitur Joan. c. 7. v. 17. *Si quis voluerit voluntatem ejus* (id est Patris) *facere, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego à me ipso loquar.* Ergo præter spiritum fidei, quo credimus Deo volenti & præcipienti, aliud non datur Magisterium.

XV. Patres spiritum interiorem tanquam fidei tribunal agnoverunt: hinc Calvinus in Præfat. Instit. habet: *Augustinus contendit, Ecclesiam non debere se Christo præponere, quod ille semper veraciter judicet; Ecclesiastici autem Judices, sicut homines, plerumque fallantur*: ergo spiritus privatus infallibilis est Judex.

XVI. S. P. Augustinus in veritatis acquisitione omne externum Magisterium excludit: nam Tract. 3. in Joan. ad ea verba *unctio docebit vos* habet: *Sonus verborum nostrorum aures percutit, Magister intus adest: nolite putare quemquam hominem aliquid discere ab homine.* Ergo.

XVII. S. Ambrosius lib. 2. Epist. 13. juxta editionem Parisiensem ad Valentinianum Augustam scribens vult Mediolanensem populum judicem controversiæ fidei inter ipsum & Au-

xentium Arianum: ergo existimat quemcunque de plebe esse Judicem fidei.

XVIII. Quilibet sua fide salvatur: ergo cujuslibet Spiritus debet esse tribunal fidei, & Judex Controversiarum fidei.

XIX. Quod per pauciora fieri valet, non debet per plura fieri: sed Spiritus Sancti lumen cuilibet elargitum est sat ad constituendam salutis normam: ergo sat quoque est pro tribunali fidei. Quod enim ab uno perfectiori agente peragitur, non debet per aliud ministerium fieri: cum ergo perfecta motio, quæ interior est, sit à Deo, non debet venari ab homine.

XX. Fides nostra sequitur ad conditionem scientiæ Christi: sed Christus non accipiebat testimonium ab homine juxta illud Joan. c. 5. v. 34. *Ego testimonium ab homine non accipio:* ergo & fides nostra non ab hominibus, sed ab interno Spiritu testimonium accipere debet.

XXI. Apostolus 1. ad Corinth. c. 2. cuilibet adesse Spiritum Dei docet: postquam enim dixit, neminem scire quæ sunt, nisi Spiritum Dei; subdit v. 12. *Nos autem non Spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis.* Et v. 15. *Spiritualis autem judicat omnia, & ipse à nemine judicatur. Quis enim cognovit sensum Domini, qui instruat eum? Nos autem sensum Christi habemus.* Ergo ipse S. Paulus nos interius à Spiritu privato doceri tradit: ait enim primo: nos fideles accepisse Spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus &c. secundo: hominem spiritualem dijudicare omnia. Tertio: nos sensum Christi habere.

XXII. S. Paulus 1. ad Corinth. c. 12. v. 11. scribit: *Hæc autem omnia operatur unus, atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult:* ergo omnibus bene petentibus datur Spiritus interpretationis: ergo is non est alligatus alteri puta Papæ, sed datur à Deo liberè, cui ipse voluerit.

XXIII.

XXIII. Spiritus Prophetiæ non est alligatus summo Pontifici: ergo nec Spiritus interpretationis. Ant. patet 1. ex eo, quod Deus olim prætermissis Sacerdotibus & Pontificibus Prophetas excitaverit de communi plebe, ut Amos, qui erat Pastor ovium, & Deboram, quæ etsi mulier prophetavit: non vero prophetavit Aaron, nec ejus successores. 2. ex eo, quia Act. c. 21. v. 8. & 11. Legimus, quod prophetaverint Agabus, & quatuor filiæ Philippi unius ex septem Diaconis, dicti Evangelista, non quod Evangelium scripserit, sed quia id prædicavit: non autem prophetaverunt Linus & Clemens, qui erant summi Pontifices.

SOLUTIONES.

℟. AD I. Isaiam loc. cit. alludere ad primarium novæ legis Magistrum, qui fuit Deus homo: ut S. Paulus ad Hebræ. c. 1. v. 1. loquitur: *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, novissime locutus est nobis in Filio.* Apostolos itaque aliosque fideles per se ipsum docuit Filius Dei in lege gratiæ, immo quotidie docet per interiorem gratiam, qua homo interius movetur ad ea amplectenda, quæ forinsecus à Pastoribus audit, quia nihil externa proficit prædicatio, nisi Deus interius cor moveat, dicente Apostolo: *Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit.* Paucis etiam dici potest: de gratia præveniente, & ad credendum vocante intelligendum esse Isaiam dicentem: *Dabo omnes filios tuos doctos à Domino*, hoc est, doctos per fidem, quæ est donum supernaturale proveniens à solo Deo: per hoc tamen non excluditur externum ministerium, cum ipsemet Christus præceperit docere omnes gentes. Nec exclusit, sed magis recommendavit nobis Ecclesiam cum visibili capite suo summo Pontifice: unde legitur etiam: *si quis Ecclesiam non audierit, sit sicut Ethnicus* &c. ap-

posita hac causali à Christo: *qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit.* Ergo. Et

Si hoc argumentum Novatorum quid ponderis haberet: contra illos inferre licet: ergo Ariani, Sabelliani, aliique Catholicæ Ecclesiæ hostes sunt à Domino eruditi: ergo in his, quæ docent, non errant. Cur igitur Novatores veteres hæreticos damnant? deinde Calvinus eruditus à Domino dicit Christi verba *Hoc est corpus meum* intelligenda esse methaphorice; Lutherus itidem à Domino eruditus vult intelligenda esse realiter: quisnam ex duobus contradictorie loquentibus judicabit?

Dicet Calvinianus, suum judicium esse infallibile, Lutheranorum fallibile verum ñ minus Lutherani, quam Calvinistæ sua dogmata scripturis fulcire contendunt, utriq; à Spiritu S. se directos, & à Domino eruditos credunt: quorum igitur judicium erit infallibile? non illud Calvinistarum: nam ut ait Smidelinus contra Grynæum, *Spiritus Calvinistarum mendax est;* & Lutherus apud Gretserum Lib. 1. contra Goldastum c. 12. *Spiritus Calvinistarum est diabolicus Spiritus.* Non illud Lutheranorum: nam Calvinistæ Heidelbergenses eorum Catechismos tanquam nullius momenti proscripserunt. Itaque privatus cujusque Spiritus nequit esse Judex fidei.

Ad II. Loc. cit. Prophetam velle explicare, quod lex gratiæ sit lex charitatis & non timoris, interioris sanctitatis & virtutis non solius exterioris legalis purificationis: ideo dixit: *dabo legem meam in visceribus eorum.* Hinc propter affluentiam luminis interioris atque signorum obvia erit cognitio unius Dei, nec dabitur de facili hujus veritatis ignorantia, ut sub statu veteris legis sæpe contingebat: eapropter *vir non docebit ultra proximum suum dicens: cognosco Dominum:* abundanter namque patebit cognitio unius Dei, & Evangelii doctrina, tantaque erit interioris luminis irradiatio, ut lex gratiæ facile sit evulganda. Ex hoc autem nequaquam inferri valet, in omnibus fidei my-

ſteriis taliter eſſe illuminatos fideles, ut unusquisque per privatum ſpiritum ſit ſibi regula fidei. Et hoc argumentum ferit Novatores. Si enim vir non docebit ultra proximum ſuum, cur Miniſtri reformati quotidie clamant Scripturas explicando? etſi falſè? cur prædicant cœnam & baptiſmum verbo concionis ſanctificari? cur Chriſtus mandavit Apoſtolis, ut omnes gentes inſtruerent? Ecce quomodo Novatores halucinentur?

Ad III. Iterum contra Novatores inſtatur: ſi unctis in fide per Spiritum ſanctum neceſſaria non eſt exterior doctrina, cur Joannes hanc ſcribit Epiſtolam tot myſteriis refertam? Itaque S. Apoſtolus ſcribit fidelibus in ſubſtantialibus fidei jam opportune edoctis, nam v. 22. ait: *Non ſcripſi vobis quaſi ignorantibus veritatem*: eos admonens v. 26. ut à ſeductoribus caveant: *Hæc ſcripſi vobis de his, qui ſeducunt vos.* Eapropter ſuaſor eſt, ut alios non audiant, cum Lumen fidei, quam ſuſceperunt, quia verax eſt, ſufficienter neceſſaria doceat: idcirco dicit: *Sicut unctio ejus docet vos de omnibus, & verum eſt, & non eſt mendacium --- manete in eo.*

Ad IV. Si per interiorem illuſtrationem quisque ſufficiens Judex eſt probativus veritatis, cur S. Joan. regulam ſubnectit, quam in judicando ſervare debemus? *In hoc cognoſcitur Spiritus Dei: omnis Spiritus, qui confitetur Jeſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt* &c. 1. c. 4. v. 2. Cur aperte declarat omni ſpiritui non eſſe credendum? *Nolite omni ſpiritui credere.* Monent igitur tum S. Joannes tum S. Paulus fideles jam in fide edoctos, ut caveant à Pſeudoprophetis: proindeque ut doctrinam, quam excipiunt, perpendant, utrum auditis per veros Chriſti Miniſtros ſit conſona, ut ſuſcipiatur, aut reprobetur.

Ad V. Lumen Propheticum potiſſimum darì ad futura, ſeu abſcondita dignoſcenda. Quamvis tamen ipſi competeret Scripturarum interpretatio, adhuc eſſe debet juxta fidei principia, dicente Apoſtolo: *Prophetiam ſecundum rationem fidei* loc. cit. ita

ut nemo vaticinetur, aut interpretetur contra rationem fidei. Cæterum hoc privato ſpiritui non patrocinatur, cum perperam fideles ſinguli dicantur Prophetæ, reclamante Apoſtolo 1. ad Corinth. c. 12. v. 29. *Numquid omnes Prophetæ?*

Ad VI. Ariani, Sabelliani, & alii veteres hæretici ſe non minus ſpirituales credunt quam Calviniani: ergo prædicti judicant, & non judicantur: ergo erunt Judices fidei. Spiritualis ergo qui judicat, & non judicatur, is plane eſt, qui tanquam Doctor alios inſtruere debet, ut ex Apoſtolo ad Galat. cap. 6. v. 1. evincitur: *vos, qui ſpirituales eſtis, hujusmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis:* Cumque non omnes ſint legis Doctores, in aperto eſt, prædictum textum non deſervire ad probandum privatum Spiritum, quem ſingulis fidelibus donant Calviniſtæ.

Ad VII. Oves quidem Chriſti ejusdem vocem audire: verum Chriſtus non ſolum per Scripturas loquitur: ſed apertiſſime per ſuos Paſtores & Vicarios: *qui vos audit, me audit*, quibus ipſas oves Joan. c. 21. v. 17. commendavit, *Paſce oves meas.* Non igitur Scriptura proprio ſpiritu explicata eſt vox Dei, ſed prout à Paſtoribus fidelibus proponitur. Etiam Pelagianis teſte S. P. Auguſt. lib. de natura & gratia c. 39. ſolemne erat ad Scripturas confugere: *Credamus, quod legimus, & quod non legimus, nefas credamus adſtruere*: & tamen quia ipſam proprio marte interpretabantur, etiam à Novatoribus inter hæreticos enumerantur. Præterea dum Chriſtus ait: *Oves meæ vocem meam audiunt*: ſenſus eſt, quod eam audiant, & ſequantur, dum gratiæ prævenientis & vocantis ſe participes reddunt, qua cum deſtituti vixerint negligentes Judæi, tanquam incredulis repoſuit Chriſtus: *Vos non creditis, quia non eſtis ex ovibus meis, oves meæ vocem meam audiunt.* Ad credendum enim non ſolum requiritur externa credendorum propoſitio, ſed inſuper neceſſaria eſt gratia *præveniens, alliciens, vocans*, & quaſi ſuaviter ad credendum *trahens* ſecundum illud Joan. c. 6. v. 44. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum.*

Ad

Ad VIII. Qui ſint alieni, qui audiendi non ſunt, manifeſtat Chriſtus loc. cit. in argum. v. 8. *Omnes, quotquot venerunt, fures ſunt & latrones, & non audierunt eos oves.* Itaque Pſeudodoctores (Novatores) evitandos monet, quia non veniunt, niſi ut furentur, & mactent animas fidelium. Econtra non ſunt alieni Paſtores illi, qui parati ſunt animam ſuam dare pro ovibus ſuis: ſed ab his fideles excipere debent doctrinam, quia ad ipſos pertinet de ovibus ſuis.

Ad IX. Datam interpretationem textus citati non ſolum eſſe arbitrariam, ſed plane literæ contrariam: ſubditur namque: *Alii quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alii autem ſermo ſcientiæ - - - alii Prophetia, alii diſcretio ſpirituum - - - alii interpretatio ſermonum.* Non igitur quilibet donum habet interpretandi Scripturas. Unicuique tamen deſervit ad utilitatem donum etiam alteri collatum: ſiquidem illud confertur ad utilitatem totius Eccleſiæ, cujus membrum ſinguli fideles ſunt: quomodo ſanitas uni membro corporis phyſici collata confert toti corpori commodum.

Ad X. Argumentum ferit Adverſarios: etenim declarat privatum cujusque ſenſum aliorum ſubjiciendum eſſe judicio, ut poſt pauca ſubditur: *Cæteri dijudicent: ſpiritus Prophetarum Prophetis ſubjecti ſunt.* Verum ut palam fiat, quantum à veritate aberrent Novatores.

Notandum eſt 1. Apoſtolum citato in argumento loco intendere, eminentiam doni Prophetiæ præ dono linguarum manifeſtare: *Major eſt, qui prophetat, quam qui loquitur linguis.* Deinde fideles erudit circa modum inſtituendi ſpirituales collationes ſive prævie, ſive poſt ſynaxim, ut in ædificationem, omniumque utilitatem cedant, ita quod ſint, qui Scripturas explicent, qui exhortentur, qui hymnum, qui pſalmum cantent. Nam ut Tertull. in Apologetico. c. 39. & Juſtinus in Apologia 2. circa finem. Scribunt, in primitiva Eccleſia conventus

Chri-

Christianorum hac serie actionum fiebant: Primo fideles in Ecclesia canebant psalmos, Lector deinde sacram Scripturam, & Prophetiam legebat, cessante Lectore Episcopus concionem habebat, postmodum fiebat Sacrum seu Cœna, in qua omnes communicabant, hinc variis linguis psalmos, & hymnos canebant quasi divina gratia ebrii, quos inter nonnulli Prophetias eructabant, & alii interpretabantur reliquis audientibus & interrogantibus. Conventum absolvebat Convivium charitatis, cui hymni & orationes subdebantur, & Conventus dissolvebatur,

Notandum 2. Prophetarum nomine impræsentiarum venire Doctores, qui Sancto afflati Spiritu obscura pandunt, & occulta manifestant: igitur *Prophetæ duo, & tres dicant*, proferant videlicet sua dogmata, revelationes, prophetias, ut alii discant. *Cæteri dijudicent*, id est, cæteri Prophetæ, Doctores, non autem vulgus, attendant, & videant, an recta sint, quæ promuntur. *Quod si alii revelatum fuerit sedenti, prior taceat:* nempe si quid alter habeat utilius, taceat prior, & iste loquatur. *Potestis enim omnes per singulos prophetare, ut omnes discant, & omnes exhortentur*: scilicet si præscriptus ordo servetur, omnes prophetæ, Doctores, quid sentiant, dicere poterunt, & omnes ab omnibus audire. Hic indubie est literalis sensus ab Apostolo enuntiatus: sed quid hoc ad Spiritum privatum?

Ad XI. Male adduci textum Joannis: nam nomine *Spiritus* eo loco intelligitur aer, ut in aperto est, qui hinc inde discurrens auditur quidem, sed ignoratur, unde veniat, aut quo vadat. Quo exemplo inuitur beneficium vocationis ad fidem medio baptismate liberaliter prorsus à Domino huic vel illi concedi. Esto tamen pro Spiritu: intelligantur dona gratiæ & fidei dari gratuito à Deo juxta illud Pauli 1. ad Corinth. c. 12. v. 11. *Hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus dividens singulis prout vult*: non inde evincitur, quod Spiritus hujusmodi

fit

ſit Judex fidei: largiendo namque Deus ſua dona Hierarchicum in Eccleſia nequaquam inmutat ordinem, per quem dedit quoſdam Apoſtolos, quoſdam Prophetas, alios vero Evangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores, à quibus notitia veritatis exquirenda eſt, ſecus à Spiritu privato.

Ad. XII. Si ita eſt, cur adeo à Novatoribus reprehenduntur Ariani, Sabelliani, imo & Romani? Ipſi quoque ſunt ſub lege gratiæ: argumentum itaque nullius eſt momenti, cum probet nunquam fuiſſe, nec fore hæreticos. Quare ubi Spiritus Domini, ibi non venit illa carnalis libertas, qua unusquiſque putat ſibi licere quodcunque ſive in agendo, ſive in credendo, ſecundum quam Libertini ſeſe tum à Divinis tum ab humanis legibus exemptos deprædicant; ſed intelligitur illa libertas ſpiritualis, qua fidelis profecto illuminatur, & recte Divinis affectus amore juſtitiæ, non timore pænæ Deo per actus fidei, ſpei, & Charitatis inſervit. Apoſtolus ſiquidem excellentiam ſtatus gratiæ contraponit legi veteri, in qua homines ſub figuram velamine detinebantur, acti timore Deo ſervientes.

Ad XIII. Etiam Pelagiani credebant in Filium Dei: ergo lumen & donum habuerunt interpretandi in dogmatibus? intendit ergo Evangeliſta oſtendere teſtimonium Dei Patris de Filio ſuo majus fore, quam teſtimonium Prophetarum: illud enim quilibet credens percipit, hoc vero niſi interior illuſtratio & motio præcedat, non perſeverat: ſicut Chriſtus teſtimonium habuit à Joanne Baptiſta Joan. c. 1. v. 7. *Hic venit in teſtimonium, ut teſtimonium perhiberet de lumine*, ſed majus habuit à Patre v. 9. & ſeq. *Si teſtimonium hominum* (id eſt Prophetarum) *accipimus, teſtimonium Dei majus eſt: quoniam hoc eſt teſtimonium Dei, quod majus eſt, quoniam teſtificatus eſt de Filio ſuo: qui credit in Filium Dei, habet teſtimonium Dei in ſe. Qui non credit Filio, mendacem facit eum* (ideſt Patrem) *quia non credit in teſtimonium, quod teſtificatus eſt Deus de Filio ſuo.*

Ad XIV. Hoc argumentum non esse ad rem una cum textu allato. Nam prædicante Christo in Synagoga Judæi mirabantur: *quomodo hic scit literas, cum non didicerit:* credebantque ipsum à Dæmone eruditum: non enim studio veritatis ipsum audiebant: eapropter Christus dixit: *Si quis voluerit voluntatem ejus facere*, id est, si quis rectam voluntatem, atque intentionem haberet, & sincero corde me audiret, plane nosceret doctrinam meam à Deo esse, quia eam Scripturis consonam intelligeret. Hinc Joan. c. 5. dicitur: *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ad invicem accipitis.* Et Lucæ c. 16. v. 14. *Audiebant autem omnia hæc Pharisæi, qui erant avari, & deridebant illum.*

Ad XV. Augustinum loqui de cognitione interioris bonitatis baptizandorum, circa quam homines indubie non sunt infallibiles: atque rem daclarat exemplo illorum, qui baptizant ficto accedentes animo, esto exteris videantur sincere Sacramentum petere. Ex quibus clare patet, non loqui de Judicibus proprie dictis, sed de his, qui aliorum voluntates exquirunt.

Ad XVI. Augustinum loc. cit. externam doctrinam non reprobare, sed solum negare, prædicationem proficere gratia interiore non movente. Verba S. Patris sunt: *Sic sunt ista verba fratres, quæ forinsecus dicimus, quomodo agricola ad arborem forinsecus operatur, adhibet aquam, & diligentiam culturæ, quæ licet forinsecus adhibeat, numquid poma format?* remque probat ex Apostolo 1. ad Corinth. c. 3. v. 7. *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.*

Ad XVII. S. Ambrosius est contra ipsos Hæreticos. Audiatur, quid præmittit S. Doctor: *Veniant plane, si qui sint, ad Ecclesiam, audiant cum populo, non ut quisquam eorum Judex resideat.* Admittit ne omnes de plebe ut Judices? Sciendum itaque,

que, tunc temporis populum non jam jus electionis Episcopi, sed usum postulationis habuisse. Agebatur de eligendo Episcopo Mediolanensis Ecclesiæ. Ariani maxime Auxentio addicti hunc quasi purioris fidei hominem præeligere volebant; Ambrosius vero in Domino confidens, quod adversarium disputantem vinceret, petiit, ut populus ad concertationem veniret, eumque sequeretur, quem melius disputantem agnovisset.

Ad XVIII. Quilibet sua Fide salvatur, quia cuilibet liberum est revelatis assentiri, & quilibet in se media habere debet, ut salvus fiat. Cæterum nequaquam cuilibet datur optio credendi, quod vult, atque pro libitu acceptare, quæ ipsemet revelatum credit; immo hoc contra fidei naturam est, hæc namque vult intellectum captivare in obsequium Dei: eapropter opus est, credentem suo nequaquam inniti judicio.

Ad XIX. Instantiam allatam favere Arianis, Sabellianis &c. unde neg. min. quæ falsa est. Nam interius Spiritus S. lumen non destruit Hierarchicum Ecclesiæ ordinem, in quo sunt Pastores & Doctores, nec tollit naturam fidei, quæ est ex auditu, adeoque per aliorum sententiam regulari debet. Lumen interius illud est, quod incrementum dat: verum incrementum non datur, nisi adsit, qui forinsecus plantet, & riget. Et merito quidem, nam interius lumen fallax quandoque deprehenditur, cum sæpenumero Angelus tenebrarum in Angelum lucis transfiguratus appareat. Nec inducta probatio urget: etenim si perfectius Agens nolit se solo operari, utendum est alterius ministerio. Deus in visibili Ecclesia non vult se solo interiori motione fideles erudire, sed mediis Doctoribus, ac Ecclesiasticis Judicibus.

Ad XX. Argumentum hoc esse pro nobis. Nam Christi doctrina proprio ipsius Christi judicio non regebatur, sed Patris, quem, ut ipse fatetur, semper audiebat: unde etiam fides nostra regulari nequaquam debet à particulari judicio, sed eo-

rum, quos præcepit Deus audire. Præterea dicendum, Christum non aſſumere teſtimonium ex indigentia, cum eſſet primus Judex, primus legislator omni gratiæ & ſapientiæ dono refertus, ſed in ordine ad alios, ut ibidem loc. cit. innuitur: *Vos miſiſtis ad Joannem, & teſtimonium perbibuit veritati: Ego autem teſtimonium ab homine non accipio, ſed hæc dico, ut vos ſalvi ſitis.* Similiter Scriptura & Fides noſtra quoad ſe nulla indigent teſtificatione, cum nullo modo à veritate aberrent, ſed in ordine ad alios teſtimonium neceſſarium eſt.

Ad XXI. Cum S. Chryſoſt. Homil. 7. in 1. ad Corinth. Quod Paulus in 1. textu non velit, omnes & quoslibet fideles accepiſſe Spiritum ex Deo ad omnia, quæ revelata ſunt, perſcrutanda & percipienda, ſed quod omnia, quæ à Deo nobis donata cognoſcimus ex revelante Spiritu, qui ex Deo eſt, & ſenſu Chriſti ſciamus. Non enim idem eſt dicere, omnia, quæ fide cognoſcimus, ex Spiritu S. Magiſtro diſcimus, & cognoſcimus; quod dicunt Catholici; ac dicere, ex Spiritu S. Magiſtro cognoſcimus omnia, quæ revelavit Deus ex Scripturis, quod dicunt Proteſtantes. Ad 2. textum dico, eum explicando ſub diſt. ſpiritualis, id eſt, fidelis Chriſtianus in fide & virtutibus profectus judicat omnia, hoc eſt, percipit ſublimiorem doctrinam, quam animalis, ſeu imperfectus Chriſtianus intelligere nequit, Conc. judicat cum auctoritate definiendo, neg.

Ad XXII. Apoſtolum eo loco agere de donis Spiritus S. & quidem v. 10. de dono interpretandi Scripturas, quod tamen omnibus dari inibi non dicit, nec id negat ſummo Eccleſiæ Paſtori & Concilio. Præterea ſicut ex eo, quod unus atque idem Spiritus operetur donum Prophetiæ, & illud det, cui vult, non ſequitur, illud dari omnibus: alias ſequeretur, donum Prophetiæ, quia datum eſt Amos Paſtori, datum eſſe omnibus Paſtoribus: ita ex eo, quod unus atque idem Spiritus operetur donum interpretationis, & illud det, cui vult, non ſequitur,

illud

illud dari omnibus: quia privilegia paucorum non conftituunt legem communem.

Ad XXIII. Conc. ant. neg. confeq. Difp. eft: quia gratia Prophetiæ, & revelationes novæ non funt neceffariæ in fummo Pontifice pro Ecclefia Dei, uti tamen eft explicatio doctrinæ acceptæ, & judicium de dogmatibus fidei, pro quibus Pontifici & Ecclefiæ, non vero fingulis hominibus eft promiffa affiftentia Spiritus S. ne errori fuccumbat. Cæterum donum Prophetiæ eft donum gratis datum: ergo poteft illud Deus conferre, cui vult.

Dices: Matth. c. 23. v. 8. ait Chriftus: *Vos autem nolite vocari Rabbi, unus eft enim Magifter vefter*: ergo præter Chriftum, aut Spiritum privatum non eft agnofcendus Magifter feu Judex. ℞. Chriftum hoc loco non prohibere, ne Rabbi five Magiftri, qui Scripturam interpretentur, in Ecclefia habeantur: fed tantum ambitionem illius honoris vetare. Deinde nunquid D. Paulus 2. ad Timoth. c. 1. v. 11. fe vocat Doctorem gentium dicens: *pofitus autem ego Prædicator & Apoftolus (veritatem dico, non mentior) Doctor gentium.* Et nonne apud Proteftantes tot fere vocantur Magiftri, quod Præcones? dicitur ergo Chriftus unus Magifter, quatenus eft primarius, & præcipuus, cujus nomine alij loquuntur; non autem quod ipfe folus inftruat interius omnes; alias cur mififfet in omnem terram Apoftolos?

Pro Hæreticalium Sophifmatum ulteriori folutione advertendum, duplicem dari interpretationem, feu explicationem Scripturæ. Prima dicitur fimplicis notitiæ, & cognitionis, feu eruditionis. Secunda Jurisdictionis, & authenticæ auctoritatis. Prima non eft Judex, fideique tribunal, & fæpe in privatis eminenter reperitur. Secunda conftituit tribunal fidei, & folum in Patribus feu Epifcopis conciliariter congregatis invenitur. In Exemplo: in politicis funt, qui apprime norunt jus Civile, & licet circa litigantium jura recte judicent, eorum tamen

men judicium litem non abſolvit, quia jus ferendi ſententiam ipſis non competit; econtra ſi idem judicium proferatur ab habente jurisdictionem, ſententia eſt judicialis, & litem dirimit. Ita in ſpiritualibus: fidelis quilibet habet ſaltem ſubſtantialem eorum notitiam, quæ credere, & facere debet, ut ſalutem conſequatur; & eruditiores omnia fidei myſteria alte perpendunt; ſunt deinde Judices à Domino conſtituti, nempe Papa, & Concilium: priorum judicium eſt pure diſcretivum, aliorum vero definitium & Judiciale. Hæretici, cum utrumque confundant, ideo tam miſere hallucinantur, & falluntur.

§. III.

Dico 3. Nec Principes ſæculares, nec multitudo fidelium ſunt Judices Controverſiarum fidei.

PRobatur Concluſio quoad 1. partem. Apoſtolus ad Epheſios c. 4. *Et ipſe* (Chriſtus) *dedit quoſdam Apoſtolos* &c. loqvens de Eccleſiæ regimine uſque ad finem mundi duraturo, & recenſendo eos, quibus Eccleſiæ regimen à Chriſto comiſſum eſt ad fideles in fide continendos, & contra nequitiam ac fraudes Hæreticorum tuendos, nullam facit mentionem Principum ſæcularium, ſed poſt Apoſtolos Solorum Paſtorum, nempe Epiſcoporum. Ergo.

Confirmatur 1. Ex perpetua praxi Eccleſiæ omnes fidei controverſiæ hactenus in Eccleſia exortæ non Principum ſæcularium, ſed Romani Pontificis, & aliorum Epiſcoporum judicio diremptæ ſunt: ut legenti Hiſtoriam Eccleſiaſticam palam fiet: ergo.

Confirmatur 2. SS. Patres hanc Principibus in controverſiis fidei judicandi poteſtatem negant, ut S. Athanaſius, qui Epiſtola ad ſolitariam vitam agentes ſic ait de Conſtantino Impera-

pera-

peratore eum reprehendens, quod, Ecclesiasticam Jurisdictionem usurparet: *Quando à condito ævo auditum est? quando judicium Ecclesiæ authoritatem suam ab Imperatore accepit? aut quando unquam hoc pro judicio agnitum &c. - - - Nunc autem novum spectaculum ab Ariana Hæresi editur &c. - - - quis videns eum in decernendo Principem se facere Episcoporum, & præsidere judiciis Ecclesiasticis, non merito dicat, illum eam ipsam abominationem desolutionis esse, quæ à Daniele prædicta est*: Nec dicatur: Athanasium de intrinseca auctoritate Ecclesiastica loqui Sacerdotum, non vero de extrinseca. Non inquam dicatur: nam eum loqui de externa potestate sat ejus verba indicant: etenim præsidere Episcopis, convocare concilia, judicare causas Episcoporum, definire res fidei omnino sunt actus jurisdictionis exterioris. Ergo.

S. Ignatius Martyr anno post Christum 71. in Epist. 7. ad Smyrnenses docet: *Primum honorem deberi Deo, secundum Episcopo, tertium Regi.* Item Epistola ad Philadelphienses scribit idem S. Ignatius: *Principes subditi estote Cæsari, milites Principibus, Diaconi Presbyteris. Presbyteri vero & Diaconi, atque omnis Clerus simul cum omni populo & militibus, atque Principibus, sed & Cæsare obediant Episcopo: Episcopus vero Christo, sicut Patri Christus, & ita unitas per omnia servetur.* Ergo.

Hosius Cordubensis Episcopus, qui primo Concilio Nicæno interfuit, in eo Constantinum Imperatorem affatus est his verbis relatis ab Athanasio in Epistola ad solitariam vitam agentes: *Desine quæso Imperator, ne te misceas Ecclesiasticis, neque nobis in hoc genere præcipe, sed potius ea à nobis disce. Tibi Deus imperium commisit, nobis, quæ sunt Ecclesiæ, concredidit, & quemadmodum qui tuum Imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi Divinæ, ita & tu Cave, ne quæ sunt Ecclesiæ, ad te trahens magno crimini obnoxius fias.* Ergo.

S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 17. inquit: *Ad hodiernam usque diem cernimus mundanos Principes regi & instrui ab*

Ecclesiasticis; - - - Si Ecclesiastici regunt Reges in spiritualibus, sunt Reges ergo subditi, inferioresque illis.

S. Cyprianus anno 250. vivens lib. 1. Epist. 3. radicem hæresum innuens scribit: *Neque enim aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt Schismata, quam inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur: nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Judex vice Christi cogitatur.* Ergo quia Judicem hunc in Ecclesiasticis causis non cogitat Anglia penes Sacerdotium, hæresim defacto fovet & Schisma contra veram Christi Ecclesiam.

Probatur Conclusio 2. Ex veteri testamento: Levitici c. 10. v. 8. legitur: *Dixit quoque Dominus ad Aaron: vinum, & omne quod inebriare potest, non bibetis tu & Filij tui, quando intrabitis in tabernaculum testimonij &c. Ut habeatis scientiam discernendi inter Sanctum & prophanum: inter pollutum & mundum: doceatisque Filios Israel omnia legitima mea* &c. Cui hæc dicit Dominus, Regi ne? nequaquam, sed Sacerdoti. Ezechielis c. 44. habetur: *Sacerdotes autem & Levitæ filii Sadoch &c. Et populum meum docebunt, quid sit inter Sanctum & pollutum: inter mundum & immundum ostendens eis. Et cum fuerit controversia, stabunt in judiciis meis, & judicabunt.* Sacerdotes dixit judicabunt, non Reges. Paralip. 2. c. 19. dicitur: *ubicunque quæstio est de lege, de mandato, de cæremoniis, de justificationibus, ostendite eis*: id est Sacerdotibus per civitates distributis. v. 11. *Amarias autem Sacerdos & Pontifex vester in his, quæ ad Deum pertinent, præsidebit.* En inter Sacerdotes constitutos ad docendum unus Primus est, cui cæteri subordinantur. Et statim eodem v. sequitur: *Porro Zabadias filius Ismael qui est Dux in domo Juda, super ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent.* Ecce non negotia Ecclesiastica, sed sæcularia Regibus demandantur. Aggæi c. 2. v. 12. habetur: *Hæc dicit Dominus Exercituum, interroga Sacerdotes legem.* Non dixit interroga Regem. Malachiæ c. 2. v. 7. dicitur: *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus,*

quia

quia Angelus Domini exercituum est. Labia Sacerdotis non Regis: Sacerdos non Rex, Angelus Domini est, id est nuntius & interpres Divinæ scientiæ & voluntatis. Ipsimet Principes & Reges ad Sacerdotes confugere debent, ut Divina discant. De Josue constituto ad regendam multitudinem dicitur Numerorum. c. 27. v. 21. *Pro hoc si quid agendum erit, Eleazar sacerdos consulet Dominum. Ad verbum ejus egredietur, & ingredietur ipse & omnes filii Israel cum eo, & cætera multitudo.* En supremus in politia temporali omnino à Sacerdote dependens quoad spiritualia. Ergo:

Probatur Conclusio 3. ex novo Testamento. Ad illos pertinet judiciaria fidei potestas, supra quos ædificavit Christus Ecclesiam: sed Christus non ædificavit Ecclesiam super Reges ac Principes, sed super Apostolos: ergo ad hos non ad illos pertinet judiciaria fidei potestas. maj. constat: qui enim potestatem & primatum habet in aliquo ordine, est fundamentum, cui talis ordo innititur. min. etiam patet: quia non Rex sed Apostolus erat, cui dixit Christus Matth. c. 16. v. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Non Reges erant, sed Apostoli, de quibus dicitur ad Ephes. c. 2. v. 20. *Superædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu.* Non sunt Reges & Principes terræ, de quibus dicitur ad Ephes. c. 4. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores ad Consummationem Sanctorum in opus ministerii, in ædificationem Corporis Christi.* Non erant Reges, quibus dictum est Matth. c. 16. *Tibi dabo Claves Regni Cælorum.* &c. Joan. c. 21. *Pasce oves meas.* Act. c. 20. *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei.* 1. Petri c. 5. *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei* &c. Joan. c. 20. v. 22. & 23. *Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* &c. Marci c. 16. *Euntes in Mundum universum, prædicate Evangelium omni Creaturæ.* 1. Corinth. c. 4 *Sic nos existimet*

met homo, ut Ministros Christi, & dispensatores Mysteriorum Dei. 2. Corinth. c. 5. *Pro Christo legatione fungimur.* Ergo: Reges ergo ſicut non habent auctoritatem ſpiritualem in reale Chriſti corpus: cum nequeant illud conficere: ita nec habent auctoritatem ſpiritualem in corpus Chrſti myſticum, ſeu poteſtatem judiciariam: nam poteſtas ſpiritualis in corpus Chriſti myſticum oritur ex poteſtate in corpus Chriſti reale. Ergo.

Confirmatur: Sub primordiis Eccleſiæ nullus Imperatorum Poteſtatem judiciariam fidei habuit: cum nullus Imperator ſub primordiis Eccleſiæ fuerit Chriſtianus: ergo nec nunc.

Probatur Concluſio 4. Ex Jure Canonico. Gelaſius I. ad Anaſt. Imp. diſt. 96. c. 10. inquit: *Duo ſunt Imperator Auguſte, quibus principaliter hic mundus regitur, Auctoritas ſacra Pontificum, & Regalis poteſtas; in quibus tanto gravius eſt pondus Sacerdotum, quanto etiam pro ipſis Regibus hominum, in Divino reddituri ſunt examine rationem. Noſti etenim Fili Clementiſſime, quod licet præſideas humano generi dignitate rerum terrenarum, tamen Præſulibus Divinarum rerum devotus colla ſubmittis, atque ab eis cauſas tuæ ſalutis expetis, inque ſumendis cæleſtibus Sacramentis, eisque (ut competit) diſponendis ſubdi te debere cognoſcis religionis ordine potius, quam præeſſe. Noſti itaque inter hæc ex illorum te pendere judicio, non illos ad tuam velle redigi voluntatem.* Ex quo habemus primo, Imperatorem præeſſe humanis: ſecundo in Divinis ſubeſſe Pontificibus: tertio in his pendere à Sacerdotum Judicio. Ergo.

Omiſſis aliis innumeris textibus Juris Canonici unicus ſufficiat Innocentius III. de Majorit. & obedient. c. 6. ita diſcurens: *Non negamus, quin præcellat Imperator in temporalibus illos duntaxat, qui ab illo accipiunt temporalia: ſed Pontifex in ſpiritualibus excellit, quæ tanto ſunt temporalibus digniora, quanto anima præfertur corpori &c. Noſcere debueras, quod fecit Deus duo magna luminaria in Firmamento cæli, Luminare majus, ut præeſſet diei, & Luminare minus, ut præeſſet nocti, utrumque magnum, ſed alterum*

terum majus. Ad firmamentum igitur cæli, hoc est universalis Ecclesiæ fecit Deus duo luminaria magna, id est, duas instituit dignitates, quæ sunt, Pontificis Auctoritas, & Regalis Potestas: sed illa, quæ præest diebus idest spiritualibus, major est; quæ vero carnalibus, minor: ut quanta est inter solem & lunam, tanta inter Pontifices & Reges differentia cognoscatur. Ergo.

Probatur Conclusio 5. Ex Conciliis. Constantinus Magnus in Concilio Primo Nicæno, ut refert Rufin lib. 1. Hist. c. 2. & Sozomenus lib. 1. c. 16. dixit: *Vos à Deo nobis dati estis Dii, & conveniens non est, ut homo judicet Deos &c. & ideo his omissis illa, quæ ad fidem Dei pertinent, absque ulla animorum contentione distinquite* &c. Quibus Laicus Princeps causas fidei ad Præsules Ecclesiasticos pertinere fassus est. Hoc exemplo & doctrina utitur Greg. Magnus lib. 4. Epistolarum Epist. 75. Nicolaus I. Epist. ad Michaelem Imperatorem Greg. VII. lib. 7. Epist. 21. Ergo.

In Concilio Ephesino Theodosius & Valentinianus Impp. in Epistola ad Patres Synodi habent: *Igitur Candidianum præclarissimum Religiosorum, domesticum comitem ad sacram vestram Synodum abire jussimus, sed ea lege & conditione, ut cum quæstionibus & controversiis, quæ circa fidei dogmata incidunt, nihil quidquam commune habeat. Nefas enim est, qui Sanctorum Episcoporum Catalogo adscriptus non est, illum Ecclesiasticis negotiis & consultationibus se immiscere.* Ergo judicio Imperatorum Laici Principes carent potestate judicandi res fidei. Nec rideant nos Adversarii, quod à Comite arguamus ad Regem. Nam vis non consistit *in Comite*, sed in illo dicto universali Imperatorum: *Nefas enim est, qui Sanctorum Episcoporum Catalogo adscriptus non est, illum Ecclesiasticis negotiis & consultationibus se immiscere.* Atqui nec Comes, nec Rex Laicus adscriptus est Catalogo Episcoporum: ergo & Comiti & Regi Laico nefas est se sacris immiscere.

In Concilio Chalcedonensi Marcianus Imperator in oratione habita ad Concilium fatetur clare, se nullam habere potestatem circa controversias fidei, sed solam protectionem pro removendis impedimentis, & promovenda Decretorum executione, ut refertur dist. 96. Can. *Nos ad fidem confirmandam non ad aliquam potentiam ostendendam, exemplo Religiosissimi Principis Constantini Synodo interesse volumus, ut inventa veritate non ultra multitudo pravis doctrinis attracta discordet* &c. Ergo.

Concilio VIII. Interfuit Basilius Imperator, qui rotundis verbis in oratione habita ad Patres fatetur, se nullam habere partem in iis, quæ ad Religionem pertinent, immo hæc ad Sacerdotium spectare. Occasione, namque Photianorum Hæreticorum dicit: *Hæc autem investigare & quærere, Patrjarcharum, Pontificum & Sacerdotum est, qui regiminis officium sortiti sunt, qui sanctificandi, qui ligandi, & solvendi potestatem habent, qui Ecclesiasticas ac cælestes adepti sunt claves: non nostrum, qui pasci debemus, qui sanctificari, qui ligari, vel à ligamento solvi egemus.* Ergo. Nec dicatur ab Adversariis: Basilium non esse multæ auctoritatis eo, quia occidit Michaelem Imperatorem, ejusque Imperium invasit. Non inquam dicatur: verum est, quod Basilius occiderit Michaelem, sed juste, utpote injustum sui invasorem. Falsum autem est, Basilium Imperium invasisse, sed recta via, per varios videlicet Magistratus gradus, quos diligenter & prudenter exercuit, illud promeruit, ut veteres & Recentiores Historici testantur.

Concludo constitutione Justiniani Imperatoris in authent. constit. 123. ita habente: *Si Ecclesiasticum negotium sit, nullam communionem habento Civiles Magistratus cum ea disceptatione, sed Religiosissimi Episcopi secundum Sacros Canones finem imponunto.* Ergo decernit Imperator sæculares Principes non debere se immiscere negotiis, & disceptationibus mere Ecclesiasticis.

Pro-

Probatur Conclusio 6. ex testimoniis ipsorum Hostium S. Romanæ Ecclesiæ. Lutherus, qui ordinem Ecclesiasticum, sacraque judicia subjecerat Laicali potestati, asserta hæc retractavit lib. de bello adversus Turcas. *Salutet Deus vos Infideles Principes vestrorum subditorum. Quis diabolorum vobis in mandatis dedit tam vehementer non commissa Ecclesiastica negotia peragere, quæ ad Deum, & conscientiam spectant?* Tomo 2. contra articulos Lovanienses habet: *Non est Regum & Principum veram doctrinam confirmare, sed Ecclesiæ subjici & servire.* Lib. de sæculari potestate scribit: *Si quando sæcularis tuus Princeps tibi mandat hoc vel illo modo credere, aut jubet libros abjicere; sic dices: non licet Luciferum sedem suam juxta Altissimum ponere. Benevole Princeps, omnem corporis, & fortunæ obedientiam tibi dabo. Manda mihi pro ea, quam in terris obtines potestate, & sequar te. Si quid autem præceperis de fide, aut libris ablegandis, non tibi dicto audiens ero. In his Tyrannum te præbes, modum excedis, atque ea præcipis, in quibus nullam potestatem obtines.* Idem in Comment. Psal. 102. *Audite nobilissimi Angli, qualis vestri Regis Primatus sit ex mente Lutheri. Luciferinum tentatum, Diaboli magisterium, Tyrannis usurpatio.* Ergo.

Calvinus idem sentit: nam in Comment. c. 2. l. 4. Instit. c. 11. 43. Laudat Ambrosium, quod vocatus ad conferendum de fide coram Imperatore recusaverit: & cap. 20. asserit: *Apostolicum munus Regi non convenire.* Cap. 11. 15. *Si Scripturam & vetera exempla intueamur, quis est, qui non astruat, in causa fidei Episcopos solere de Imperatoribus Christianis, non Imperatores de Episcopis judicare.* Ergo. de primo ad ultimum Principes sæculares non sunt Judices Controversiarum fidei.

Probatur jam Conclusio quoad 2. partem. Quia neque Scriptura, neque traditio potestatem judicandi de rebus fidei attribuunt populo: neque unquam in Ecclesia Christi controversiæ fidei, quæ tot ac tantæ hactenus exortæ sunt, ab eo

ſunt deciſæ: quia recta ratio plane dictat, judicium authenticum de Controverſiis fidei, non debere pertinere ad populum, qui doceri debet à Paſtoribus Eccleſiæ, & cujus maxima pars ignara eſt: alioquin enim idem eſſet officium gregis & Paſtoris, populus poſſet non audire, imo poſſet ſpernere Paſtores Eccleſiæ contra illud Chriſti Lucæ c. 10. *Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit*: adeoque totus in Eccleſia ordo everteretur. Unde S. Greogorius Nazianzenus orat. 9. populum Chriſtianum ab hac præſumptione & inſania avocat his verbis: *Oves paſtores nec poſcite, nec ſupra fines veſtros aſſurgite: ſatis enim vobis eſt, ſi recte paſcemini, Judices ne judicate: nec Legislatoribus leges præſcribite. Non eſt enim diſſenſionis, & confuſionis Deus, ſed pacis, & ordinis. Ne quis igitur caput ſit, qui vix aut manus, aut pes, aut vilius quiddam aliud membrum eſt*, &c. Ergo

OBJECTIONES.

OBjicies I. Contra 1. partem Concluſionis. Moyſes fuit Princeps Laicus (Sacerdos enim primus in lege veteri fuit Aaron) ſed Moyſes jure Divino habebat jurisdictionem & primatum in rebus Religionis, ut conſtat Exod. c. 18. *Eſto tu populo in his, quæ ad Deum pertinent, ut referas, quæ dicuntur ad eum: oſtendasque populo cæremonias, & ritum colendi.* Ergo etiam Principes Laici habent jurisdictionem, & primatum in rebus Religionis: ergo.

II. Joſue erat Dux Laicus, & nec formaliter Sacerdos: ſed Joſue habuit jus exercendi acta Religionis, & exercuit etiam tale jus: hinc cap. 3. præſcribit Sacerdotibus, quod portent Arcam fœderis. Item cap. 4. Explicat myſterium duodecim lapidum, quos in tranſitu Jordanis erexit. Item cap. 5. & 8. circumcidit filios Iſrael, & ædificavit Altare Domino:

popu-

populum admonuit, ne iniret fœdus cum gentibus; quæ munera non exercuit Eleazarus, qui pro tunc erat ſummus Sacerdos. Ergo Laici Principes jus habent Divinorum.

III. Revocare populum ad cultum Dei, conſtituere Levitas & Sacerdotes, prædicare univerſo populo jejunium, & exhortari ad fidem, ſunt actus proprii Jurisdictionem habentis in Divinis: ſed Joſaphat ſimplex Rex Laicus hæc munia exercuit: ergo. min. quod conſtituerit Levitas & ſacerdotes habetur 2. Paralip. c. 19. v. 8. *In Jeruſalem quoque conſtituit Joſaphat Levitas, & Sacerdotes*, & Principes *familiarum ex Iſrael, ut judicium & cauſam judicarent habitatoribus ejus.* Quod univerſo populo prædicaverit jejunium habetur cap. 20. v. 3. *Et prædicavit jejunium univerſo Juda.* Quod exhortatus fuerit ad fidem habetur c. 19. v. 4. *Egreſſus eſt ad populum de Berſabee usque ad montem Ephraim, & revocavit eos ad Dominum Deum Patrum ſuorum.* Ex quibus arguunt AA. Mittens eſt ſuperior miſſo: ſed Rex Joſaphat miſit Levitas & Sacerdotes pro reformatione Synagogæ: ergo erat ſuperior Levitis & Sacerdotibus: ergo

IV. Ubi intervenit præceptum, ibi adeſt vera Superioritas, & Jurisdictio: ſed Rex Joſaphat præcepit: nam 2. Paralip. c. 19. v. 9. habetur: *præcepitque eis dicens* &c. Ergo Rex Joſaphat habuit veram ſuperioritatem, & Jurisdictionem.

V. In Codice fontali 2. Paralip. c. 19. v. 12. non extant illa verba: *quæ ad Regis officium pertinent*: ſed ſolum *quæ ad res Regis pertinent*, id eſt, terrenam politiam: ergo non arguitur ſola laicalia pertinere ad Regem.

VI. Reſervata Sacerdotibus in illis verbis 2. Paralip. c. 19. v. 12. *In his quæ pertinent ad Deum* intelliguntur ea ſolum, quæ pertinent ad ſacrificia, non vero ea omnia, quæ ſpectant ad res Divinas, doctrinam, & judicium fidei: ergo.

VII. David poteſtate Regia abſtulit à templo claudum & cæcum 2. Reg. c. 5. v. 6. *Non ingredieris huc niſi abſtuleris cæcos & claudos.*

claudos. Ergo ad David pertinebat auferre abusus Ecclesiasticos, cum hi oriantur vel ex incuria, quod in officio claudicetur: vel ex inscitia, qua homines dicuntur cæci.

VIII. Reges reprehenduntur, quod excelsa non abstulerint, id est abusus & corruptelas: nec reprehenderentur, nisi eorum officium foret: sed ad quos pertinet abusus Ecclesiasticos tollere, pertinet etiam jurisdictio Ecclesiæ: ergo.

IX. 1. Paralip. c. 13. v. 12. Imperio David Arca perducta est ad constitutum locum quietis: ergo David habuit jurisdictionem in Divinis.

X. 2. Reg. c. 6. v. 14. Arca translata & deportata est ipso Rege David præeunte, & præsaltante, quod significat, Davidem Regem tenuisse primatum in negotio Arcæ deportandæ: cum ante Arcam saltaverit præ gaudio Jurisdictionis: si enim ob humilitatem, retro ivisset, & saltasset. Ergo.

XI. Rex Laicus David Ministros, ministeria, & officia templi disposuit: ergo habuit jurisdictionem in Divinis.

XII. Qui ædificat, & dedicat templum Deo, & Summum deponit Sacerdotem, habet in Ecclesia Jurisdictionem: sed Salomon ædificavit, & dedicavit templum Domino, ut habetur 2. Paralip. c. 6. v. 2. Et deposuit summum Sacerdotem Abiathar, ut habetur 3. Reg. c 2. v. 27. & illi surrogavit Sadoc Sacerdotem, ut legitur 3. Reg. c. 2. v. 35. Ergo.

XIII. 4. Reg. c. 22. & 23. v. 2. & 3. Josias Rex librum legis populo legi & promulgari fecit: fædus inter Deum & populum novum iniit: præcepit Pontifici, reliquisque secundi ordinis Sacerdotibus, ut ejicerent de templo, atque exurerent vasa omnia, quæ Baali sacra fuerant, & ut excelsa demolirentur. Mandavit post de Paschate novo faciendo: denique de religione tota reformanda. Hi autem actus sunt sacri, & à Rege præcepti: & ubi præcipit Rex, paret Pontifex Regi: ergo Rex Laicus habet jurisdictionem in Divinis, & est Judex Ecclesiæ.

XIV.

XIV. Ezechias Rex Laicus Auctor fuit fœderis inter Deum & populum: ingressus est templum: confregit serpentem æneum, qui erat Christi figura, quia illi offerebant Hebræi sacrificia, suffitus adhibendo, ut fit imaginibus à Pontificiis: venerando illum, & thurificantes ratione accepti beneficii &c. Hæc autem omnia denotant potestatem judiciariam in Divinis. Ergo.

XV. Novos ritus inducere, & antiquos dispensare arguit potestatem Judiciariam: sed Ezechias sua auctoritate novos ritus non præceptos induxit, & antiquos dispensavit; nam jussit populo, ut voluntarias oblationes Deo faceret, jussit Levitis, ut juvarent sacerdotes in extrahendis pellibus holocaustorum, jussit Pascha celebrari tempore non suo, id est mense secundo, &c. Ergo.

XVI. Quod facere potest Custos Regis, potest facere ipse Rex: sed Jojadas Sacerdos ut Custos Joas septennis fœdus iniit inter Deum & populum: ergo.

XVII. In testamento veteri Reges dicuntur Filii Altissimi, Dii, uncti Domini, in solio Dei sedentes, Dei famuli, Angeli Domini, facti juxta cor Dei, lumina Israelis, nutritii Ecclesiæ &c. Sed hæc omnia probant supremam in Ecclesia judiciariam potestatem: ergo.

XVIII. Ille judiciariam potestatem habet, cui omnes obedire debent: sed omnes obedire debent Regibus juxta illud ad Rom. c. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Cum igitur dicat scriptura *Omnis anima:* ergo omnes includit, & nullum excipit: ergo Reges habent in Ecclesia judiciariam potestatem.

XIX. Potestas Regum à Deo est, ergo se extendit ad omnia, quæ ad Deum pertinent: atqui ministeria Sacra, Evangelium, quæstiones fidei ad Deum pertinent: ergo ad hæc potestas Regum se extendit: ergo.

XX. Subjectio in iis, quæ ad conscientiam pertinent, Religionis ordinem tangit: sed tenentur omnes subjici Regibus etiam in iis, quæ pertinent ad conscientiam, ut habetur ad Rom. c. 13. *Non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam:* ergo.

XXI. Ejusdem est definitiva potestas & gubernativa, cujus est coactiva in contumaces: sed potestas Regia est coactiva in contumaces, ut dicitur ad Rom. c. 13. v. 4. *Dei enim Minister est, vindex in iram ei, qui malum facit:* ergo.

XXII. Jurisdictio illa est spiritualis, cujus finis est pietatis promotio, & conservatio: atqui Jurisdictio Regia est hujusmodi, & ideo præcipue pro illis est orandum juxta illud 1. Timoth. c. 2. *ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate:* ergo.

XXIII. Illi, quibus ut ministris Dei reddendum est non solum tributum, sed & amor, & honor, & timor, potestatem judiciariam habent in Ecclesia: sed tales sunt Reges, ut dicitur ad Rom. c. 13. *Ministri enim sunt, in hoc ipsum servientes. Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem: timorem; cui honorem, honorem:* ergo.

XXIV. Joan. c. 18. v. 36. dicit Christus: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Et Lucæ c. 12. v. 14. *Quis me constituit Judicem, aut divisorem super vos?* Ergo si Christi regnum non est de hoc mundo, si Christus non est Judex, erunt Reges.

XXV. Ille habet potestatem Judicariam in Ecclesia, cui etiam Successores Christi tenentur reddere rationem doctrinæ suæ: sed Regibus tenentur reddere rationem doctrinæ suæ: ut duo exempla monstrant Christi Domini: cum enim dictum esset Christo, quod Herodes eum quæreret ad mortem, misit reddere rationem sui operis dicens Lucæ c. 13. *Ite, & dicite vulpi illi, ecce ejicio Dæmonia, & sanitates perficio hodie, & cras, & tertia die consummor.* Item Joan. c. 18. coram Pilato fassus est se esse veritatem: ergo.

XXVI.

XXVI. Is, à quo Patres Conciliaria acta petunt emendari, habet potestatem judiciariam in Ecclesia: sed Patres Concilii Arelatensis petunt à Carolo Magno statuta Conciliaria emendari: Can. ult. *Ut si quid minus est, ejus prudentia suppleatur, si quid secus quam ratio habeat, ejus judicio emendetur: si quid rationabiliter taxatum est, ejus adjutorio Divina opitulante Clementia perficiatur.* Ergo Carolus Magnus habitus est pro Judice in Divinis. Pariter alia Concilia, ut Turonense, Moguntinum, Rhemense, Francofordiense se Carolo subjecerunt: & alteri Congregationi Francofordiensi ipse Carolus astitit, audivit Sacerdotes, locutus est, distribuit loca & sedes Episcopis: primum dedit Romano Pontifici, secundum Italiæ Episcopis, tertium Germanis, quartum Gallis: decrevitque, quid esset sentiendum in causa fidei contra Epiphanium Toletanum: ergo.

XXVII. Patres Concilii Chalcedonensis cap. 14. Tom. 4. petunt supplices ab Imperatore, ut definita in Concilio robur habeant. Patres pariter Concilii C. P. sub Menna in libello Epistolarum ad Justinianum Imp. act. 1. clare ostendunt plenitudinem discretionis in Hæreticos esse penes Imperialem potestatem. Et act. 4. dum flagitant Patres Hæreticos feriri anathemate, respondit Menna: *Nihil eorum, quæ moventur in Ecclesia, convenit fieri præter Principem, & jus pii Imperatoris* &c. Ergo Jus habet Imperator in causas Religionis.

XXVIII. Fugitivos Sacerdotes revocare, & Ecclesiis restituere: inhibere Monachis, Presbyteris, & Clericis, ne palatium adeant: Abbates, Canonicos, & Regulares in officio continere circa regularem observantiam, actiones sunt Jurisdictionis Ecclesiasticæ: sed in has jus habere Principem agnoscit Concilium Parisiense, quatenus rogat Ludovicum, & Lotharium, ut horum & aliorum disciplinæ Ecclesiasticæ curam habeant, ut constat ex lib. 3. c. 13. 14. & 18. Ergo.

XXIX. Ea quæ ſunt cæleſtia cogitare, populos ab errore revocare, & eis veritatem ſerenæ lucis oſtendere, ſunt actus proprii Jurisdictionis Eccleſiaſticæ, ſicut auctoritative præcipere Symboli recitationem, quod eſt formula fidei; atqui hæc omnia faſſus eſt ad ſuam poteſtatem pertinere Reccaredus Rex in Concilio Tolentano III. cap. ultimo. Et in cap. 2. mandatur, legibus Regis & juſſis eſſe obediendum. Pariter Gundemanus in altero Concilio Toletano dedit legem Religionis, & innocentiæ. Ergo.

XXX. Curare, & intendere, quæ reſpiciunt ad utilitatem noſtræ Reipublicæ, & præcipue quæ feruntur ad immaculatam noſtram fidem, poteſtatem ſonant Jurisdictionis; ſed hæc ad ſuam curam pertinere aſſerit Imperator Conſtans in proæmio ſui typi pro Monathelitis: eamque poteſtatem illi tribuunt Patres Concilii Romani Conſult. 2. ſub Martino I. cum præſidium implorent, *ut turbo diabolicæ fraudis ſuæ Clementiæ rigore valeat comprimi.* Et licet abuſus ſit ſua poteſtate pro hæreſi ſtabilienda, quæ tamen de ſuo munere dixit, vera ſunt; ergo.

XXXI. Ex Ariſtotele lib. 6. Politicorum habetur: qui cogit, ſummam poteſtatem habere debet in Republica: ſed Principatus cogit: ergo habet ſummam poteſtatem in Republica: atqui Principes ſæculares habent vim coactivam etiam in cauſis fidei: ergo. Hinc D. Petrus Epiſt. 1. c. 5. ait de Epiſcopis: *Neque ut dominantes in Cleris, ſed forma facti gregis:* ergo.

XXXII. Aliqui Imperatores Chriſtiani, præſertim Juſtinianus, leges tulerunt circa fidem & res Eccleſiaſticas: ergo.

XXXIII. Aliqui Imperatores præſederunt Conciliis, ut Chalcedonenſi Marcianus: ſexto Conſtantinus Pogonatus: ſeptimo Irene & ejus Filius: octavo Baſilius. Ergo.

XXXIV. In lege naturæ Principes erant ſummi Sacerdotes: ergo etiam in lege gratiæ poſſunt judicare de rebus fidei. Ergo.

SOL-

SOLUTIONES.

℞: AD I. Moysen fuisse simul Principem, Ducem, Prophetam, & Sacerdotem populi Israel, velut Psalm. 98. dicitur: *Moyses & Aaron in Sacerdotibus ejus:* & docet S. P. Augustinus Lib. 3. de vita Moysis. Nazianzenus in oratione coram Gregorio Nysseno Item S. Hieronimus lib. 1. Contra Jovinianum. Unde Moyses erat figura Christi: Aaron primi summi Sacerdotis à Christo constituti: sicut ergo in Christo erat dignitas Regis, Prophetæ, Sacerdotis, & institutoris primi Ecclesiæ legis gratiæ: ita & in Moyse erat dignitas Principis, Prophetæ, Sacerdotis, & primi promulgatoris legis Hebraicæ; unde sicut Christus qua primus institutor, qua Propheta, qua Sacerdos jus habebat administrandi Ecclesiam in Divinis: ita Moyses qua primus promulgator legis, qua Propheta, qua Sacerdos jus habuit regendi in Divinis Synagogam. Verum Moyses erat summus Sacerdos immediate à Deo constitutus, & extraordinarius, cum majori amplitudine in Synagoga, velut Christus in Ecclesia; Aaron vero erat summus Sacerdos ordinarius & ex officio à Deo constitutus, velut Petrus à Christo. Hoc idem bene explicat S. P. August. lib. 3. de vita Moysis: postquam enim ostendit utrumque Sacerdotem esse, quærit, quis ex illis esset potior? & respondet: *Et ipse summus propter vestem Pontificalem, id est Aaron: ille vero propter excellentius ministerium id est Moyses.* Item S. Th. in 4. dist. 19. q. 1. ad 1. *Quod Moyses fuit Sacerdos quasi sacra dans, quia immediate à Deo accepit sacra, & ea primo dedit populo: non vero fuit Sacerdos ex officio offerendi.* Ex *officio* id est jure ordinario. Hoc modo conciliantur illi, qui negant Moysen fuisse Sacerdotem, id est, ordinaria institutione. Et dato non concesso, Moysen non fuisse Sacerdotem, fuit tamen Propheta, & ideo Divina poterat tractare, & ipsos Reges constituere, ut alii Prophetæ fecerunt: ut Achias, qui in-

inunxit Jeroboam in Regem ſuper Iſrael: ut Eliſæus, qui conſtituit Jehu in Regem Acabi ſtirpe deleta, nullus autem Principum ſæcularium eſt ſimul Rex, Propheta, Sacerdos: ergo.

Dices: Moyſes fuit ſimul Rex, Propheta, & Sacerdos: ergo & alii Principes Laici. ℞. Argumentum à clara revelatione Scripturæ ad nullam Scripturæ revelationem eſſe nullum: Deus enim determinate dicit ſoli Moyſi: *eſto tu populo in his, quæ ad Deum pertinent:* ergo ad alios Principes Laicos extendi nequit.

Ad II. Enumerata in argumento Ducem Joſue exercuiſſe executive, & dependenter à Summo Sacerdote. Nam Numer. c. 27. ubi ex præcepto Domini Moyſes initiavit Joſue Rectorem populi, eique mandata Domini obſervanda expoſuit, præcipitur manifeſte, quod in his, quæ ad Deum & Religionem pertinent, nihil agat ſine dependentia & Conſilio ſummi Sacerdotis: ſine Conſilio inquam ſummi Sacerdotis, non tamen libere amplectendo vel rejiciendo, ſed de jure ſequendo, ut patet ex Numer. c. 27. v. 21. *Pro hoc, ſi quid agendum erit, Eleazar Sacerdos conſulet Dominum. Ad verbum ejus egredietur, & ingredietur ipſe, & omnes filii Iſrael cum eo, & cætera multitudo.* Unde ſicut Aaron dependebat à Moyſe, ita Joſue ab Eleazaro.

Ad III. Regem Joſaphat ſolum adjutorium brachii ſæcularis executivum exhibuiſſe, non vero judicium & ſententiam in materia Religionis & fidei tuliſſe. Cum enim propter bella, & diviſionem inter Regem Iſrael & Juda, & impietatem dominantium, religio eſſet fere deperdita, & omnia fere confuſa; Rex viriliter agens reduxit populum ad priſtina, quantum potuit: imo etiam curavit priſtinarum legum obſervantiam timore gladii, quam reſtitutionem non poterant conſequi ſolis exhortationibus Sacerdotes. Repoſuit Sacerdotes & Levitas in locis, ubi deficiebant, & Duces in temporalibus, ubi exigebat

gebat neceſſitas: non tamen ipſe conſecravit perſonas: vel definivit cauſas fidei & Religionis. Et hæc erat Miſſio Joſaphat, ſcilicet adjutorii. Nec etiam verum eſt, quemlibet mittentem qua talem eſſe Miſſo rigoroſe ſuperiorem, alias Pater æternus mittens eſſet Filio ſuo miſſo Major: quod dicere eſſet deſtruere Ss. Trinitatem. Præterea legatur contextus in 2. Paralip. c. 19. v. 10. *Omnem cauſam, quæ venerit ad vos* (Sacerdotes conſtitutos) - - - *ubicunque quæſtio eſt de lege, de mandato, de cæremoniis, de juſtificationibus, oſtendite eis, ut non peccent in Dominum* - - - Et v. 11. *Amarias autem Sacerdos, & Pontifex veſter in his, quæ ad Deum pertinent, præſidebit. Porro Zabadias filius Iſmael, qui eſt Dux in domo Juda, ſuper ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent.* Ergo ex Sacerdotibus conſecratis deſignavit Rex Joſaphat aliquos pro judicibus cauſarum ſpiritualium, ut poteſtatem, quam de ſe vi officii habebant, in exercitio exercere poſſent. Et hoc omnibus Regibus conceditur, nempe Sacerdotes conſecratos nominandi, præſentandi, pro exercitio officiorum ſuorum: ſed per hoc Sacerdotibus poteſtatem non conferunt, ſed ſolum idoneos deſignant, & præſentant ad judicia Dei populo facienda, & monſtranda: ex hoc autem Rex Laicus non erit Judex, ſed ſolum Cuſtos, & Defenſor.

Ad IV. Illud præceptum nil aliud fuiſſe, quam manifeſtationem obligationis uniuscujusque: juſſitque conſtitutis Sacerdotibus ad opus ſuum, quod illud adimplerent, & cauſas Religionis ſibi debitas rite & ſedulo pertractarent.

Ad V. Summa temeritate negari Codicem, quem legit univerſalis Eccleſia, Hieronymus, Auguſtinus & alii. Præterea textus aperte ponit particulam contrapoſitivam, ſcilicet Amariam eſſe in his, quæ pertinent ad Deum: Zabadiam vero in his quæ ad Regem: explicatque textus jus Divinum, ſtatutum jam Deut. c. 17. ut Vatablus & Pagninus advertunt.

Ae

Ad VI. Antecedens esse absolute falsum, ut patet ex textu loc. cit. 2. Paralip. c. 19. v. 10. *ubicunque quæstio est de lege, de mandato, de cæremoniis, de justificationibus ostendite eis*, id est, Sacerdotibus. Ergo intelliguntur in illis verbis omnia divina, & non solum ea, quæ pertinent ad sacrificia.

Ad VII. Jebusæos incoluisse tunc temporis Jerusalem, quam David intellexerat esse sedem Dei & templum ejus: unde ut illam possideret, applicuit exercitum, postulavit deditionem. Cui Jebusæi responderunt: *Non ingredieris huc, nisi abstuleris cæcos & claudos dicentes: non ingredietur David huc.* Quid autem veniat, nomine cæcorum & claudorum, multiplex expositio est, verior est, quæ asserit, quod in contemptum Davidis Jebusæi posuerint super muros veros cæcos & claudos, quasi dicerent: urbem adeo munitam esse, quod claudi & cæci sufficerent ad defensionem. Ita Joseph lib. 7. c. 2. Glossa interlinealis. Theodoretus q. 16. 17. Abulensis q. 7. & alii. Sed quid hoc ad potestatem judiciariam in Divinis? Aliam responsionem habebis in colliges ad ultimum.

Ad VIII. Abusum fuisse in eo, quod sacrificabant in excelsis, ubi non erat tabernaculum, & cum divinitus per Prophetas constiterit in excelsis immolationes fieri non debere, sed in solo templo: ideo reprehendit Dominus Reges, quod hujusmodi abusum non abstulerint, ad quod faciendum tamen tenebantur. Cur autem Reges præ Sacerdotibus fuerint reprehensi, ratio est: quia populus Judæorum ob duritiam cordis non curabat exhortationes Sacerdotum, & monita Prophetarum, neque aliter quam vi, & auctoritate Regis ab errore hoc abducendus erat: ut constat 3. Reg. c. 3. & 22. Itaque cum in hoc exequendo Reges negligentes fuerint & desides, merito à Deo sunt reprehensi, quo Sacerdotum monitis suam operam executive non adjunxerint. Ex quo non eruitur potestas judiciaria in Divinis.

Ad

Ad IX. Non ſolum Regem Davidem perduxiſſe arcam ad conſtitutum locum, ſed etiam populus, ut habetur 2. Reg. c. 6. v. 15. *David autem & omnis domus Israel ducebant Arcam teſtamenti Domini in Jubilo.* At nemini licebat eam tangere niſi ſolis Sacerdotibus: hinc Oza, quod tangere eam præſumpſerit, cum Sacerdos non eſſet, morte à Deo punitus eſt. Ergo ſicut omnis populus non habuit poteſtatem judiciariam in Divinis ratione hujus, quod Arcam ad locum conſtitutum perduxerit, ita nec Rex David. Præterea non arguitur poteſtas judiciaria in eo, qui transfert Euchariſtiam de loco viliori ad digniorem: ita nec in Davide transferente Arcam, quæ erat figura Euchariſtiæ.

Ad X. Davidem per præcedentiam declaraſſe ſuam inferioritatem coram Arca & Sacerdotibus in actibus Religionis: ergo Davidis gaudium non fuit ex ambitione poteſtatis judiciariæ, ſed magis in ſignum humilitatis & ſubjectionis in Divinis, ut eruitur expreſſe ex 2. Reg. c. 6. v. 22. *Et ludam, & vilior ſiam plus, quam factus ſum: & ero humilis in oculis meis.* Non ſolus David præcedebat, ſaltando, ſed etiam populus: imo etiam boves præceſſerunt Arcam Domini.

Ad XI. Ea omnia jam erant jure Divino diſpoſita & expreſſa: unde à Davide non potuerunt conſtitui. David ergo ſolum curavit promovere executionem. Et ſi etiam quid aliud muneris Aaronici feciſſet, illi fuiſſet permiſſum tanquam Prophetæ, non autem tanquam Regi.

Ad XII. Salomonem ædificaſſe templum: ædificavit & Centurio Judæis Synagogam: ædificaverunt & alii pii homines templa abſque eo, quod poteſtatem judiciariam in Eccleſia habuerint. Salomonem dedicaſſe templum Deo, id eſt, Deo mancipavit, & obtulit: atqui Deo & cultui ejus aliquid offerre non eſt ſignum poteſtatis judiciariæ: nam ut legitur Exod. c. 35 Iſraellitæ tam viri quam fæminæ de populo dedicarunt Deo

byſſum, purpuram, coceum, & pilos caprarum: dedicarunt & alii pii homines plura Deo, nec tamen eis conceditur judiciaria poteſtas. Salomon per Sacerdotes, adeoque mediate, obtulit ſacrificia: offerunt & fideles hoc modo talia, quin habeant judiciariam poteſtatem: ergo. Salomon proinde ſolum fuit executor operis præintenti à Patre ſuo Davide, qui ex præcepto Domini ei indicavit ædificationem templi, ut habetur 3. Reg. c. 18. Salomon depoſuit Abiathar ſummum Sacerdotem Sadoc ejus loco ſubrogato: an autem licite & bene fecerit? probandum eſt, cum à Catholicis defendatur injuſte factum: nec ex Scriptura aliter conſtat: fuit enim Iſraelitis ſemper perſvaſum, Reges nihil poſſe in Sacerdotes. Hinc cum Saul vellet occidere David & Sacerdotes pro ipſo ſtantes: & præcepiſſet hoc ſervis ſuis Hebræis, illi recuſaverunt, ut habetur 1. Reg. c. 22. *Noluerunt autem ſervi Regis extendere manus ſuas in Sacerdotes Domini.* Si vero ſervi credidiſſent Regem poſſe aliquid in Sacerdotes, æquo animo in illos irruiſſent ſicut in David, cum etiam ipſi nocentes apparerent ac David, cui patrocinabantur. Præterea data etiam juſta depoſitione Abiathar: Salomon non ex Regia, ſed prophetica poteſtate, & ex peculiari inſtinctu Dei id fecit. Nam id ipſum olim Heli ſummo Sacerdoti fuit prædictum à Deo per Samuelem, quod officium Sacerdotale propter impunitos à ſe filios aliquando auferetur à familia Heli 3. Reg. c. 2. v. 27. Ut ergo hæc Prophetia impleretur, Salomon novo conſtructo templo novum Sacerdotium prophetico Spiritu nominavit, & abſtulit divino motus inſtinctu ſummum Sacerdotium ab Abiathar, qui erat ex familia Heli. Tandem etiam Sacerdotes depoſuerunt Reges; Jojadas ſummus Sacerdos depoſuit Athaliam Reginam, eamque occidit, & Joas Regem in locum ejus ſubſtituit 4. Reg. c. 11. quidni potius inferatur, ſummum Sacerdotem poteſtatem habuiſſe ſuper Regem?

Dices

Dices 1. Spiritu prophetico Salomon deposuit Pontificem: ergo & id possunt alii Reges. ℞. Nathan tanquam subditus Davidis spiritu prophetico potestative redarguit Davidem Regem: ergo quilibet subditus potest auctoritative redarguere Regem. Quod dabitur pro responsione, erit pro solutione.

Dices 2. Salomon benedixit omnem Ecclesiam: ergo est ea superior, cum minor à majore benedicatur. ℞. Etiam populus benedixit Regem: ergo populus est major Rege? Ergo benedicere ibi sumitur pro gratias agere. Deinde Ecclesia, quam benedixit, est populi congregatio ab ipso facta præcisive à Sacerdotibus.

Ad XIII. Quod Josias, ne in iram Dei incideret, curaverit collapsam observantiam reparare, exequendo præscripta in libro: in quo alias partes non egit, nisi adjutrices manus præstando. Jam ad singula: ad 1. Josiam Regem librum non legisse: sed librum ab Helcia Pontifice transmissum coram Rege legit Saphan scriba templi: liber vero eo fine Regi fuit missus, ut eum promulgari faceret: cum Rex vi plus efficere possit, quam summus Sacerdos verbis: hinc Pontifex executionis libri sibi eum adjunxit socium, ut ita quod Helcias exequi vellet verbis juxta tenorem libri reperti, Rex exequeretur vi & auctoritate Regia ad id cogendo. Promulgari quidem Rex librum fecit, sed juxta mentem subinsinuatam Helciæ summi Sacerdotis: ex quo non potestas judiciaria, sed potius dependentia à Sacerdote, & subordinatio colligitur. Ad 2. Misit Sacerdotem consulere Prophetissam: quia consulere Dominum non erat sui officii, sed Sacerdotum & Prophetarum. Missio autem non fuit præceptiva, sed debiti convenientiæ, cum munus Pontificis esset Deum consulere. Ad 3. Congregavit populum, ut librum perlegeret, etenim ad hunc finem eum transmiserat Pontifex. Ad 4. Legit librum populo: sed ex hoc nulla colligitur potestas judiciaria: nam & ancillæ & stabularii legunt

 Biblia

Biblia coram aliis: quin eis competat talis poteſtas. Ad 5. Fœdus percuſſit cum Domino: hoc eſt, promiſit, cuſtodire mandata: nonne ad hoc tenebatur? nonne tenentur & omnes fideles? Ad 6. Adjuravit populum ad idem fœdus: nonne tenetur Rex procurare obſervantiam legis Dei in ſuis ſubditis? ſicut Paterfamilias in ſuis domeſticis. Ad 7. Præcepit Pontifici & Sacerdotibus ſecundi ordinis, ut vaſa ſacrata Baali auferrent. Cur ipſe Rex non fecit? quia ſui muneris non erat, ſed Sacerdotis: unde non fuit præceptum ſuperioris ad inferiorem: ſed commonitio, & remotio prohibentis: non poterant enim Sacerdotes antecedenter hoc facere obſtante potentia impie regnantium. Ad 8. Diſſipavit excelſa: hoc præceptum erat Domini, & ad ipſum ſpectabat manum dare, cum aliqua excelſa regia eſſent, alia favori Regum innixa. Ad 9. Occidit Sacerdotes excelſorum: ſed quos? Samariæ Idololatras: pepercit tamen veris, licet reis utpote Sacrificantibus in loco prohibito, ob excellentiam dignitatis: poterat tamen & hos obtruncare, quia lex certam ſtatuebat pænam huic delicto. Ad 10. Mandavit celebrari Paſcha: ſed jure merito: nam præceptum Domini diu fuerat intermiſſum: executionem procuravit, ſicut totius legis obſervantiam, ſed non ſine dependentia à Pontifice, qui ad hunc finem librum legis transmiſit Regi.

Ad XIV. Ex gloſſa ordinaria, ex ſententia, & doctrina Hebræorum Ezechias nullum horum egit ſine dependentia & conſilio Sacerdotum. Jam ad ſingula. Ezechias auctor fuit fœderis inter populum & Dominum, id eſt, curavit legis adimpletionem: quid inde? Fecit, quod debuit. Princeps enim non poteſt ferre leges Divinas, vel Eccleſiaſticas, ſi tamen videat illas inobſervatas, maxime cum hæreſi admixta, poteſt præcipere, & adimpletionem urgere, ultor eſt enim malorum. Ingreſſus eſt templum: pro omnibus patet ingreſſus templi, non pro ſolis Regibus. Confregit ſerpentem æneum præcepto Do-

mini

mini erectum, typum Christi ferentem. Quomodo hoc Regi licuit? Licuit, sicut cuilibet de populo juxta præceptum Deut. c. 7. v. 5. Cultus enim in superstitionem, & idololatriam transierat. Illud tamen falsum est, quod Sacrificia serpenti offerebantur, solæ enim incensationes fiebant. Etiam verum non est, hæc facta in memoriam beneficiorum, cum verior sit expositio S. P. August. lib. 10. de Civit. c. 8. adoratum non fuisse ut Deum. Paucis, Ezechias præstitit præcise adjutorium executionis, non definitionis, adimplendo præcepta Domini, ut expresse constat 2. Paralip. c. 29. v. 25. *Secundum dispositionem David Regis, & Gad videntis, & Nathan Prophetæ. Siquidem Domini præceptum fuit per manus Prophetarum.*

Ad XV. neg. min. Omnia fecit Ezechias dependenter à Sacerdotum consilio. Deinde ob defectum Sacerdotum sanctificatorum, quia videlicet Sacerdotes nondum sanctificati fuerant, admisit Levitas in adjutorium Sacerdotum. Pascha autem translatum est in secundum mensem propter causam à Scriptura 2. Paralipom. cap. 30. v. 3. *Insinuatam: quia Sacerdotes, qui possent sufficere, sanctificati non fuerant.* Porro lex ipsa præcipiebat, quod impediti propter immunditiam à celebratione Paschæ primo mense, celebrarent mense secundo: hic vero erat defectus Sacerdotum sanctificatorum, ac proinde casus legis. Quod vero induxerit populum ad voluntarias oblationes ob solemnitatem purificati templi, & inaugurationis Regni sui, actum supererogationis procurasse indicat, & nil aliud. Unde illatio Novatorum, quod nunc liceat tollere imagines exemplo Ezechiæ serpentem comminuentis, insana est: non enim cultus imaginum est superstitiosus, ut suo loco monstrabitur.

Ad XVI. In Scriptura nullam fieri mentionem, quod Jojadas fuerit pueri Regis procurator, sed solum, quod absconditum in templo puerum subtractum à gladio Athaliæ interficientis omne Semen Regium, reservaverit. Cæterum quæ fe-

cit, nempe Athaliæ occisionem præcipiendo, & Joas substituendo ac coronando in Regem, & adstringendo populum juramento fidelitatis, & Regem adjuratione obligando ad legis observantiam, &c. non exercuit authoritate Regia, quam nec habebat à jure, nec collatam à Rege, qui nondum Rex erat, sed exercuit potestate judiciaria Sacerdotali propria: ex quo potius Sacerdotum principalitas supra Reges habetur.

Ad XVII. Scripturam hos titulos enumeratos etiam aliis à Regibus tribuere. Nam 1. Omnes justi dicuntur *Filii Dei* 1. Joan. c. 3. *Qualem charitatem dedit nobis Pater, ut Filii Dei nominemur, & simus. Dii* vocantur Judices, quia ad hos Christus loquitur Joan. c. 10. v. 34. *Ego dixi dii estis.* Et patet etiam ex Exod. c. 22. v. 8. *Si latet fur, Dominus domus applicabitur ad Deos.* Etiam Prophetas Christus appellat Deos Joan. c. 10. v. 34. *Nonne scriptum est in lege vestra, quia ego dixi, Dii estis? Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est* &c. Etiam Sacerdotes dicuntur *uncti Domini*, ut patet ex Levit. c. 4. v. 3. & Exod. c. 29. Imo Reges unguntur à Sacerdotibus, & non vicissim. Reges inunguntur in brachio, Sacerdotes in capite, ad designandum, Potestatem Regis esse solius brachii auxiliatoris, Pontificis judiciariam potestatem & primatum habentis. Etiam Episcopi sedent in solio Dei: imo non Regibus sed Apostolis concessum est, quod sint concessuri cum Christo in Judicio Matth. c. 19. Episcopi, & omnes pii Christiani sunt *servi Dei*: ut habetur ad Rom. c. 6. v. 22. Etiam Sacerdotes sunt *Angeli Dei*, ut dicitur Malach. c. 2. v. 7. cum hac tamen differentia à Regibus, quod Sacerdotes vocentur Angeli, à quibus requirenda est lex, quod de Regibus non dicitur. Omnes, qui faciunt voluntatem Dei, sunt viri secundum cor Dei. Reges vocantur lucernæ Israelis 2. Reg. c. 21. v. 17. Sed Apostoli vocantur lux mundi Matth. c. 5. Episcopi vocantur stellæ Apoc. c. 1. at lux & stellæ præcellunt lucernas. Demum Reges vocan-

cantur nutritii Ecclesiæ Isaiæ c. 49. sed explicatur de divitiis, quas Ecclesiæ tradiderunt Reges ad fidem conversi. Jam quid ex his ad potestatem judiciariam in divinis pertinet?

Ad XVIII. Sensum Scripturæ esse, quod omnis homo, qui habet superiorem, teneatur illi obedire in iis, in quibus superior est: & quia, qui sunt membra alicujus Reipublicæ politicæ, superiorem habent, ideo in politicis ei obedire debent. Sed Scriptura nihil innuit de superioritate Regum in spiritualibus. Præterea argumentum in AA. retorqueri potest: Paulus loquitur de subjectione etiam Principibus Ethnicis exhibenda: sed Principes Ethnici, cum non sint membra Ecclesiæ, non habent potestatem judiciariam in Divinis: ergo nec alii Principes Laici: vel si hi eam habent, habebunt & illi.

Ad XIX. Etiam potestas Sultani & cæterorum barbarorum Principum est à Deo: ergo habent potestatem judiciariam Divinorum? Sensus ergo est, omnem potestatem in eo genere, in quo est, esse à Deo, non autem omnia, quæ à Deo sunt, subdi cuilibet potestati, quæ à Deo est. Cæterum AA. probare debent, Regiam potestatem à Deo esse circa divina, & ministeria Religionis.

Ad XX. Neg. min. Nec hic sensus est verborum Pauli: solum enim significant obediendum esse Regibus in politicis, non tantum propter timorem pænæ temporalis, sed etiam propter conscientiam, quæ læditur non obediendo, cum etiam leges civiles obligent, & Deus in iis præcipiat obedientiam. Unde absurda est interpretatio AA. qua deducitur subjectio directionis, judicationis, definitionis in spiritualibus apud Reges Laicos.

Ad XXI. Regem esse ministrum Dei in politicis: gladium portare, ut perturbatores pacis castiget. Et Potestas coactiva executionis non arguit potestatem judicationis: Potestas Regia & gladii est solius executionis in his, quæ pertinent ad Divina: brachium enim Sæculare in adjutorium deservit Ecclesiæ.

Ad

Ad XXII. Paulum ibi loqui de Principibus infidelibus, pro quibus orandum eſt, ut ad fidem convertantur, & eodem modo loquitur de omnibus, & propter idem motivum, quia Chriſtus pro omnibus eſt mortuus, quia Deus vult omnium ſalutem, & omnes ſalvare, ut ex toto contextu Pauli loc. cit. patet. Nec eſt in textu illud verbum, *præcipue pro Regibus*: quod in argumento interſeritur: immo oppoſitum habetur, cum primo loco enumeret populos, dum dicit *pro omnibus hominibus*, deinde *pro Regibus* &c.

Ad XXIII. Textum nil aliud intendere, niſi ut reddamus unicuique reſpective, quod debemus: temporalia Principi, Spiritualia Deo: uti Chriſtus ipſe declarat Matth. c. 22. *Reddite ergo, quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo.* Sicut ergo non valet, Chriſtiani ſub ditione turcica degentes tributum ſolvunt ſultano: ergo illum agnoſcunt Judicem in Divinis, & cauſis Religionis: ita non valet: fideles reddunt tributum Principi Laico: ergo illum agnoſcunt ut Judicem in cauſis Religionis. Pariter Honor debetur parentibus, timor Dominis, Ludimagiſtris: ergo parentes, Domini, Ludimagiſtri ſunt Judices cauſarum Religionis: quæ illatio ?

Ad XXIV. Mirabilem, & riſu exploſibilem eſſe concluſionem deductam: potius oppoſitum inferri debet: quia Chriſtus eſt Rex ſpiritualis, non adminiſtrat Regnum temporale: ergo quia Principes Laici ſunt Reges temporales, non debent adminiſtrare Regnum ſpirituale. Chriſtus ergo in cauſa temporali dixit: *quis me conſtituit Judicem ſuper vos?* Ergo Reges Laici dicere debent in cauſa ſpirituali: *quis nos conſtituit Judices ſuper vos?* Et ſic bona erit argumentatio.

Ad XXV. Chriſtum non reddidiſſe rationem ſuæ doctrinæ Herodi, quem potius contempſit, ſed miſit teſtes ſuorum operum, & miraculorum, ut eum ad ſanitatem reduceret. Nec Pilato, cui ex libera ſua diſpenſatione, ut impleret myſterium

cru-

crucis, se submisit in judicio, nec inter vincula desiit evangelizare, & veritatis testimonium perhibere. Immo hoc argumentum subdit ipsum Christum Regibus, quem tamen Paulus toties clamat esse caput Ecclesiæ.

Ad XXVI. Enarrata Concilia se non submisisse Carolo tanquam Judici Divinorum: sed Carolum ministeriales solum egisse partes in procuranda restauratione disciplinæ Ecclesiasticæ, & ideo quinque simul Concilia Provincialia per Romanum Pontificem convocari, & celebrari institit, in quibus tamen omnia per Sacerdotes disponi voluit, ut Rhegino ostendit ad annum 813. Cæterum tam Concilium Arelatense, quam Cætera Concilia specificata quia tangebant, & continebant plura decreta civilia Laicos afficientia v. g. quod Laici non ejiciant presbyteros à suis Ecclesiis: ut Laici non exigant munera à Presbyteris propter commendationem Ecclesiæ: ut Judices non accipiant munera pro Judicio: ut diebus Dominicis publica non fiant mercata &c. quæ principis auxilio indigebant, ideo ab Imperatore postulant Patres, ut sua prudentia emendet, si quid non bene fuerit dispositum. Decretum fidei contra Toletanum Concilium in Francofordiensi synodo cusum fuit ex dependentia Romani Pontificis, quem expresse consuluit.

Ad XXVII. Patres Concilij Chalcedonensis solum petysse ab Imperatore Marciano supplices adjutrices, & executrices, legibusque suis observantiam promoventes. Quæ vero ex C. P. Concilio sub Menna proferuntur, non urgent, nam Concilium illud non erat legitimum, quando illa facta sunt: donec post celebrationem accessit confirmatio sedis Apostolicæ. Præterea dicendum, quod Justinianus Novella 42. manus solum adjutrices habere in causis Ecclesiasticis fateatur: erat autem valde necessarium adjutorium brachy sæcularis, cum Hæretici suæ causæ fiderent innixi patrocinio curialium personarum. Et Menna ipse apud Romanum Pontificem in causis Ecclesiasticis

tribunal ſupremum admittit; unde addit: *Nos enim (ſicut ſcit Charitas Veſtra) Apoſtolicam ſedem ſequimur, & ei obedimus.*

Ad XXVIII. Neg. min. Non enim agnoſcunt Patres jus penes Imperatorem, ſed petunt præciſe adjutorium miniſteriale, eo quod diſciplina Eccleſiaſtica ſuum non habebat vigorem defectu appretiationis legum Eccleſiaſticarum, quas diſſoluti parvi faciunt, ſæpe ſæpius confiſi ſæcularium auxilio.

Ad XXIX. Reccaredum, quæ deliberaverat, ſubjeciſſe examini Conciliari, ut loc. cit. dicitur. Item can. 2. Quare nec robur habuit Decretum, nec rationem Decreti Rex juſſit habere, niſi firmatum aſſenſu & ſubſcriptione Patrum. Verum quidem eſt, ſuo Civili ſtatuto actis Concilii dediſſe munimen, & in unum colligi curâſſe; ſed hæc miniſteriale, & executionis officium includunt; quale & Gundemanus exercuit promovendo legem innocentiæ, & Religionis.

Ad XXX. Ea peragere miniſterialiter è munere Principis eſſe, non vero definitive, & legislative; & ideo quia fraudibus Hæreticorum voluit errorem ſuo decreto corroborare Conſtans Imperator, lapſus eſt in Hæreſim: & ipſe & illa decreta damnata ſunt à Martino I. in Concilio Romano, & Numidienſi, & Bizaceno, & quia in typo edendo exceſſit terminos ſuæ poteſtatis: *Imperialem typum ſacrilego auſu totius plenum perfidiæ* vocat Martinus in Epiſtola ad Amandum. Patres Concilii ipſi dogmata definierunt, & ut definita executioni mandarentur, præſidium ſæculare implorarunt maxime tunc neceſſarium, cum totum robur Hæreticorum in aulica potentia conſiſteret.

Ad XXXI. Ariſtotelem optime diſcurrere in ordine Civili, de quo agit. Vis coactiva, quæ Regibus conceditur in cauſis Religionis, eſt defenſionis, & ſupponit judicium prius Sacerdotale exercitum: hoc enim proprium eſt defenſionis, ſupponere rem defendendam. Epiſcopis negatur dominatio deſpotica, & gentilitia, non autem ſuperioritatis, & auctoritativæ directionis cum benignitate conjunctæ.

Ad

Ad XXXII. Ejusmodi leges non fuisse nova decreta ab ipsis condita, sed intimationes canonum jam ab Episcopis conditorum: potestas enim Regia Ecclesiasticam adjuvare potest, & debet. Justinianus quidem aliquid ultra præsumpsit: sed hoc singulare exemplum fuit ab Ecclesia reprobatum; & edictum, quod consultis & approbantibus aliquot Episcopis contra errores Origenis promulgavit, non habuit vim nisi per consensum Ecclesiæ, seu summi Pontificis, & Episcoporum.

Ad XXXIII. Ad 1. Marcianum & Pulcheriam non præsedisse ut fidei Judices, sed dumtaxat ut Concilii Protectores, & ordinis ac pacis conservatores. Ad 2. In multis actionibus sexti Concilii quidem dici: *Præsidente piissimo Imperatore Constantino:* sed hæc verba solum significare Constantinum in loco honorificentissimo sedisse ut Ecclesiæ & Concilii defensorem, non vero ut controversiarum fidei judicem. Unde & Imperator post omnes Episcopos subscripsit non ut definiens, sed ut consentiens: dum Episcopi se subscripserunt his verbis: *N. Episcopus - - - definiens subscripsi.* Imperator vero hac formula: *Constantinus in Christo Deo Rex atque Imperator Romanorum legimus, & consensimus.* Ad 3. Cum in Concilio Nicæno II. de Irene Imperatrice dicitur: *Præsidente ipsa cum simul regnante Filio, & universa synodo* &c. ibi verbum *præsidere* significat tantum sessionem honorariam: & tota synodus non præsidet, sed legati Papæ. Ad 4. In Concilio octavo Generali dicitur quidem *Præsidente Basilio Imperatore*: at præsedit non auctoritate, sed solo sessionis honore, quem ipsi detulit Concilium ut Ecclesiæ Protectori, & ejus Decretorum Executori, non ut controversiarum fidei, aut causarum Ecclesiasticarum Judici.

Ad XXXIV. Neg. conseq. Quia Deo libere volente Regia & Sacerdotalis potestas simul junctæ erant in lege naturæ: sed postea Deus voluit eas in lege scripta & Evangelica esse separatas. Ex his pro solvendis aliis AA. objectionibus

Colliges 1. Aliud esse, Principes ferre leges Ecclesiasticas, & judicia Religionis exercere: aliud Ecclesiasticos subjici legibus civilibus ad bonum publicum pertinentibus: primum negatur; secundum admittitur, non quidem quia à Principibus sæcularibus habentibus superioritatem in clerum, sed quia lex Dei præcipit servandam esse justitiam. Et in hoc, non primo sensu interpretandi sunt SS. Patres.

Colliges 2. Ex singulari facto unius alteriusve Principis Laici usurpantis potestatem circa Divina, legitimam potestatem judiciariam Divinorum non probari. Cum plures sunt contrarii.

§. IV.

Dico 4. Christus constituit Caput visibile Ecclesiæ, & Judicem Controversiarum fidei in determinata persona: adeoque non in omnibus Ecclesiæ Pastoribus, aut majore eorum parte.

Novatores ut suam quisque fidem ad suum placitum fabricatam suis obtrudant sequacibus, omnem lapidem movent contra supremum Christi in terris Vicarium Romanum Pontificem, ei dignitatem capitis & Judicis Controversiarum fidei denegando. Quia tamen optime noscunt, Regimen Ecclesiæ, utpote ordinatissimum à Christo institutum, exigere aliquem gubernatorem, ne Romanum Pontificem talem agnoscere cogantur, in varias abiere sententias.

Calvinus Lib. 4. Inst. c. 6. docet: Solum & unicum Christum Judicem & Caput Ecclesiæ esse, qui sine ullo alio in terris Vicario, aut successore munus regendæ Ecclesiæ sustinet.

Lutheri asseclæ admittunt quidem Judicem, & Caput Ecclesiæ visibile in terris, verum illud in uno determinato Vica-

rio

rio Christi docent non consistere, sed vel in omnibus Ecclesiæ Præpositis, aut saltem parte eorum potiore verbum Dei purum profitentium, & Sacramentorum legitimo usu utentium. Contra hos est statuta conclusio Catholica.

Ante probam Notandum 1. Certum esse tum apud Catholicos, tum accatholicos, Caput Ecclesiæ essentiale, primarium, & invisibile esse solum Christum: ut satis clare testantur sacræ paginæ: ait enim Apost. ad Ephes. c. 1. v. 22. *Et ipsum dedit Caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ejus.* Item c. 5. v. 23. *Vir Caput est mulieris, sicut Christus est Caput Ecclesiæ.*

Notandum 2. Certum etiam esse, Christum Dominum, dum in terris degeret, Caput Ecclesiæ visibile fuisse: fundavit enim Ecclesiam, duodecim Apostolos & septuaginta Discipulos Ecclesiæ Ministros instituit, sub visibilibus signis condidit Sacramenta, novum Sacerdotium, novum sacrificium, novas leges instituit: visibiliter Ecclesiam gubernavit docendo, prædicando, monendo, increpando: ut palam testantur Evangelistæ.

Notandum 3. Certum etiam esse, Christum post Ascensionem suam in cælum, Capitis obtinere dignitatem Ecclesiam suam invisibiliter gubernantis, corda fidelium movendo, Pastorum mentes illuminando, atque fidelibus suis internas gratias conferendo, ut de se ipso Christus testatur Matth. c. 28. v. 20. *Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.*

Notandum 4. Jam Paragrapho primo, & secundo probatum fuisse: Ecclesiam Christi esse visibilem, atque adeo Christum Ecclesiam suam invisibiliter gubernantem, aliud in Ecclesia Caput visibile, & Judicem sibi subordinatum constituisse, sui loco visibiliter, ut regat fideles, & gubernet: in præsenti ergo paragrapho ostendimus, Christum tale Caput visibile, & Judicem in determinata constituisse persona: qualis tamen hæc sit? in sequenti ostendemus paragrapho. Jam ergo

Probatur Conclusio 1. Juxta Calvini effatum lib. 4. Instit. c. 6. §. 10. Alius Ecclesiæ typus quærendus non est, nisi in Scriptura, Evangelio, & Apostolorum epistolis: atqui in Scriptura, in Evangelio, & Apostolorum Epistolis palam constat, supremum Ecclesiæ Regimen in uno esse constitutum: ergo. min. prob. Synagoga erat typus Ecclesiæ Christi: nam ut ait Apostolus 1. ad Corinth. c. 10. v. 11. *Hæc autem omnia in figura contingebant illis.* Atqui in Synagoga supremum regimen penes unam determinatam personam erat: nempe Pontificem: nam Deut. cap. 17. v. 12. apud Judaicam gentem unus tantummodo erat lege Divina Sacerdos, quem omnes revereri, eidemque obtemperare debebant: ergo pariter in Ecclesia una determinata persona tanquam suprema est designanda, quæ aliis præficiatur, ipsique obsequantur fideles.

Confirmatur 1. Ideo juxta Calvinum lib. 4. Instit. c. 6. §. 2. gens Judaica undique ab idololatris circumsepta unum supremum Principem, qui eam in unitate servaret, habere debuit, ne variis distraheretur Religionibus: atqui Christi fideles quaquaversum Sectis aberrantium circumdati sunt: ergo multo magis uno supremo capite petunt gubernari, ne decipiantur.

Confirmatur 2. Apoc. c. 21. v. 2. Ecclesia assimilatur Sponsæ: *Vidi Sanctam Civitatem Jerusalem novam, descendentem de cælo à Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo.* Et ad Ephes. c. 5. v. 32. *Hoc Sacramentum magnum est: ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.* Atqui Sponsa unum solum habet virum, ut dicitur 2. ad Corinth. c. 11. v. 2. *Despondi enim vos uni viro Virginem castam exhibere Christo:* quod si pluribus sui copiam faciat, adultera merito censetur: ergo Ecclesia ab una determinata persona regitur, & adulteram faciunt, qui pluribus eam viris regendam commendant. Pariter 1. ad Timoth. c. 3 v. 15. Ecclesia Domui comparatur: *ut scias, quomodo oporteat in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi:* atqui domui

unus

unus præponitur œconomus: Luc. 12. v. 42. *Quis putas, est fidelis dispensator & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam?* ergo etiam Ecclesia unum solum debet habere Rectorem.

Probatur Conclusio 2. Quælibet pars Ecclesiæ Universalis ab uno determinato regitur, cui omnes in ea parte contenti subjiciuntur: ergo etiam ipsa tota Ecclesia Universalis ab uno determinato dirigi debet. ant. docet Calvinus lib. 4. Instit. c. 4. §. 4. sequentia scribens: *Quod autem singulæ Provinciæ habeant inter Episcopos Archi-Episcopum, quod item in Nicæna Synodo constituti sint Patriarchæ, qui essent ordine & dignitate Archi-Episcopis superiores, id ad disciplinæ conservationem pertinebat.* Et c. 6. §. 6. *Quid aliud evincent, quam singulis Ecclesiis debere suos Episcopos attribui.* Atqui sicut una Provincia, aut particularis Ecclesia nequit recte gubernari, nisi Archi-Episcopus præcellat Episcopis, Episcopus Parochis, & Parochi Clericis præsint, ita universa Dei Ecclesia recte non potest dirigi, nisi unus determinatus præsit Primatibus, Archi-Episcopis, Episcopis, Parochis &c. Et sicut non servatur disciplina in singulis Ecclesiis & Provinciis, nisi unus adsit supremus: quia non foret, qui judicaret, qui singulos in suo munere contineret, atque ad illud exequendum cogeret; ita nisi quis toti præsit Ecclesiæ, non esset, qui Primates, Archi-Episcopos, Episcopos judicaret, atque eos ad sua adimplenda munia impelleret: Ergo.

Si dicant Novatores: quod dicta præeminentia sit solius honoris, non vero potestatis judiciariæ.

Contra est 1. Dicant Adversarii, si dicta præminentia sit solius honoris, quas suppetias affert disciplinæ Ecclesiasticæ, si æqualis omnibus sit potestas judiciaria? Sic enim Episcopo resistet Parochus, Episcopus Archi-Episcopo, & hic Primati quomodo taliter subsistet disciplina Ecclesiastica? Ergo frivola & inanis est responsio Novatorum.

Con-

Contra 2. Si dicta præeminentia est solius honoris & dignitatis, non vero potestatis Judiciariæ, quare Apostolus Episcopum Presbyterorum judicem nuncupat? ut habetur 1. ad Timoth. c. 5. v. 19. *Adversus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus.* Cur Concilium Carthaginense III. c. 45. Concedit primati, ut Clericos cujuscunque Diæcesis valeat ad Episcopatum assumere proprio renuente Præsule, si nullum est in potestate judiciaria discrimen? ergo dicta præeminentia non est solius honoris & dignitatis, sed simul potestatis judiciariæ.

Probatur Conclusio 3. Nequit servari Ecclesiæ unitas, nisi in fide sentiant idem omnes: atqui talis sentiendi unitas nequit dari, nisi determinata persona sit Judex unus, cui alii obsequantur: ergo. min. constat: nam fieri nequaquam potest, in obscuris & difficilioribus quæstionibus plures potestate pares, ingenio dispares in unum convenire, nisi quis determinatus potestate præcellat, atque suo imperio justa decernat: ergo.

Res clarescet exemplo, quidquid in oppositum oblatrent Novatores: cur à septennio Lutheranæ defectionis Zwingliani & Sacramentarii emerserunt? Cur Rigidi & Molles Lutherani adeo obstinate invicem pugnant, & frustra disputationibus franguntur? Cur in dies Calvinus dividitur, atque in contrarias sectas discerpitur? si ut ajunt Magdeburgenses, Consiliis, atque Epistolis exoptata unitas conciliari potest, cur à tot annis ista unitas adhuc desideratur? Atqui unde hæc? Inde: quia unus deest, qui cæteris præsit, quique eos Imperio regat. Ergo. Unice mirandum, Novatores in unum convenire adversus Romanam Ecclesiam Catholicam, & Pontificem: inter se autem minimè, sed adeo inter se digladiari, ut ne generale quidem Concilium celebraverint, ubi tamen Apostolica sedes tot solemnia habuit. Smalkaldicam forsan, & Dordrecensem synodum allegabunt: ast hæ particulares fuerunt: nam prima à Lutheranis, altera à Calvinianis fuit congregata. Hanc

Hanc primam veritatis regulam (quod videlicet unus debeat esse determinate, qui cæteris omnibus potestative præsit ut Judex) apprime necessariam agnoverunt ipsimet etiam Hæretici: eapropter ut suos errores absque falsitatis nota evulgarent, ad Romanum Pontificem appellabant. Sic *Pelagius* & *Cælestius* ab Africanis damnati ad Innocentium I. & ad Zosimum Pontifices venerunt. Sic *Julianum* ad Bonifacium, *Nestorium* ad Cælestinum, *Eutychetem* ad Leonem Magnum, *Sergium* ad Honorium legimus accessisse: ergo in comperto est, ad servandam fidei & Ecclesiæ unitatem unum determinatum requiri, à quo cæteri regantur, & dirigantur.

OBJECTIONES.

OBijcies I. Eodem modo loquendum est de statu novæ, ac veteris legis: atqui in statu veteris legis non erat Caput & Judex in determinata persona omnium fidelium constitutus: ergo neque in statu novæ legis. min. prob. Judæorum Pontifex solummodo jus suum dicebat Hebraicæ genti, non vero Gentilibus Deo famulantibus, quos inter Job recensetur: hi enim Sacramentis legis naturæ salvabantur, deque fidei rebus à Prophetis instruebantur, inter quos nullus erat prælationis potestativæ ordo: ergo etiam in nova lege per universum terrarum orbem diffusa non est Christi fidelibus unus determinate præficiendus, sed plures æqualis potestatis.

II. In lege gratiæ sicut nullus salvari potest absque fide Mediatoris, qui inter Deum & homines reconciliationis fœdus suo sanquine firmavit, ita in veteri lege nullus sive inter Gentiles, sive inter Hebræos absque fide futuri Mediatoris salvari potuit; atqui non obstante unitate fidei futuri Mediatoris non erat unus supremus Judex & Caput Hebræorum & Gentilium: ergo etiam non obstante unitate fidei Mediatoris præsentis non

erit unus supremus determinate Judex & caput fidelium per universum orbem commorantium.

III. Modus regiminis Ecclesiæ sub una fide conformari debet modo Regiminis sub ejusdem proximo typo, nempe Synagogæ Hebræorum; atqui non una determinata persona in Synagoga præfuit: ergo. min. prob. Tempore David Regis Sadoc & Abiathar erant summi Sacerdotes: Sadoc, quia ex Aaron per familiam Eleazar descendebat 1. Paralip. cap. 24. Abiathar, quia ab eodem Aaron, sed per familiam Ithamar descendebat, hicque usque ad Salomonem sacrorum fuit caput. Ergo.

IV. Per se, & ex Divino mandato plures constituti sunt supremam habentes auctoritatem in Judaismo: sic Moysi dedit Dominus pares septuaginta in regimine, ut habetur Num. c. 11. v. 17. *Tradamque eis, ut sustentent tecum onus populi, & non tu solus graveris.* Item Exod. c. 28. v. 1. *Applica quoque ad te Aaronem fratrem tuum cum filiis suis de medio filiorum Israel, ut Sacerdotio fungantur mihi.* Pariter Machabæorum temporibus septem fratres Israeliticæ gentis Ductores fuere. Ergo.

V. Nequit dici, quod Christus genus Regiminis in Ecclesia constituerit, quod Deo in Hebraismo displicuit: atqui Monarchicum regnum Deo in Hebraismo displicuit; cum 1. Reg. c. 8. Israelitis, abjecto Judicum regimine, Regem exposcentibus iratus est Deus, pluraque comminatus est mala; ergo.

VI. Scriptura satis innuit iratum Deum Israelitis, quia Monarchicum Principatum utpote pessimum in tyrannidem degenerantem expetierant; hinc ad Samuelem dixit 1. Reg. c. 8. v. 9. & seq. *Veruntamen contestare eos, & prædic eis jus Regis, qui regnaturus est super eos - - - Filios vestros tollet, & ponet in curribus suis - - - Agros quoque vestros* &c. Rem probavit eventus sive in Saule, sive in Roboam, sive in Jeroboam, sive in Achabo, aliisque iniquissimis Regibus. Ergo.

VII.

VII. In Monarchico regimine, ubi unus gubernat, graviora sunt onera, quam ubi plures gubernant; dum enim unus gubernat, sibi consulit, alios spernit, & gravat oneribus; secus evenit in Regimine Aristocratico, sive Democratico: qui enim populos regunt, sedulo subditorum felicitati incumbunt, ne à suscepto munere amoveantur. Scimus summa laude Romanorum, Atheniensium, Lacedemonum floruisse Respublicas: ergo asseverare audendum non est, Christum relicto optimo pejorem Ecclesiæ suæ dedisse Principatum.

VIII. Non expedit, imo non potest orbis Universus ab uno determinato Principe regi in politicis: singula namque Regna habent suos Principes: ergo nec in spiritualibus. Unde Protestantes in Confess. Bezana c. 5. a 5. dicunt: *Deum solum esse, qui huic oneri sustinendo par esse possit.* Et in Apologia Ecclesiæ Anglicanæ inquiunt: *neminem unum esse posse, qui summæ rerum universæ præsit.*

IX. Apost. Ad Ephes. c. 4. v. 3. unitatem, quæ esse in Ecclesia debet, recensens scribit: *Soliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis; unum Corpus, & unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ; unus Dominus, una fides, unum baptisma.* Atqui si Ecclesia foret Monarchica, indubie addidisset, *unus summus Pontifex:* ergo cum hoc non fecerit, signum est, Ecclesiam non esse Monarchicam: ergo.

X. Ecclesiæ regimen est Democraticum: ergo non est Monarchicum: ergo Christus non constituit caput & Judicem Ecclesiæ in determinata persona. Ant. prob. Regimen Democraticum est, ubi suprema potestas est penes populum: atqui in Ecclesia suprema potestas est penes populum, seu multitudinem: ergo. min. prob. Matth. c. 18. v. 17. Incorrigibilis jubetur denuntiari Ecclesiæ, id est, (inquiunt ibi SS. Hilarius, Anselmus, & D. Thomas, ac. L. 4. Epist. 38. D. Gregorius)

congregationi fidelium: ergo ſuprema Eccleſiæ poteſtas eſt penes multitudinem, ſeu univerſum fidelium cætum: ergo.

XI. Populus in Apoſtolum elegit Mathiam, uti legere eſt Actor. c. 1. v. 15. & 26. Ergo ſuprema poteſtas eſt penes populum.

XII. S. Cyprianus Epiſt. 2. dicit: quod olim Epiſcopi electi fuerint à populo: ergo verum eſt, ſupremam poteſtatem eſſe penes populum.

XIII. Actor. c. 6. v. 3. Apoſtoli ad populum dixerunt: *Conſiderate fratres viros ex vobis boni teſtimonii, quos conſtituamus ſuper hoc opus:* ergo penes populum eſt poteſtas ſibi creandi Judices.

XIV. S. Ambroſius Epiſt. 32. de judicio fidei agens, ſcribit: *ille populus judicat.* Et S. Cyprianus L. 3. Epiſt. 14. ad Presbyteros & Diaconos de quibusdam fratribus inquietis & factioſis ſcribit. *Interim prohibebantur offerre, & tueri & apud nos, & apud plebem univerſam cauſam ſuam.* Per quæ verba *apud plebem univerſam* docere videtur, appellationes & judicia devolvi ad plebem: ergo.

XV. Septem ſunt Spiritus, qui throno Dei aſſiſtunt, duo majora luminaria, plures cæleſtes orbes, totidemque motrices intelligentiæ: ergo plures etiam in Eccleſia Dei debent ſupremi eſſe Rectores.

XVI. Scriptura formam Eccleſiaſtici Regiminis ſatis innuit ad Epheſ. 4. c. Atqui ibidem non ponitur unus, qui alios regat, ſed plures, nempe Apoſtoli in æquali ordine conſtituti referuntur: *Et ipſe dedit quosdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios vero Evangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores:* ergo uni determinatæ perſonæ non ſubordinantur.

XVII. Paulus eo in ordine conſtituit Apoſtolos, ut quilibet ſuperiorem non patiatur: unde 1. ad Corinth. c. 12. v. 28. ait: *Et quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia, primum Apoſtolos,*

ſecundo

ſecundo Prophetas : hoc in loco dixit *primùm* ſed ſi uni determinate ſupremo ſubordinarentur capiti, non dicerentur *primùm* in Eccleſia poſiti : ergo.

XVIII. Eſto S. Paulus in jam laudatis Epiſtolis varia donorum munia collata referat: nulli tamen membro myſtici corporis plenitudinem, qua Chriſtus præeminebat, communicatam dicit: imo omnia ad menſuram diſtributa affirmat ad Epheſ. c. 4. v. 7. *Unicuique autem noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti*: atqui ad rationem ſupremi capitis requiritur plenitudo perfectionis Chriſti; ergo.

SOLUTIONES.

℟. AD I. Eccleſiam ſub triplici ſtatu ſpectari: *Naturæ* videlicet ab Adam bis mille circiter annis ad Abraham uſque : *legis ſcriptæ* & circumciſionis bis mille annis circiter ab Abraham ad Chriſtum ducem. *Gratiæ* demum à Chriſto ad finem mundi uſque. In primo alterove ex his ſtatibus, ne ab unitate deficeret, dati ſunt primarii Duces ; in primo *Adam*, *Seth*, *Henoch*, *Noe*, *Melchiſedech*. In ſecundo *Abraham*, *Iſaac*, *Jacob*, *Levi* ejusdemque Succeſſores : ergo & in tertio deſignandi ſunt ſupremi Sacerdotes à Chriſto usque ad conſummationem ſæculi ſucceſſive regnantes. Quoniam vero ſtatus illi ab omnimoda fidei perfectione deficiebant, nempe primi duo, utpote ad ſtatum gratiæ ut pædagogi ordinati, ideo eadem unitatis excellentia, qua Eccleſia Chriſti gaudet in tertio ſtatu, non præeminebant. Hinc etſi Iſraeliticam gentem ſibi in populum electum adoptaverit Deus, non abrogavit tamen etiam ipſos inter Hebræos omnimode ſacramenta legis naturæ : eapropter pro fæminis ad expiandam originalem noxam, & pro parvulis ante octavum diem remedium legis naturæ in ſalutem præſto erat : quare pro iis, qui inter gentiles vitam agentes juxta legis naturæ præſcripta vivebant, ſalutis aditus non erat interclusus: & licet Aaronicum regimen ad ipſos non ſe extenderet,

 ex

ex ſpeciali providentia regebantur per Prophetas. Lex autem Chriſti undequaque perfecta eſt, ut notat Apoſt. ad Hebræ. c. 7. tantaque in ea eſt unitatis ratio, ut abrogata lege circumciſionis una quaquaverſum prorſus ſit, adeoque idem caput ad omnes ſe extendit, ſicut Chriſtus Sacerdos.

Ad II Absque dubio nec Hebræum nec gentilem absque fide futuri Mediatoris ſalvari potuiſſe: attamen hujus fidei ſtatus non erat omnino unus: etenim non alligabatur iisdem ſacramentis, & iisdem notionibus: fideles ſiquidem verſantes apud gentiles non iis coarctabantur legibus & ſacramentis Hebræorum, nec claram adeo notitiam futuræ redemptionis habebant ſicut Iſraelitæ, qui utpote aſſumpti in typum Chriſti fidelium proximius, perfectiusque unitatem referre debebant. Mediatoris autem Fideles omnes nunc eisdem legibus & ſacramentis alligantur, utpote omnibus fides tam Hebræis quam gentibus ubique prædicata, per conſequens uno eodemque capite ubique diriguntur.

Ad III. Per accidens, nempe ob juris ignorantiam, contigiſſe Synagogæ illam ſupremorum Sacerdotum pluralitatem. Ad cujus intelligentiam ſciendum eſt, ex Aaron duplicem deſcendiſſe familiam, unam per Eleazar, alteram per Ithamar. Illa primum habuit Sacerdotium ad tempora usque Samſonis, quibus ob ineptitudinem filiorum Eleazar ceſſavit, & ad familiam Ithamar ſeu Levi usque ad Abimelech translatum eſt: cumque hunc Saul in odium David mactaſſet, Abiathar ejus filius ad David acceſſit petens Patris Sacerdotium, annuit Rex, eique Sacerdotium contulit. Sadoc econtra apud Saulem Sacerdotium petiit, etenim extinctis Sacerdotibus Heli ad familiam Eleazar Pontificatum rediiſſe affirmabat: & ipſi Saul conſenſit. Unde duo ſub probabili jure utriusque partis regnabant; hocque in cauſa fuit, cur ſedente ſuper thronum Iſrael loco Saulis Propheta David uterque Sacerdotis munere fungeretur.

retur. Innotuit tamen ſpeciali Numinis revelatione jus ad Sadoc pertinere 1. Paralip. c. 29. quem depoſito Abiathar ſuper ſedem firmavit Salomon. Nec aliter ſane poterat evenire: promiſerat namque Deus Phinees filio Eleazari perpetuum in ejusdem Domo Sacerdotium. Ergo ex hoc nil aliud colligitur, niſi quandoque contingere poſſe propter juris ignorantiam pluralitatem capitis, ut vidit Eccleſia ſub Concilio Conſtantienſi, quando Romani Pontificis nomen ferebant Gregorius XII. Benedictus XIII. & Joannes XXIII.

Ad IV. Septuaginta non fuiſſe Moyſi æquales, ſed ejuſdem Miniſtros, & pro levioribus tantum cauſis: majores ſiquidem immediate ad Moyſen referebantur, ut habetur Exod. c. 18. v. 16. *Quidquid autem gravius erat, referebant ad eum, leviora tantummodo judicantes.* Ita etiam Pontifex plures Epiſcopos & Paſtores habet veritatem ab eo definitam populos edocentes. Nec Aaron par fuit Moyſi, nec Aaron cum filiis ſuis: Sacerdotalem quidem deſignavit Dominus Aaronis ſtirpem: cæterum ſolus Aaron Sacerdotalibus indutus fuit veſtibus, ſolusque, dum vixit, ſacrificia obtulit; quo defuncto, veſtibusque ſpoliato iisdem Moyſes Eleazarum Aaronis filium induit, ut legitur Num. c. 20. v. 28. Ex quo clareſcit, uno obeunte in Eccleſia capite aliud ſubrogandum eſſe, ut figuræ reſpondeat figuratum: Chriſti figura fuit Moyſes, Aaron ſummi Pontificis. Pariter Filii Machabæorum ſeptem quidem fuerunt, ſed unus poſt alium regnavit, ut ſacra teſtatur Hiſtoria.

Ad V. Concedendo, Deo diſplicuiſſe, quod Israelitæ petierint Regem talem, qui quaſi à Deo independens, more nationum ſeu gentilium regeret populum Israeliticum, ut innuit cit. cap. v. 5. petierunt Regem ſicut *univerſæ habent nationes* ſeu gentes. Negando vero Deo diſplicuiſſe, quod Israelitæ abſolute petierint Regem.

Ad

Ad VI. Deum Israelitis iratum non ideo, quia absolute Monarchicum Principatum expetierant, sed quia absolutum Dominium exoptabant, ne ad Dei nutum regi deberent, & ideo dixit Deus Samueli 1. Reg. c. 8. v. 7. *Non te abjecerunt, sed me.* Iratus itaque fuit Deus propter hujus gentis superbiam, quæ, quomodo punienda foret per subsequos Reges, eis per Samuelem prædixit. Hinc facile conceditur Monarchiam quandoque in tyranidem degenerasse, verum hoc hominum non Principatus vitio vertendum est. Etiam perperam adstruitur, graviora esse onera, ubi unus, quam ubi plures regnant; nam in Aristocratico, & Democratico regimine persæpe privata potius quam publica inspiciuntur jura, & gravamina primatibus impune spectantibus inter subditos dividuntur. Laudabiles proinde sunt Respublicæ, Monarchico Imperio tamen juste & recte administrato nequaqum prævalent.

Ad VII. Responsionem patere ex mox antecedenter dictis.

Ad VIII. Trans. ant. neg. conseq. Disp. est: quia ad Ecclesiæ conservationem necesse est, ut circa res fidei omnes idem sentiant, easdem habeant leges, iisdem utantur Sacramentis &c. ergo necesse est, ut Ecclesia in spiritualibus ab uno regatur Principe. Econtra ad statum politicum totius orbis conservandum non est necesse, ut omnes mundi partes utantur iisdem legibus, ritibus, moribus &c. ergo necesse non est, ut orbis universus in politicis ab uno Principe regatur: diversæ siquidem nationes cum sint, diversa & sunt politiæ genera, adeoque & diversitas Principum.

Ad IX. S. Paulum ibidem eam unitatem recensere, quæ apprime deservire valet, ut charitatem, & pacem ad invicem fideles habeant: ad hanc autem ea potissimum spectant, quæ communia sunt: & quamvis explicite unius Capitis non meminerit, implicite tamen satis innuit: si enim unum corpus nuncupatur

cupatur Ecclesia, certo uno Capite insigniri debet. Et sane Calvinus incongrue omnino unitati Capitis refragatur: si enim fides una, unum baptisma, una spes, unus spiritus, corpus itidem unum, cur multiplex fingit Caput? etiam Spiritus S. in Scriptura non dicitur Deus unus cum Patre & Filio explicite: ergo non est Deus.

Ad X. Neg. ant. ad prob. neg. min. ad ejus prob. conc. ant. neg. conseq. Nam ea ipsa denuntiatio fit Ecclesiæ, si fiat illi, qui cum suprema judiciaria potestate præest Ecclesiæ, ac ratione officii sui Ecclesiam ipsam repræsentat. Unde S. Chrisost. Epist. 61. Teophilactus, Evthymius, Hugo Card. Cajetanus, Sylveria & alii illud *Dic Ecclesiæ* explicantes, nomine Ecclesiæ intelligunt Pastores & Gubernatores Ecclesiæ; ut patet ex verbis Christi Matth. c. 18. *Subjectis: quæcunque alligaveritis super terram* &c. quasi diceret, inquit Sylveria tom. 4. in Evang. l. 6. c. 11. exposit. 3. *Dic Ecclesiæ, illius nempe Præsidi, apud quem est auctoritas ligandi pœnis & censuris ejusmodi contumacem.* Nec aliud volunt SS. Hilarius, Gregorius &c. Nam dicere toti Ecclesiæ per orbem diffusæ non potest facile fieri: ergo dicendum est Ecclesiæ Præposito, seu ejus Ministris.

Ad XI. Neg. conseq. Nam ex illo jure, quod populus, olim in electione Ministrorum Ecclesiæ habuit, non sequitur, potestatem Ecclesiasticam olim extitisse apud populum, & fuisse popularem: nam populus non creavit, aut ordinavit illos Ecclesiæ Ministros, sed solum nominavit, & designavit eos viros, quos desiderabat ordinari ab Episcopis per manuum impositionem. Et sic Mathias, qui à Deo potius, quam à populo electus fuit, ab Apostolis ordinatus est Episcopus.

Ad XII. Neg. conseq. Sicut enim ex eo, quod hodie Cardinales eligant summum Pontificem, & Cathedralis Ecclesiæ Canonici Episcopum, non sequitur, supremam potestatem aut regimen esse penes Cardinales & Canonicos, vel dari ab his: ita pariter.

Ad XIII. Neg. conseq. quia ex cit. textu plus non sequitur, quam quod Apostoli permisierint populo, ut boni testimonii, seu probitatis fidei, scientiæ, ac prudentiæ viros quærat, & offerat, qui creentur ab Apostolis. Deinde ex eo, quod populus sibi possit creare Magistratum, non sequitur, regimen Ecclesiæ esse Democraticum, aut supremam potestatem esse popularem: nam primi Reges à populo, & Imperatores apud Romanos olim à militibus creabantur; atque nunc Romanorum Imperator ab Electoribus Imperii creatur; & tamen Regum ac Imperatorum regimen olim non erat nec hodie est Democraticum? ad hoc enim requireretur, quod major authoritas esset in populo quam in Principe, & quod à Principis sententia posset provocari ad tribunal populare: quod nec in Imperio Romano, neque in Ecclesia Romana fit.

Ad XIV. S. Ambrosium loque de privato judicio, quo quilibet, quid sequi debeat, decernit, non autem de judicio publico authoritatem cæteros obligandi habente, ut aperte colligitur ex ejusdem D. Ambrosii verbis: *Veniant plane, si qui sint, ad Ecclesiam, audiant cum populo, non ut quisque Judex resideat, sed ut unusquisque de suo affectu habeat examen, & eligat, quod sequatur.* S. Cyprianus omnia fere negotia tractavit coram clero & populo sponte, non vero per aliquam legem, quæ ipsum ad sic agendum obligaret, ut patet ex ipsis verbis ejusdem lib. 3. epist. 10. *Ego à primordio mei Episcopatus statueram* (quod verbum non subjectionem ad clerum & populum sed spontaneam & liberam voluntatem significat) *nihil sine consilio vestro & sine consensu plebis meæ privatim sententia gerere.* Etsi autem D. Cyprianus sponte in suis negotiis ita processerit, & forsan etiam illorum factiosorum fratrum causam ad clerum & plebem devolvi permisisset, per id tamen nec suæ, nec aliorum Prælatorum Ecclesiasticorum Jurisdictioni & potestati præjudicare voluit, neque potuit; sicut Asverus per id, quod sapientum Esther c. 1. v. 13. *qui ex*

more

more regio semper ei aderant, faciebat cuncta consilio: noluit suæ aliorumque Regum derogare authoritati.

Ad XV. Septem sunt Spiritus throno Dei assistentes, sed unus est totius cælestis militiæ Princeps: duo sunt luminaria, sed unum præest diei, alterum nocti, hoc insuper ab illo dependet lumen recipiendo: plures sunt cælestes orbes, verum unus cæteris omnibus magnitudine & virtute præstat. Plures itaque in spiritu & veritate Deo famulantur: plura sunt Doctorum lumina Ecclesiam illustrantia: plures in ipsa Præsules: sed omnes uni primo servo Dei, Doctori, Episcopo subordinantur: qui ordo Monarchicum regimen constituit. Ecce proprio se gladio jugulant Protestantes.

Ad XVI. Eo loco Apostolum nil aliud intendere, quam referre varia donorum munia à Christo collata Ecclesiæ, Apostolorum videlicet, Prophetarum, Evangelistarum, atque eorum, qui popolos docent. Hæc porro munia commendat ut ministeria ejusdem mystici corporis, ut ibidem dicit v. 24. *Unum corpus, & unus spiritus*: proindeque uni supremo capiti subordinata: corpus enim sine capite monstrum foret.

Ad XVII. In laudata Epistola Apostolum referre, quæ supra ad Ephesios scripserat, atque ex donorum diversitate id unum intendere, nempe palam facere, fideles non esse in muneribus, & ministeriis æquales, eo plane modo, quo humani corporis membra non eundem actum habent: unde subdit v. 19. *Nunquid omnes Apostoli? nunquid omnes Prophetæ?* posuit quidem Deus in Ecclesia *primum* Apostolos, utpote inter membra mystici corporis potiori gaudentes prærogativa, sed non cum exclusione, verum inclusione supremi capitis, & primo primi, cui alii omnes subordinantur.

Ad XVIII. Plenitudinem virtutis Christi & potestatis nemini utique concedi, quia Christus est absolutum caput non solum Ecclesiæ militantis, verum etiam purgantis & trium-

phantis, qui potest Sacramentorum effectus absque Sacramentis præstare, leges condere, atque immutare; plenitudo autem vicegerentis, superioritas nempe super omnes Episcopos & fideles, universalis quoque Jurisdictio in totam Ecclesiam in his, quæ ad ejusdem pertinent utilitatem, uni potest conferri. Quare licet Petro, si relate ad Christum spectetur, donorum portio sit solum impertita, ea tamen major est, quam quælibet cæteris Apostolis collata, ratione cujus plenitudinem superioritatis sortitus est. Ex his


Colligendum I. Regimen, seu Imperium juxta Aristotelem lib. 6. Politic. c. 2. aliud esse *Monarchicum*, aliud *Democraticum*, & aliud *Aristocraticum*; vel enim potestas Imperii residet penes unum? & dicitur Principatus, ac Monarchia, uti est potestas Imperatoris in Germania, Regis in Hispania &c. vel regendi potestas est penes universos, aut majorem populi partem ita, ut omnes singulis imperent, & singuli omnibus obtemperent, sintque vices præcipiendi & parendi? & hæc potestas est Democratica: qualis olim erat Atheniensium, & hodie est Helvetorum. Vel denique suprema potestas est penes paucos, & hos optimates? & vocatur Aristocratia: qualis est Venetorum, Genuensium &c.

Colligendum 2. Formam regendi Monarchicam, qua unus solus gubernat, inter alias esse nobiliorem, ita præter Philosophos, Aristotelem lib. 8. Ethic c. 10. Platonem in Politico. Plutarchum in solone. Homerum in 2. Iliados. Philonem lib. de Confus. linquar. consentiunt SS. Patres: Hieronymus in Epist. ad Rusticum. S. P. Augustinus serm. 25. de Verb. Dom. Justinus in orat. exhort. ad gentes &c. Et ratio est: quia ubi plures eundem populum cum pari potestate regunt, ibi populus facilius in partes secatur, quarum una huic, altera alteri gubernatori adhæret: ex quo oriuntur jurgia, dissidia, quibus violatur pax inter subditos, & regnum non potest manere stabile

ac

ac diuturnium. Hinc Christus Lucæ c. 11. v. 17. ait: *Omne regnum in se ipso divisum desolabitur*; ut experientia in nostris Protestantibus docet, qui, quia uni supremo Ecclesiæ capiti nolunt subesse, in varias sectas discinduntur, & inter se ipsos dividuntur, dum unus sic, alter aliter credit, ac facit. Prævalet ergo Regimen Monarchicum regimine Democratico, & Aristocratico.

Colligendum 3. Regimen Ecclesiæ universalis Christianæ esse Monarchicum. Ita Catholici omnes contra Protestantes, qui, ne cogantur admittere unum visibile Ecclesiæ caput, a quo cæteri gubernentur fideles, absolute negant, regimen Ecclesiasticum esse Monarchicum. Contra ipsos tamen stat & S. Scriptura, & Ss. PP. ut jam vidimus, & amplius in subsequentibus videbimus. Ratio autem est: quia sicut membra Ecclesiæ sunt homines visibiles ac sensibiles, visibile ac sensibile regimen requirentes, atque unum corpus Ecclesiæ visibile constituunt, ita & caput unum visibile ac sensibile requirunt, cum caput corpori debeat esse proportionatum. Pariter tale caput unum & regimen Monarchicum exigit utilitas fidelium, ut scilicet in suis necessitatibus habeant sensibile refugium, in rebus dubiis certum oraculum, in suis gravaminibus familiarem accessum. Tandem & id exigit uniformitas fidei, quæ debet esse una: omnes namque fideles debent in rebus fidei prorsus idem sentire, & credere, quod in tanta judiciorum diversitate fieri nequit, nisi detur unus Rector & Judex summus, qui à Christo constitutus, & à Spiritu S. directus infallibiliter doceat omnes, & cujus sententiæ acquiescant omnes. Ergo.



§. V.

Dico 5. Chriſtus ſolum Petrum conſtituit Caput viſibile Eccleſiæ, & Judicem Controverſiarum fidei, non vero Cæteros Apoſtolos; adeoque illa determinata Perſona eſt Petrus ſolus, & non ſimul cæteri Apoſtoli â Chriſto conſtituta.

PRobatur I. Joan. c. 21. v. 15. & ſeq. legitur Chriſtum brevi aſcenſurum ad Patrem, & viſibili præſentia derelicturum Eccleſiam, Petrum his verbis affatum fuiſſe: *Cum ergo prandiſſent, dicit Simoni Petro Jeſus: Simon Joannis diligis me plus his? dicit ei, etiam Domine, tu ſcis, quia amo te. Dicit ei: paſce Agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Joannis diligis me? ait illi, etiam Domine, tu ſcis quia amo te. Dicit ei: paſce Agnos meos. Dicit ei tertio: Simon Joannis amas me? contriſtatus eſt Petrus, quia dixit ei tertio, amas me? & dixit ei: Domine tu omnia noſti: tu ſcis, quia amo te. Dixit ei: Paſce oves meas.* Ex his tale conficitur Argumentum:

Chriſtus ſolummodo Petrum perſonaliter alloquitur: ſed ipſum alloquens univerſalem Eccleſiæ præfecturam ei conſignat: ergo Chriſtus Petrum ſolum conſtituit caput viſibile Eccleſiæ, & Judicem. Maj. conſtat ex evidenti Evangeliſtæ teſtimonio mox adducto. Nam 1. *Dicit Simoni Petro Jeſus*: Simoni Petro, ut non foret cum altero Simone æquivocatio. 2. Ter interrogatur, & ter appellatur *Simon Joannis*: quo nomine nemo alius nuncupabatur. 3. Petrus diſcernitur ab aliis, *diligis me plus his*? quo loquendi modo alii excluduntur. 4. Ex contriſtatione, *contriſtatus eſt Petrus*: non alius: memoratur: & cur contriſtatus? quia metuebat ſe decipi, cum dicebat *amo te*, ſicut ſe deceptum novit, cum ait: *ſi oportuerit me mori tecum*,

non

non te negabo. 5. Ex prædictione mortis: *Amen Amen dico tibi, cum esses Junior, cingebas te* &c. hæc enim verba antecedenti connectuntur periodo, & super eandem personam appellant, ut contextus legenti aperit. 6. Ex trina interrogatione, *Diligis me?* nam juxta S. P. August. serm. 29. de verbis Domini, ideo ter interpellatur de dilectione - quia ter Christum negaverat in prætorio: atqui solus Petrus personaliter ter negavit: ergo solum Petrum personaliter alloquitur Christus: subs. sed ei, quem alloquitur, dicit: *Pasce agnos meos, Pasce oves meas:* ergo soli Petro personaliter hæc dixit: ergo. maj. argumenti est vera. min. etiam claret: nam munus Pastoris est oves pascere: sed Pastor præfecturæ, superioritatis, potestatis, ac Jurisdictionis dignitatem super oves importat: sic Christus Joan. c. 10. v. 14. cum dicat: *Ego sum Pastor bonus, & cognosco oves meas:* qua Pastor est ovium Præpositus, caput, superior, ac Judex: sic ubi vulgata legit Psal. 2. v. 9. *Reges eos in Virga ferrea:* Hebraica habet: *Pasce eos:* similiter ubi Matth. c. 2. v. 6. legitur: *Ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Israel:* Græcus interpretatur: *qui pascet.* Ergo in idem redit munus Pastoris, Rectoris, Præsidis, & Ducis. Ergo.

Respondet ad hoc argumentum Calvinus lib. 4. Inst. c. 6. n. 3. 1. ut firmæ sint istæ probationes, ostendant inprimis oportet, ei mandari potestatem in omnes Ecclesias, qui pascere Christi gregem jubetur: neque ullibi in Scriptura stat Vicarius Christi. Sed

Contra 1. Vel omnium Ecclesiarum fideles sunt oves Christi vel non? Si non sunt omnes oves Christi, non sunt membra Christi, consequenter non sunt membra Ecclesiæ, de quibus proinde non est in præsenti sermo; si vero omnes Ecclesiarum fideles sunt oves Christi, in omnes Petro potestas à Christo sui loco tradita est, cum Petrus Pastor ovium Christi constitutus est: *Pasce oves meas:* ergo ei demandata est potestas in omnes Ecclesias, qui pascere Christi gregem jubetur.

Con

Contra 2. Chriſtus non dixit Petro, *paſce has oves meas, vel illas*: ſed ſine ulla reſtrictione dixit: *paſce oves meas*; ergo ſine ulla reſtrictione omnes oves illi paſcendas commiſit: ſubſum. Sed oves omnium Eccleſiarum ſunt oves Chriſti: ergo omnium Eccleſiarum Chriſtus Petrum Paſtorem conſtituit, & jubetur gregem Chriſti paſcere.

Contra 3. Illæ oves Petro paſcendæ à Chriſto ſunt commiſſæ, quarum Chriſtus bonus Paſtor erat, & pro quibus animam ſuam poſuit: atqui Chriſtus omnium ovium Paſtor bonus fuit, & pro omnibus animam ſuam poſuit, mortuus enim pro omnibus eſt: ergo omnium ovium Petrus conſtitutus eſt à Chriſto Paſtor.

Contra 4. Licet in Scriptura verbotenus non ſtet *Vicarius Chriſti*, in Scriptura tamen res ſignificata per Vicarium Chriſti habetur: nam poteſtas Petro collata per verba: *paſce oves meas*, nil aliud denotat, quam tu mei loco eas paſce oves, quarum ego Paſtor bonus ſum: vices autum alterius gerere, eſt agere alterius Vicarium; ergo.

Reſpondet 2. Lutherus de poteſtate Papæ ad hoc argumentum: Petro Chriſtum non crediviſſe omnes fideles, quia eſt uſus Chriſtus termino indefinito *oves*, & non univerſali *omnes oves*. Sed

Contra 1. Terminus indefinitus in materia neceſſaria, qualis eſt materia fidei, æquivalet univerſali: ergo Chriſtus Petro dicendo: *Paſce oves meas*, idem eſt, ac ſi dixiſſet: *Paſce omnes oves meas.*

Contra 2. Ille terminus *Meas* magis explicat univerſalitatem, quam terminus *omnes*: nam nullus in Eccleſia exiſtit, qui non ſit ovis Chriſti, cum pro omnibus mortuus ſit: ergo Chriſtus dicens: *paſce oves meas*: de omnibus dixit nullam ovem excipiens.

Contra

Contra 3. Cum Christus dixit Petro, *Pasce oves meas*, vel omnes eidem credidit, vel nullas, vel solum aliquas? Si omnes: ergo falsa est responsio Lutheri, & stat Catholica contra eum veritas. Si nullas: ergo fallitur veritas textus. Si tantum aliquas: ergo Verbum Domini insipientiæ nota inuritur: quia cum non distinquat, quales istæ oves sint, idem est, ac si nullas commendaret, nescitur enim, quibus sit vigilandum, quæ pascendæ.

Contra 4. Universitas Ecclesiæ ex subditis & Pastoribus conflatur: sed Petro subditi & Pastores fuere commendati: nam bis dixit Christus, *Pasce agnos meos*, & iterum *Pasce oves meas*: ubi pro *Agnis* veniunt fideles, pro *ovibus* Pastores: oves enim sunt velut matres lactantes Agniculos: ergo. Sic discurrit Eusebius Emissenus, seu Eucherius Lugdunensis Episcopus, aut alter antiquus Gallicanus Antistes Serm. de Nat. Ss. Petri & Pauli: *Prius Agnos, deinde oves* (Petro) *commisit, quia non solum Pastorem, sed Pastorum Pastorem eum constituit. Pascit igitur Petrus Agnos, pascit & oves: pascit filios, pascit & matres: regit & subditos & Prælatos. Omnium igitur Pastor est, quia præter Agnos & oves in Ecclesia nihil est.* Ergo.

Respondet iterum Lutherus loc. supra cit. Ly *Pascere* non significare Dominium, aut superioritatem: quia proprie est servi afferentis cibum: & quia usus est verbo præceptivo dicendo: *Pasce*. Sed.

Contra 1. Petrus non fuit constitutus à Christo ut Mercenarius, cujus est dapes afferre convivæ, sed ut bonus Pastor; & ideo trina dilectionis confessio exigitur. Bonus Pastor erat Christus, ideo animam suam posuit pro ovibus suis: sed ubi Petrum Pastorem constituit, vult, quod similiter animam suam ponat pro ovibus, eapropter subjunxit Joan. c. 21. v. 22. *Tume sequere*, quod de morte dictum fatetur Scriptura: ergo vult Petrum pascere oves non aliter ac ipse Christus: atqui Christus pavit oves non

ut inferior, ſed ut Princeps & Dominator earum: ergo & Petrus.

Contra 2. Nullus ſanæ mentis dixit unquam, ſervum paſcere Dominum, ex quo illi porrigat panem, ſed econtra ſervus à Domino paſcitur, cujus ſumptibus alitur: ergo.

Contra 3. Ideo juxta Lutherum dum Chriſtus dixit Petro: *Paſce oves meas*: nullam contulit poteſtatem & ſuperioritatem in illas, quia verbo uſus eſt præceptivo: ſed hoc ipſo talem poteſtatem & ſuperioritatem contulit: ergo. min. prob. Dum Chriſtus Apoſtolis imperando dixit: *Euntes prædicate Evangelium omni creaturæ. Docete omnes gentes*: dedit illis poteſtatem Evangelizandi, & docendi. Dum Deus imperando dixit: *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram*: donavit hominibus fæcunditatem. Dum Salvator præcepit Paralytico: *tolle grabatum tuum, & ambula*: ſimul largitus eſt virtutem progreſſivam. Dum dixit Chriſtus imperative Adoleſcenti mortuo: *Ego dico tibi, ſurge*, vitam tribuit: ergo etiam dum Chriſtus dixit Petro præceptive: *Paſce oves meas*: dedit ei poteſtatem & ſuperioritatem ſuper eas.

Contra 4. Ex eo, quod Chriſtus imperative Petro fuerit locutus, evincitur magis, eum Petro dediſſe poteſtatem, & Jurisdictionem: ergo ant. prob. Præceptum vel ſupponit, quod requiritur ad illud implendum, vel confert: ergo cum paſcere oves Chriſti ſuperioritatem innectat, hoc munus Petro mandans Chriſtus vel in ipſo ſupponit, vel dominium elargitur.

Dicunt Sectarii: ſi hæc verba: *paſce oves meas* accipienda eſſent ita unverſaliter, etiam Petrus fuiſſet Paſtor cæterorum Apoſtolorum, cum & hi vel maxime ſint de ovibus Chriſti: ſed cæteri Apoſtoli Petro non indiguerunt ut Paſtore, eo quod ſuam doctrinam, ſuumque Evangelium prædicandi, & gentes baptizandi facultatem immediate receperint à Chriſto, qui ad eos omnes dixit *Euntes in mundum univerſum docete omnes gentes, baptizantes eas* &c. Ergo. Sed Con-

Contra 1. Etsi cæteri Apostoli Petro ut Pastore non indiguerint ad doctrinam & memoratas facultates sibi communicandas, indiguerunt tamen eo ut capite, cui obedirent, & subjicerentur in iis, quæ ad salutem animarum, & majorem Evangelii prædicationem magis conducere viderentur: item ad oves regendas & gubernandas, oves infirmas curandas, dispersas colligendas, errantes ad ovile reducendas, & periclitantes à lupis defendendas: eis debite præsidendo, inter eas discernendo, easque judicando: ergo.

Contra 2. Si cæteri Apostoli Petro non indiguerunt ut Pastore, cur Christus Lucæ cap. 22. v. 31. & 32. dixit ad Petrum: *Ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum; ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus* NB. *confirma fratres tuos.* Ergo.

Respondet 2. Calvinus lib. 4. Instit. c. 6. n. 4. ad argumentum: per has voces: *Pasce oves meas:* nihil Petro speciale datur, quod non fuerit collegis etiam commune: quia alioquin non modo Personis fieret injuria, sed claudicaret ipsa Doctrinæ Majestas. Sed

Contra 1. Christus per has voces: *pasce oves meas*: Petro præter extraordinariam Apostoli potestatem, nempe prædicandi Evangelium in universo mundo, & docendi omnes gentes &c. quæ erat communis cum cæteris Apostolis, in morte cujusvis Apostoli extinquenda: etiam dedit potestatem jurisdictionis, & Pastoris ordinariam in omnes fideles, in Petro non extinquendam, sed in successoribus usque ad finem mundi duraturam: adeoque dedit Christus Petro potestatem universalis Pastoris, cui cæteri etiam Apostoli tanquam oves subordinati essent: ergo per illas voces Petro quid speciale datum est, quod non fuit collegis commune.

Contra 2. Pater cælestis non fecit injuriam cæteris Apostolis, dum soli Petro revelavit divinitatem Christi, Matth. c. 16.

16. v 16. ergo neque Christus ullam fecit injuriam reliquis, dum soli Petro contulit specialem potestatem.

Contra 3. Christus unus & solus visibiliter Ecclesiam regebat servata Doctrinæ Majestate: ergo etiam eadem servatur, dum uni Petro vices suas Christus defert: hoc enim conformitas in doctrina, & perpetua ejusdem conservatio prorsus requirit. Ergo.

Respondent Sectarij 3. ad argumentum: Christum per illa verba: *Pasce oves meas*: Petrum quidem constituisse Pastorem, & superiorem, ast non primatu præeminentiæ supra reliquos Apostolos, sed solum primatu charitatis; Christus enim dum post quæstionem, an à Petro plus his diligeretur? dixit: *Pasce oves meas*: solum declaravit reliquis Apostolis suis, quod à Petro superentur in amore, & hoc solo is sit illorum Primas; quia cum Christus amorem Petri non potuerit ignorare, ideo duntaxat voluit eum de amoris majoritate interrogare, ut ea etiam aliis, quos charitate superaverat, innotesceret. Addunt Sectarii; Christum ideo voluisse Petrum declarare Primatem in charitate, quia is plura illius erga Magistrum suum amoris dedit signa; ut dum super tumentis maris fluctus ambulavit, ut citius ad Christum perveniret; dum nudato gladio Christum defendit, & Malchi militis auriculam amputavit, quod ex ferventissimo in Christum Magistrum suum amore fecit juxta illud: *etiamsi oportuerit me mori tecum, te non negabo;* dum ægre sibi permisit pedes lavari à tanto Magistro: *Domine tu mihi lavas pedes?* En quam frivolas, quam impertinentes Sectarij, dum textu premuntur Scripturistico, ejus fabricent interpretationes? Sed

Contra 1. Vel Sectarii loquuntur de interno Petri erga Christum amore? vel de externo, seu per signa externa exhibito? atqui neutrum dici potest: ergo. min. prob. non potest dici primum: quia internus amoris affectus nemini potest innotescere nisi soli Deo: siquidem solus Deus est scrutator cordi-

um

um. Neque dici poteſt ſecundum: quia illa exteriora ſigna, quibus exhibitus eſt Petri amor, inſufficientia ſunt ad declarandam majoritatem amoris, qui fuit in Petro: ergo. ant. prob. Illa exteriora ſigna vel ſunt verba Chriſti interrogantis: *diligis me plus his*? vel ſunt verba Petri reſpondentis: *tu ſcis, quia amo te:* ſed neutrum dici poteſt: ergo. min. prob. Non primum: quia evidens eſt, quod interrogatio alterius, an diligam eum? ſit inſufficiens ad declarandum audientibus meum amorem in interrogantem. Nec ſecundum dici poteſt: quia alias verba Petri, factaque à Sectariis enarrata, quibus is ſuum amorem in Chriſtum teſtatus eſt, erant inſufficientia ad declarandam majoritatem amoris, qui fuit in Petro: nam ex iis verbis & factis Petrus ſemper retulit correptionem à Chriſto, dum enim Petrus marinos fluctus calcavit, dixit illi Chriſtus Matth. c. 14. *Modicæ fidei, quare dubitaſti?* Dum exſerto è vagina gladio Malchi auriculam amputavit, dixit ei Chriſtus Matth. c. 26. *Converte gladium tuum in locum ſuum: omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Dum Petrus dixit Lucæ c. 22. *Domine tecum paratus ſum, & in carcerem, & in mortem ire:* item Matth. c. 26. *etiamſi oportuerit me mori tecum, non te negabo:* dixit ei Chriſtus Lucæ c. 22. v. 34. *Non cantabit hodie gallus, donec ter abneges noſſe me.* Dum Petrus dixit Matth. c. 16. *Abſit à te Domine, non erit tibi hoc*, ut occidaris: reſpondit ei Jeſus: *Vade poſt me Sathana, Scandalum es mihi.* Dum Petrus tergiverſatus eſt ad Chriſtum dicens Joan. c. 13. Non lavabis mihi pedes in æternum: Chriſtus illi repoſuit: *Si non lavero te, non habebis partem mecum.* Poterantne cæteri Apoſtoli, qui omnes has reprehenſiones audierunt, ex iis conjicere, ſe à Petro ſuperari à Charitate erga Magiſtrum ſuum? an non ex iis potius debebant inferre, Petrum amore ſincero non dilexiſſe Magiſtrum? Ergo & illa verba Petri: *tu ſcis, quia amo te:* erant inſufficientia ad declarandam majoritatem amoris erga Chriſtum.

Contra 2. Ss. Patribus, qui tamen certe magis illuminati erant, quam nostri Novatores, de isto primatu charitatis ex verbis & factis Christi ac Petri non constitit; nam ut 1. p. q. 20. a. 4. ad 3. S. Thomas refert, Patres multum dubitarunt, an Petrus, an Joannes magis dilexerit Christum? siquidem aliqui asseruerunt, quod Petrus plus dilexerit Christum in membris ejus, & ideo Christum Petro commendasse Ecclesiam; Joannes vero plus dilexerit Christum in se ipso, & ideo Christum Joañi comendasse Matrem suam. Alii dicunt, Petri amorem fuisse quidem majorem quoad fervorem & promptitudinem, ast non quoad familiaritatem, quia quoad hanc superabatur à dilectione Joannis. Ita citatus Doctor Angelicus, qui ibidem addit: *Præsumptuosum tamen videtur, hoc dijudicare, quia dicitur Prov. 16. Spirituum ponderator est Dominus, & non alius.* Unde ex primatu Charitatis non potest concludi, Petro fuisse datam supremam authoritatem in Ecclesia; præsertim cum D. Hieronymus lib. 1. contra Jovin. ex pluribus titulis probet, Joannem fuisse chariorem Christo quam Petrum: & licet Tertullianus lib. de Præscript. c. 22. Joanni tribuat prærogativam dilectionis, Petro tamen concedit præeminentiam potestatis, dum inquit: *Latuit aliquid, Petrum ædificandæ Ecclesiæ petram dictum, claves Regni cælorum consecutum, & solvendi & ligandi in cælis & in terris potestatem; latuit aliquid, Joannem dilectissimum Domino pectori ejus incumbentem, quem loco sui filium Mariæ commendavit.* Ergo

Contra 3. Etsi Petrus plus dilexerit Christum quam Joannes, potestas tamen Petro tributa per verba: *Tibi dabo claves* &c. & *Pasce oves meas:* non consistit in illa dilectionis eminentia: Primatus enim Petri & authoritas illi tunc data consistit in prærogativa jurisdictionis: cum ligare & solvere non pertineat ad eminentiam dilectionis, sed ad prærogativam jurisdictionis: etsi ergo detur, Majoritatem amoris fuisse in Petro præ Joanne, & cæteris Apostolis: attamen hæc majoritas tantum

tum

tum fuisset causa motiva, cur Petrus constitutus fuerit à Christo Pastor cum potestate jurisdictionis etiam super reliquos Apostolos. Ergo.

Respondent Sectarii 4. ad Argumentum: Petro non fuisse à Christo alium supra reliquos Apostolos Primatum collatum, quam *Vocationis*, eo quod scilicet Petrus Matth. c. 4. v. 18. & 19. sit primo loco vocatus. Sed

Contra: In scripturis Sacris triplex tantum reperitur discipulorum Christi vocatio: atqui in nulla Petrus solus invenitur primo loco vocatus: ergo inane est assertum Sectariorum. min. prob. *Prima vocatio* fuit Joan. c. 1. v. 40. &c. Ubi Andreas Petrus, Philippus, & Nathanael fuerunt ad Christum admissi tanquam familiares auditores, non quidem ut constanter apud ipsum manerent, sed ut viderent, ubi habitaret, & audirent, quid doceret: & hæc admissio, quæ successive facta est, non fuit proprie vocatio: imo in ea Andream præcessisse Petrum ex cit. cap. Joan. 1. certum est. *Secunda vocatio* erat Matth. c. 4. v. 18. & 19. sed ut ex textu constat, ibi Petrus solus non fuit primo, sed simul tempore cum Andrea vocatus. & consequenter Primatus vocationis non debetur soli Petro. *Tertia vocatio* fuit Lucæ c. 6. ubi Discipuli Christi proprie vocati sunt ut Apostoli, & ex iis duodecim ad id munus simul sunt electi v. 13. & 14. Ergo si duodecim simul tempore sunt vocati & electi: Petrus non erat vocatione Primas, seu Primus. Et hinc Ss. Patres dicunt, omnes Apostolos fuisse pares in electione ad Apostolatum, sive ad munus *Missionis*: Apostolus enim idem est ac Missus v. g. ad prædicandum Evangelium &c. Unde Melchiades in epist. ad Episcopos Campaniæ scribit: *Licet cunctorum Apostolorum par esset electio, Beato tamen Petro concessum est, ut aliis præemineret*, scilicet præeminentia non vocationis, sed dignitatis, potestatis, & jurisdictionis in omnes fideles, etiam cæteros Apostolos. Ergo.

Pro-

Probatur Conclusio 2. Argumento desumpto ex illo Matth. c. 16. v. 15. 16. 17. 18. *Dicit illis Jesus: vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus Filius Dei vivi. Respondens autem Jesus dixit ei: Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro & sanquis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Ex his tale conficitur argumentum.

Christus hoc loco aperte solum Petrum alloquitur: sed alloquitur promittendo primatum potestatis, & jurisdictionis Ecclesiæ: ergo soli Petro hunc promisit & contulit præ cæteris Apostolis. Maj. claret ex textu, in quo multifarie exprimitur sola Persona Petri; 1. duplici nomine, *Simonis*, quod primævum erat nomen, & *Petri* seu *Petræ*, quod erat ex Christi impositione. 2. Per nomen Patris, quoderat *Joannes*, & per Crasin dicebatur *Jona.* 3. Laudatione confessionis editæ de Christi Divinitate. 4. Repetitione illius pronominis *Tibi*: revelavit tibi, dico tibi &c. 5. Causali, *quia tu es Petrus.* 6. Remuneratoria responsione ob cofessionem fidei: *Et ego dico tibi.* 7. Ex particula conjunctiva analogiæ Petri & Petræ: *tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Ergo major constat. min. etiam patet: nam id præstat fundamentum in ædificio, quod caput in corpore, Gubernator in navi, Dux in exercitu, Pastor in grege, Paterfamilias in domo; sed Paterfamilias in domo, Pastor in grege, Dux in exercitu, Gubernator in navi, caput in corpore primatum significant: ergo fundamentum Ecclesiæ Primatum ejusdem signat; ergo sicut Christus, quia dicitur Ecclesiæ fundamentum, ab omnibus ut caput primarium & principale reveretur, ita etiam Petrus, qui a Christo fundamentum suæ Ecclesiæ nuncupatur, a Christo ut suus Vicarius, caput secundarium designatus est super omnes fideles. Et ita Petrum agnovit primitiva, & universa Ecclesia,

ante-

antequam Hæreſiarchæ Lutherus, Calvinus &c. ſcirent lallare: ut teſtis eſt S. P. Auguſt. in Pſalmum contra partem Donati ita ſcribens: *Numerate Sacerdotes vel ab ipſa ſede Petri, ipſa eſt Petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ.* S. Dionyſius Epiſt. ad Timoth. Petrum vocat *Fundamentum Eccleſiarum.* Et S. Hieronymus lib. 2. contra Jovin. ait: *Inter duodecim unus eligitur, ut Capite conſtituto Schismatis tolleretur occaſio.* Item in Dial. contra Luciferan. inquit: *Eccleſiæ ſalus à ſummi Sacerdotis dignitate pendet, cui ſi non exors quædam, & omnibus eminens detur poteſtas, tot in Eccleſia efficiuntur Schismata, quot Sacerdotes.* Ergo.

Reſpondent 1. Lutherus lib. de poteſt. Papæ. Calvinus lib. 4. Inſtit. c. 6. §. 4. Magdeburg. Centuria 1. lib. 1. & 2. Et libellus Smalkaldici conciliabuli de Primatu Papæ. Chriſtum citata verba non ad Petrum ſolum, ſed ad omnes Apoſtolos locutum eſſe, adeoque Petro à Chriſto nullum Primatum promiſſum eſſe. En quomodo contra claros & expreſſos Scripturæ terminos Hæretici effrontes inſurgant. Hinc

Contra 1. Nullus ex Apoſtolis præter Petrum eſt Filius Joannis: ſed Chriſtus locutus eſt ſoli Filio Joannis: ergo ſoli Petro Chriſtus eſt locutus, & non cæteris Apoſtolis.

Contra 2. Chriſtus illi eſt locutus ſoli, cui cit. Matth. c. 16. v. 23. mox dixit: *Vade poſt me Satana:* ut luce clarius ex contextu innoteſcit; Atqui fatentibus ipſismet Hæreticis, ſoli Petro, non cæteris Apoſtolis hoc dixit: ergo & illud, adeoque ſoli Petro eſt locutus Chriſtus illis verbis. Vel dicant Novatores, cur donum Dei faciant commune, malum vero ſingulare.

Contra 3. Quotiescunque Chriſtus in Evangelio utitur particula *Tibi*, ita ad perſonam particularem reſtringit, ut ad alios nequeat ampliari; ſic cum dicit: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradyſo; Remittuntur tibi peccata multa; Adoleſcens tibi dico ſurge.* Non enim per hoc omnes latrones venia donavit:

omnibus mulieribus peccata dimisit: omnibus adolescentibus defunctis vitam contulit. Ergo etiam dum Christus dixit: *Et ego dico tibi, tu es Petrus*: ad personam Petri ita restringit, ut ad alios Apostolos ampliari nequeat. Conseq. tenet à paritate: etenim nulla ratio est assignabilis, cur per particulam *Tibi* in omnibus aliis locis Christus restrictive locutus fuisset, & in hoc solo loco ampliative, quando Petro specialiter locutus est.

Contra 4. A contrario, quotiescunque Christus sua dona pluribus largitur, nunquam utitur vocabulo singulari: ut cum dicit: *Sedebitis & vos super sedes duodecim; Accipite; & manducate; hoc facite in meam commemorationem; dabo vobis os & sapientiam; pacem meam do vobis; Prædicate Evangelium omni creaturæ* &c. Ergo quotiescunque utitur vocabulo singulari, perperam pluribus accomodatur locutio.

Contra 5. Christus dixit Petro: *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*: quia Petrus dixerat Christo: *Tu es Christus Filius Dei vivi*: discernens Christum ab aliis Prophetis; ergo Christus, ut vices rependat, ita dicit Petro, *super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*: ut ab aliis discriminet Apostolis: nam confessio & promissio sunt correlativa.

Respondet 2. Calvinus lib. 4. Inst. c. 6. §. 6. Petram, de qua loquitur textus, non esse Petrum, sed Christum: adeoque Petro nullum promitti Primatum. Sed

Contra 1. Christus alloquens Petrum, Hebræa, seu Syra linqua locutus est eidem: ergo ita eum affatus est: *Tu es Petra, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Ergo Petra, de qua loquitur textus, est Petrus, & non Christus. ant. est certum, quia textus originalis Evangelii Hebraici & Syriaci loco *Petrus* habent *Petra.* Nam *Cephas* interpretatur *Petra, saxum, rupes.* Et ubi latine legitur *Petrus*, Græce legitur *Petros*, Hæbraice vero aut Syriace *Cephas* id est *Petra.* Hinc S. Hieronymus c. 2. ad Galatas ait: *Non quod aliud significat Petrus aliud*

Cephas:

Cephas: sed quia quam nos Latine & Græce Petram vocamus, hanc Hebræi & Syri propter linquæ inter se viciniam Cepham nuncupant. Unde Matthæus in suo Evangelio, quod Syra vel Hebræa linqua scripsit, ut testatur S. Hier. in Catalogo scriptorum Ecclesiast. non habet, *Tu es Petrus*, sed *Tu es Cephas.*

Contra 2. Ideo juxta Calvinum, dum Christus ait: *super hanc Petram*: appellavit supra se ipsum, *Petra autem erat Christus* 1. ad Corinth. c. 10. v. 4. quia appellat super eum, quem Petrus est confessus, atqui Petrus non est confessus Christum Petram, sed Filium Dei vivi: ergo non appellat supra Christum, sed super Petrum.

Contra 3. Pronomen *Hanc* utpote demonstrativum appellat supra *Petram*, de qua proxime & de præsenti facta est mentio: sed non est facta mentio alterius Petræ quam Petri: ergo appellat supra Petrum, & non super Christum.

Contra 4. Hæc causalis debet verificari: *quia tu es Petrus, & super hanc Petram*: sed non verificatur, si de Christo dicatur pronomen *Hanc*: quæ enim hæc consequentia: *quia tu es Petrus, & super me, qui sum Petra, ædificabo Ecclesiam meam?* Nulla sane: ergo ideo illam causalem posuit, *quia tu es Petrus*, quia Petrum volebat constituere caput Ecclesiæ.

Contra 5. Dum Christus Petro dixit: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*: Petri confessionem remuneratam voluit, ut ait S. Hieron. *Testimonio de se Apostoli reddit vicem. Petrus dixerat: Tu es Christus Filius Dei vivi: mercedem recepit vera confessio: Tu es Petrus* &c. atqui si textus Christo accomodetur, nulla prorsus est Petri merces; ergo.

Contra 6. Dum Christus ait: *super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*: ut sentit D. Hieron. *innuit ædificationem Ecclesiæ in futuro promissam, non in præsenti datam*: atqui supra Christum Ecclesia jam fuit ædificata: etenim ex S. Greg. Hom. 19.

in Evang. Ecclesia *incipit ab Abel*: salvabantur namque justi teste D. Th. 2. 2. q. 2. a 7. ad 3. per fidem venturi Mediatoris; & in lege gratiæ cæpit Ecclesia à Christi prædicatione, cum Christus jam vocaverit Apostolos, sibique plures fecerit discipulos, baptisma in Jordane fuerit institutum, atque ab Apostolis ministratum: ergo dicta verba ad Christum nequaquam referri possunt.

Respondent 3. Lutherani. Illa verba *super hanc Petram:* non Petrum, sed confessionem fidei, quam Petrus edidit, afficere; nam Christus immediate ante ea verba dilaudavit Petri confessionem, & statim tunc subjunxit: *quinimo vero ego dico tibi, tu es Petrus, & super hanc eandem Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Quorum itaque verborum sensus iste est: *Tu es Petrus, vir saxeus, stans super confessione tua velut super saxo, aut Petra firmissima: & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, ut sit saxea, immobilis, & inexpugnabilis, quamdiu super hac confessione vel doctrina (quod ego sim Christus Filius Dei viventis) stabit velut supra Petra immobili.* Hic

Observandum: Fidem, seu confessionem Petri duobus modis posse considerari: uno modo *absolute*, id est, sine relatione ad Petrum; altero modo *cum relatione ad Petrum.* Si confessio fidei sumatur cum relatione ad Petrum: vel determinate pro Petri fide: concedendum est: nam & Catholice defendimus, ob meritum fidei in confessione Divinitatis Ecclesiæ Primatu Petrum donatum à Christo fuisse, & constitutum, ut in fide Christi fors alios nutantes confirmaret juxta illud Lucæ c. 22. v. 32. *Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma Fratres tuos.* Ergo primo modo confessionem Petri sumere videntur Adversarii Hæretici, ut ex eorum verbis & principiis palam est: unde contra eorum responsionem datam.

Con-

Contra est 1. Hæc verba: *super hanc Petram*: ita accipienda sunt, ut habeant sensum liberum, & nexum connaturalem cum præcedentibus: atqui ut habeant sensum liberum & connaturalem cum præcedentibus, non de confessione fidei absolute spectata, sed de ipso S. Petro sunt accipienda: ergo. min. prob. ut habeant sensum liberum, & nexum connaturalem li *hanc* debet referri ad *Petram*, quæ immediate ante nominata erat: atqui Petra, quæ immediate antea nominata erat, non fuit confessio fidei absolute, sed Petrus, ut textum legenti patet: ergo.

Contra 2. Fides est quidem Ecclesiæ forma, seu id, in quo conveniunt fideles in credendo, atque fundamentum justificationis: attamen non est caput, & ideo D. Paulus ad Ephes. c. 4. dicit: *Unum corpus, una fides, unum baptisma*: Ergo aliud est fides, aliud est corpus; & per consequens aliud à fide est caput mystici corporis. Ergo.

Contra 3. Mysticum Ecclesiæ corpus est visibilis hominum multitudo: ergo debet habere caput visibile; atqui fides non est visibilis: ergo.

Contra 4. Si fides esset caput, non diceret Christus *ædificabo*, in futuro, cum fides jam extiterit in pluribus: adeoque jam tunc temporis fuisset Petra; ergo.

Contra 5. Super illum Christus statuit ædificare Ecclesiam suam, cui promisit, quod velit dare claves Regni cælorum: hoc enim dictorum nexus clare innuit: atqui claves Regni cœlorum Christus non confessioni fidei, seu fidei absolute spectatæ, sed ipsi Petro dare promisit, ut ipsimet fatentur Hæretici: Ergo.

Respondet denuo ad argumentum Calvinus lib. 4. instit. c. 6. n. 6. Quod licet omnes à Christo interrogati sint, solus Petrus respondit suo & fratrum nomine, adeoque non pro se

 solo,

ſolo, ſed pro omnibus: adeoque & pro ſe & pro omnibus idem accepit reſponſum & poteſtatem. Sed

Contra 1. Petrus ſuo & non cæterorum nomine, pro ſe & non pro cæteris confeſſus eſt Chriſtum eſſe filium Dei vivi: ergo. ant. prob. Si Petrus cæterorum nomine fuiſſet Confeſſus, Chriſtum eſſe Filium Dei vivi, id Confeſſus fuiſſet ex conſenſu, aut commiſſione cæterorum: atqui cæteri Apoſtoli in id non conſenſerunt, neque ullam commiſſionem Petro dederunt: ergo. maj. patet: nam quo pacto aliorum cauſam quis agere poteſt, niſi conſenſum, aut commiſſionem ab illis prius habeat. min. prob. ex citato textu Matth. c. 16. v. 17. *Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro & ſanquis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui in cælis eſt;* Atqui ſi Apoſtoli hanc Petro Commiſſionem dediſſent, aut in hanc confeſſionem conſenſiſſent, falſo diceret Chriſtus, *Caro & ſanquis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui in cælis eſt;* quia tunc non Pater, ſed Caro & ſanquis, id eſt, homines id Petro dixiſſent: adeoque ab hac revelatione alii Apoſtoli excludi à Chriſto non potuiſſent: Ergo Apoſtoli id Petro non commiſerunt, neque in id conſenſerunt, cum id ignorarint: ergo Petrus pro ſe ſolo, & non nomine cæterorum reſpondit.

Contra 2. Quamvis Chriſtus omnes Apoſtolos interrogaverit: *quem dicunt homines eſſe Filium hominis?* Matth. c. 16. Soli tamen Petro Pater cœleſtis revelavit, eum eſſe Filium Dei vivi excludendo alios: ergo etiam ſoli Petro dedit reſponſum, & poteſtatem excludendo alios. ant. patet ex dictis in priori contra: & conſ. prob. Soli Petro excludendo alios dixit Chriſtus: *Vade poſt me Satana* Matth. cit. c. 16. v. 23. Ergo etiam ſoli Petro dedit Chriſtus reſponſum, & poteſtatem: ergo.

Probatur Concluſio 3. argumento deſumpto ex eodem Matth. c. 14. v. 19. *Et tibi dabo claves Regni cælorum. Et quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunque*

que solveris super terram, erit solutum & in cælis. Ex quo textu tale conficitur argumentum.

Per Clavium collationem in Scriptura S. significatur suprema, saltem Vicaria potestas: sed Christus Petro contulit claves: ergo & ei contulit supremam, saltem Vicariam potestatem. min. claret ex textu. maj. autem ostenditur: Isaiæ c. 22. v. 22. describitur nobis inauguratio Eliacim filii Helciæ in summum Pontificem his verbis: *Et dabo clavem domus David super humerum ejus, & aperiet, & non erit, qui claudat: & claudet, & non erit, qui aperiat.* Ubi pro clave plane intelligit Propheta potestatem dominativam; siquidem antecedenter describens depositionem alterius Pontificis, in cujus locum subrogatur Eliazim, præmittit v. 21. *Et cingulo tuo confortabo eum, & potestatem tuam dabo in manu ejus, & erit quasi Pater habitantibus Hierusalem, & Domui Juda:* Item Eliacim Christum referebat, de quo dicitur Isaiæ c. 9. v. 6. *Factus est Principatus super humerum ejus;* Et Apoc. c. 3. ad explicandum Christi Imperium habemus v. 7. *Hæc dicit Sanctus & verus, qui habet clavem David, qui aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit:* quæ sententia in idem redit cum illa relata ex Isaia c. 22. quam Paraphrastes Chaldaicus exponit: *Dominium Domus David;* item Apocal. c. 1. v. 18. *Habeo claves mortis, & inferni.* Ergo cum dicta Petro: *Tibi dabo claves Regni cælorum: quodcunque solveris* &c. omnino hisque apud Isaiam figurate de Christo in persona Eliacim, & in Apocalypsi literaliter leguntur, consona sint, palam est, Petro Primatum Ecclesiæ collatum fuisse. Unde etiam in jure verbum *Dabo* translationem Dominii importat, ut constat ex L. Traditio. ff. de re donata. Item L. Deos. ff. de Precario. Item L. Tertio. ff. de possessione.

Respondent ad hoc argumentum Sectarij 1. Nomine *Petri* in cit. textu intelligi omnes fideles, adeoque Ecclesiam, vel saltem omnes Apostolos; adeoque non Petro, sed toti Ecclesiæ,

vel

vel ſaltem omnibus Apoſtolis à Chriſto promiſſas, ac collatas eſſe claves. Quamvis hæc reſponſio jam ſat ſit impugnata in præcedentibus: adhuc tamen

Contra eſt 1. Si nomine Petri in cit. textu intelligeretur tota Eccleſia, ſenſus illorum Chriſti verborum: *Super hanc Petram* &c. redderetur ridiculus, talis videlicet, *Super Eccleſiam ædificabo Eccleſiam meam*: ſed hoc dici nequit: ergo.

Contra 2. Quomodo nomine *Petri*, vel *Petræ* poſſunt intelligi omnes fideles, omnesve Apoſtoli? cum Chriſtus, dum ſolum Simonem mutato nomine vocavit Cepham, ſeu Petrum, in ſingulari dixerit: *Tu*, *Tibi*, ſuper *hanc*, *ſolveris* &c. Non vero *vobis*, *ſolveritis* &c. Ergo.

Contra 3. Si Chriſtus ibi nomine *Petri* intellixiſſet omnes fideles, omnibus fidelibus promiſiſſet, & contuliſſet claves: adeoque omnes fideles ſe ipſos ligare, ac ſolvere poſſent: quod tamen dicendum non eſt; ergo.

Reſpondent ad hoc argumentum Sectarii cum Calvino lib. 4. Inſt. c. 6. n. 3. dicendo 2. Nihil ſpeciale præ aliis Apoſtolis datum eſſe Petro à Chriſto; nam etiam cæteris Apoſtolis dedit claves, dum dixit Matth. c. 18. v. 18. *Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo, & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo.* Quæ verba tam amplam & irreſtrictam denotant poteſtatem, ac illa, quæ Chriſtus dixit Matth. c. 16. ad Petrum. Item Joan. c. 20. v. 22. & 23. habetur de Apoſtolis: *Hæc cum dixiſſet, inſufflavit: & dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Ergo eandem poteſtatem à Chriſto receperunt cæteri Apoſtoli, quam Petrus. Sed

Contra 1. Quamvis Chriſtus Matth. c. 18. iisdem prope terminis cæteris Apoſtolis loquatur: *quæcunque alligaveritis, quæcunque ſolveritis*, &c. ſicut Petro Matth. c. 16. *Quæcunque ligaveris,* quæ-

quæcunque ſolveris &c. illa tamen locutio facta Matth. c. 18. cæteris Apoſtolis reſtringitur per Chriſti verba ad ſola peccata remittenda, vel retinenda: nullo vero modo illa locutio Chriſti facta Petro Matth. c. 16. Ergo Chriſtus majorem, adeoque illimitatem & irreſtrictam poteſtatem dedit Petro per verba *quodcunque ligaveris*, *quodcunque ſolveris* &c. quam non dedit cæteris Apoſtolis Matth. c. 18. per verba quæcunque alligaveritis, quæcunque ſolveritis &c. ant. prob. Illorum ligandi atque ſolvendi Chriſtus Matth. c. 18. Apoſtolis dedit poteſtatem, de quibus in citato capite ante hunc verſum, & poſt hunc verſum im̃ediate tractat: atqui in citato capite ante & poſt hunc verſum im̃ediate tractat de peccatis, correctione, emendatione, & retentione peccatorum proximi: ergo hæc verba Chriſti Math. c. 16. *quæcunque alligaveritis, quæcunq; ſolveritis* &c. dicta cæteris Apoſtolis reſtringunt eorum poteſtatem ad ſola peccata: nullo modo vero illa verba Chriſti Matth. c. 16. *quodcunque ligaveris*, *quodcunque ſolveris*. &c. cum hæc ex nulla circumſtantia, nullis verbis ſeu antecedentibus, ſeu ſubſequentibus limitationi aut reſtrictioni expoſita videatur, uti illa locutio Chriſti Matth. c. 18. cæteris Apoſtolis facta: ergo poteſtas data à Chriſto Petro eſt illimitata, & irreſtricta, extendens ſe ad omnes fideles, cæteroſque Apoſtolos, non ad ſola peccata, ſed etiam ad omnia alia controverſa in materia fidei & morum: poteſtas vero à Chriſto data Apoſtolis eſt limitata & reſtricta extendens ſe ad ſola peccata. Min. vero prob. Chriſtus in citato capite Matth. c. 18. tractat determinate de corrigendis fratribus, & retinendis peccatis: nam v. 11. habetur: *venit enim Filius hominis ſalvare, quod perierat.* v 14. *Sic non voluntas ante Patrem veſtrum, qui in cælis eſt, ut pereat unus de puſilis iſtis.* v. 15. *Si autem peccaverit in te frater tuus, vade, corripe eum inter te, & ipſum ſolum.* v. 16. *Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos.* v. 17. *Quod ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ; ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus,*

& publicatus. Et ſuper hoc immediate ſequitur data poteſtas Apoſtolis remittendi & retinendi fratrum peccata ſequente v. 18. *Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo: & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta ut in cælo*: id eſt ea, de quibus Chriſtus ante locutus eſt. Et poſt hanc poteſtatem remittendi & retinendi peccata cæteris Apoſtolis datam v. 21. *accedens Petrus ad eum dixit; Domine quoties in me peccabit frater meus, & dimittam ei? uſque ſepties? dicit illi Jeſus, non dico ſepties, ſed uſque ſeptuagies ſepties.* Atqui hæ omnes locutiones Chriſti antecedentes & ſubſequentes poteſtatem Apoſtolis datam à Chriſto manifeſte indicant non eſſe univerſalem, illimitatam, ſed limitatam & reſtrictam, ad ſola peccata: uti magis ſe Chriſtus explicat Joan. c. 20. Ergo.

Contra 2. Chriſtus præter hanc poteſtatem ligandi atque ſolvendi Petro datam Matth. c. 16. Inſuper Claves regni cælorum ei dedit: ſuper eum tanquam fundamentum ædificavit Eccleſiam ſuam, adverſus quam nec portæ inferi prævalebunt; atqui fundamentum hoc, ſuper quod principaliter Chriſtus ædificavit Eccleſiam ſuam, nullibi nominat Chriſtus cæteros Apoſtolos: nullibi iisdem Claves Regni cælorum ſpecialiter legitur dediſſe: ergo Chriſtus Petro majorem ac univerſaliorem poteſtatem dedit, quam cæteris Apoſtolis.

Contra 3. Petrus ſeorſim ſumptus accepit à Chriſto promiſſam ſuam poteſtatem: reliqui vero Apoſtoli ſimul non ſeorſim ſumpti acceperunt ſuam à Chriſto poteſtatem: alias enim quilibet Apoſtolus ſeorſim ſumptus habuiſſet ſuper totam communitatem, adeoque ſuper omnes ſuos coapoſtolos poteſtatem, ſicut Petrus habuit ſuper omnes: atqui conſequens nequit admitti, alioquin Andr. fuiſſet ſuperior Joañis, & Joañes Andreæ &c. Ergo.

Contra 4. Poteſtas Petri fuit *ordinaria*, & ad poſteros ſuos ſucceſſores tranſmittenda: cæterorum vero Apoſtolorum poteſtas fuit *extraordinaria*, ex privilegio, quæ cum ipſis cæteris Apo-

Apostolis è vita decedentibus expiravit, atque ad eorum successores non transiit: ergo.

Contra 5. S. Hieronymus lib. 1. Cont. Jovin. c. 4. ait: *Super Petram fundatur Ecclesia, licet id ipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat, & cuncti claves Regni cælorum accipiant: & ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur; tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut Capite constituto Schismatis tollatur occasio.* Ergo licet cuncti Apostoli sint fundamentum, cuncti claves accipiant, tamen inter omnes Petrus eligitur, ut sit caput, ut ipso capite constituto Schismatis tollatur occasio. Præterea D. Cyprianus lib. de simplicit. Prælat. scribit, post resurrectionem à Christo cunctis Apostolis æqualem datam esse potestatem, *tamen ut unitatem manifestaret, unam Cathedram constituit, & unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique & Cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi & honoris & potestatis, sed exordium ab unitate proficiscitur. Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, & Cathedra una monstretur - - - Qui Ecclesiæ renititur, ac resistit, qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit?* Ita habetur in Manutii & Morelli editione, licet aliter legatur in editione ab Erasmo impressa. Ergo S. Cyprianus unum designat; Petrum nempe, à quo post Christum unitas exorditur Ecclesiæ. Quid porro est, à Christo fuisse dispositum, Petrum unum illum esse, à quo Ecclesiæ incipiat origo, nisi quod Petrus unus ille sit, in quem tanquam in caput cuncti referantur: sicut Rex unus ille est, à quo regni unitas exorditur, quia Rex is est, in quem tanquam in caput omnes Regni subditi debent convenire. Hunc unum autem à D. Cypriano intellectum fuisse D. Petrum ejusque successores, evidentissime manifestat sui illius tractatus ratio. Scribebat tum contra Novatianum, à quo Ecclesiæ unitas discissa fuerat renuendo illum unum agnoscere, à quo ejus unitas incipiebat, dum Cornelium

respueret Romanum Episcopum D. Petri Successorem affirmare.

Probatur Conclusio 4. Juxta Calvinistas & Lutheranos à Sæculo V. vel VI. Ecclesia cœpit deficere; sed ante Sæculum V. Ecclesia fatebatur, Petrum esse fundamentalem Ecclesiæ Petram: siquidem illud Ambrosii canebat, *Hoc ipsa Petra Ecclesiæ canente culpam diluit*, ut refert S. P. Augustinus lib. 1. Retractat. c. 21. *Dixi in quodam loco de Apostolo Petro, quod in illo tanquam in Petra fundata sit Ecclesia, qui sensus cantatur etiam ore multorum in versibus Beatissimi Ambrosii, ubi de Gallo Gallinaceo ait: Hoc ipsa Petra Ecclesiæ canente culpam diluit.* In Synodo Ephesina actione 3. Philippus Presbyter sedis Apostolicæ Legatus ait: *Certum & notum omnibus esse, quad Beatissimus Petrus Præsul, & Caput Apostolorum, columna fidei Catholicæ Ecclesiæ fundamentum Regni claves accepit à Domino, & hujus Successor Papa Cælestinus misit nos.* Ergo.

Confirmatur ex Ss. Patribus latinis ab ipsis Adversariis maxima cum reverentia observandis. S. Cyprianus epist. ad S. Cornel. ita habet: *Ipse Dominus à multis discipulorum suorum derelictus, nihil aliud dixit ad Apostolos, quam hæc pauca: nunquid & vos vultis abire? at Petrus, super quem Ecclesiam ædificavit, pro omnibus respondit: Domine ad quem ibimus?* Et in lib. de unitate Ecclesiæ continuo Petrum nominat *caput fontem*, & *radicem* totius Ecclesiæ. S. Optatus Episcopus Milevitanus, qui contra Parmenianum Episcopum Donatistam scribit, ita loquitur: *Negare non potes, in urbe Romana Cathedram Episcopalem primum Petro fuisse datam, qui in ea sedit, cum esset omnium Apostolorum Princeps, ut per hanc unicam Cathedram omnes servarent unitatem.* S. Hieronymus lib. 3. Comment in Matth. ad cap. 16. ait: *Secundum metaphoram Petræ recte dicitur ei: ædificabo Ecclesiam meam super te.* Item lib. 1. Cont. Jovin. S. P. Augustinus in Psal. Cont. partem Donati ait: *Numerate Sacerdotes vel ab ipsa Petri sede: ipsa*

est

est Petra, quam non vincunt inferorum portæ. Iterum epist. 162. modo 43. *In Romana Ecclesia semper Apostolicæ Cathedræ viguit Principatus.* Jam ex Adversariis quæro, S.Cyprian.S. Optatus, S. Hieronym., & S.P. Augustinus vel erant Patres antiquæ doctrinæ, & orthodoxæ fidei, vel non? Hoc ultimum non dicunt, eo quod sponte sua fateantur, primorum Patrum & Sæculorum doctrinam fuisse puram & veram doctrinam Christi. Primum ergo asserere coguntur. Quod si hoc? fateantur quoque necesse est, aut S. Petrum fuisse Apostolorum Principem & caput Ecclesiæ à Christo constitutum: aut si hoc inficiantur, se non sentire Catholice, primorumque Sæculorum & Patrum doctrinam. Ergo.

Adversariorum Objectiones.

I. IN Ecclesia non est aliud caput quam Christus: ergo Petrus non est caput Ecclesiæ à Christo constitutus, ant. p. Paulus ad Eph. c. 4. v. 15. & 16. Christum vocat caput, & Ecclesiam corpus. Item ad Rom. c. 12. v. 5. inquit: *Multi unum Corpus sumus in Christo; singuli autem alter alterius membra;* atqui si omnes fideles sunt membra; ergo nullus præter Christum est caput: ergo.

II. Christus est sponsus Ecclesiæ: sed sponsus non patitur Vicarium etiam subordinatum: ergo nec Christus patitur Vicarium etiam subordinatum.

III. Si Ecclesia præter caput quod est Christus, adhuc aliud haberet caput nempe Petrum, Ecclesia duo haberet capita: sed hoc dici nequit, alias esset monstrosa, & biceps ergo.

IV. Caput & Corpus sunt correlativa: ergo si Petrus ut Vicarius Christi posset vocari caput Ecclesiæ, Ecclesia posset appellari Corpus Petri: atqui hoc dici nequit, quia Ecclesia dicitur Corpus Christi: ergo.

V. Christus in Scripturis Psalm. 109. v. 4. Item ad Hebræ. c. 7. v. 17. vocatur Pontifex *in æternum secundum ordinem Melchisedech* : ergo præter Christum non datur alius Pontifex, seu caput Ecclesiæ etiam secundarium.

VI. Petrus, qui dicitur juxta Pontificios, caput Ecclesiæ, obiit: ergo jam desiit caput Ecclesiæ.

VII. Spiritus Sanctus, quia semper astitit & assistit Ecclesiæ, ne erret, semper fuit, & est Vicarius Christi: ergo Petrus, ejusque Successores non sunt Vicarii Christi.

VIII. Spiritus Sanctus in Scripturis dicitur missus, ut esset loco Christi in militante Ecclesia, & hanc gubernaret vices gerendo Christi: nam Joan. c. 14. v. 26. ait Christus: *Paraclitus autem Spiritus S. quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis.* Hic notanda sunt verba *in nomine meo* : quasi diceret: quem mittet Pater meum Vicarium. Item Joan. c. 16. v. 7. inquit Christus: *si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos, si autem abiero, mittam eum ad vos.* Ergo.

IX. Regimen Ecclesiæ est penes Episcopos, ceu Optimates Ecclesiasticos: ergo non penes solum Petrum ejusque Successores. ant. prob. Joan. c. 20. v. 21. Christus ait ad Apostolos: *sicut misit me Pater, & ego mitto vos:* ut sitis mei delegati juxta id Pauli 2. Corinth. c. 5. v. 20. *Pro Christo legatione fungimur.* Sed Episcopi sunt successores Apostolorum. Ergo.

X. Actor. c. 5. habetur v. 6. *Convenerunt Apostoli & Seniores videre de verbo hoc*: ad primam, quæ in Ecclesia erat orta, controversiam de legalibus observandis definiendam à communi conventu Apostolorum, & Seniorum: ergo.

XI. Actor. c. 20. v. 28. Paulus dicit: *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei;* ergo.

XII.

XII. Juxta S. Hieronymum in cap. 1. ad Titum: Ecclesiæ olim gubernabantur à Presbyteris; ergo non erat Primas seu caput.

XIII. Olim in Ecclesiis illud, quod Lucæ c. 22. v. 25. Christus mandavit: *Reges gentium dominantur eorum &c. vos autem non sic:* observabatur: ergo olim non fuit certus dominans.

XIV. Omnes Apostoli fuerunt à Christo constituti æquales in potestate: ergo Christus nullum agnovit majorem inter illos. ant. prob. S. P. August. de Agone Christiano c. 30. scribit. *Non enim sine causa inter Apostolos omnes hujus Ecclesiæ Catholicæ personam sustinet Petrus; huic enim Ecclesiæ claves Regni cælorum datæ sunt, cum Petro datæ sunt; & quod ei dicitur, ad omnes dicitur: amas me, pasce oves meas;* ergo ea, quæ committebantur Petro, omnibus Apostolis committebantur; adeoque omnes erant in potestate æquales.

XV. D. Cyprianus lib. de unitate Eccles. ita scribit: *Hoc erant utique & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi & honoris, & potestatis, sed exordium ab unitate proficiscitur, ut Ecclesia una monstretur.* Ergo.

XVI. S. Ambrosius cap. 6. Apoc. explicans illud Gen: c. 4. v. 4. *Abel obtulit de primogenitis* ita ait: *primogenita gregis sunt Apostoli, quos primos genuit Ecclesia, ex quibus Ecclesia nata est.* Atqui si Apostoli sunt primogeniti, sunt æquales; ergo.

XVII. D. Hieronymus lib. 1. Cont. Jovinin. circa medium dicit: *Ex æquo super eos* (Apostolos) *fortitudo solidatur.* Item Epist. 28. ad Damasum eandem Apostolorum æqualitatem agnoscit dicens: *ut, qui Apostolos honore sequeris, sequaris & merito.* Ergo.

XVIII. Ex Præfatione Missæ in festis Apostolorum habetur: *ut iisdem Rectoribus.* (Ecclesia) *gubernetur, quos operis tui Vicarios eidem contulisti, præesse Pastores.* Ergo.

XIX. Reliqui Apoſtoli Actor. c. 8. v. 14. miſerunt Petrum cum Joanne in Samariam. Item Actor. c. 11. Accuſatus Petrus, quod ad gentes ingreſſus ſit, reſpondet, & reddit rationem: ergo Petrus non eſt major cæteris Apoſtolis, nec primatum ſuper illos habet.

XX. Petrus fuit reprehenſus à Paulo ad Galat. c. 2. v. 11. dicente: *In faciem ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat.* Ergo.

XXI. S. Ambroſius in citatum c. 2. ad Galat. ſcribens, dicit de Paulo: *reſtitit ei* (Petro) *ut par*: Ergo Petrus non erat ſuperior Pauli.

XXII. S. Paulus in cit. c. 2. ad Galat. v. 5. ſcribit: *Quibus neque ad horam ceſſimus ſubjectione*: ergo.

XXIII. S. Paulus in eodem c. 2. ad Galat. v. 6. loquens de primariis veris Apoſtolis, Petro, Joanne, & Jacobo ait: *Mihi, qui videbantur eſſe aliquid, nihil contulerunt*: ergo nec Paulus veris Apoſtolis ceſſiſſet ſubjectione. Hinc Gloſſa Auguſtini ita habet: *qui videbantur eſſe aliquid, ſcilicet Petrus, & qui cum Domino fuerant, nihil addiderunt mihi; in quo apparet quod illis inferior non ego ſum, qui ita à Domino perfectus ſum, ut nihil eſſet, quod in collatione perfectionis adderet.*

XXIV. S. Paulus cit. c. 2. ad Galat. v. 7. ait: *Cum vidiſſent, quod creditum eſt mihi Evangelium præputii, ſicut & Petro circumciſionis; qui enim operatus eſt Petro in Apoſtolatum circumciſionis; operatus eſt & mihi inter gentes*: ergo Paulus à Chriſto eandem quam Petrus accepit poteſtatem. Conſeq. prob. Ex hoc textu eruitur, quod Petrus ſolum fuerit *Apoſtolus circumciſionis*, ſeu Judæorum, & Paulus *Apoſtolus gentium*: ſed ſi ſic, ergo Petrus non fuit Apoſtolorum Primas, nec univerſalis Paſtor Eccleſiæ. Ergo.

XXV. Plures è SS. Patribus aſſerunt, Petrum & Paulum fuiſſe æquales; imo aliqui quoque dicunt, Paulum fuiſſe majorem: ergo.

XXVI.

XXVI. Origenes lib. 1. Contra celsum. appellat Paulum *fundatorem Ecclesiarum post Christum præcipuum* : Ergo eruitur Paulum fuisse majorem Petro.

XXVII. S. Ambrosius lib. de Spiritu S. in fine ait: *Una gratia fulgebat in his, quos Spiritus unus elegerat. Neque Paulus inferior Petro, quamvis ille Ecclesiæ fundamentum, & hic sapiens Architectus, sciens vestigia credentium fundare populorum. Neque Paulus indignus Apostolorum collegio, cum primo facile conferendus, & nulli secundus.* Ergo.

XXVIII. Paulus, ut expresse fatetur ipsemet ad Gal. c. 1. v. 12. Suum Evangelium & Apostolatum non accepit à Petro, sed immediate à Christo: ergo Paulus non fuit sub jurisdictione Petri; ergo.

XXIX. S. Paulus 2. ad Corinth. c. 11. v. 28. ait: *Instantia mea quotidiana sollicitudo omnium Ecclesiarum.* Ergo Paulus est Pastor universalis, sicut est Petrus.

XXX. S. Paulus fuit Urbis Romæ Episcopus: atqui juxta Pontificios Urbis Romæ Episcopus est totius orbis summus Pastor: ergo. maj. prob. Epiphanius Hæres. 27. ait: *In Roma fuerunt Primi Petrus & Paulus Apostoli iisdem ac Episcopi.* Et infra: *Episcoporum in Roma successio hanc consequentiam habuit: Petrus, & Paulus, Linus, Cletus, Clemens* &c. Item Leo in serm. 1. de SS. Petro & Paulo ait: *Isti sunt Patres tui, verique Pastores*. Ergo.

XXXI. SS. Patres unam faciunt Petro & Paulo sedem: atqui unam sedem facit Episcopalis dignitas, non unitas laboris: ergo Petrus & Paulus ponuntur inter Episcopos Romanos jure Regiminis, non laboris, maj. prob. Adrianus II. Epist. 1. ad Basilium Augustum ait: *Precamur, ut eos ob amorem præcipuorum Apostolorum Petri & Pauli, à quorum sede mittuntur, benigne suscipias.* Item in alia Epistola ad eundem inquit: *Principum Apostolorum, à quorum sede remittitur.* Et ad concilium loquitur: *Pro veneratione Apostolorum, pro privilegiis defendendæ sedis ipsorum.*

S. Petrus Damianus opusc. 31. dicit: *Romana Ecclesia sedes est Apostolorum, utique Petri & Pauli.* Ergo.

XXXII. S. Paulus refertur Petro dignitate æqualis: ergo. ant. prob. S. Chrysost. in c. 2. ad Galat. ait: *Non se comparat Paulus aliis Apostolis, sed eorum capiti, ostendens eandem dignitatem utrique collatam fuisse.* S. Chrysologus serm. 6. in Psal. 99. Petrum Pauli collegam vocat. S. Leo serm. 1. de SS. Apost. ait. Paulus est consors gloriæ Petri. Et S. Gregorius lib. 3. Dialog. c. 12. inquit: *Paulus Apostolus Petro Apostolorum in Principatu Apostolico Frater.* Ergo.

XXXIII. Paulus non est minor Petro: sed particula negativa, nempe *non* distribuit omnia, quæ post se invenit: ergo in Paulo respectu Petri negatur minoritas quoad omnia. maj. prob. S. Ambrosius lib. 2. de Spiritu S. ait: *Nec Paulus inferior Petro; cum primo facile conferendus, & nulli secundus: nam qui se imparem nescit, facit æqualem.* Theodor. in c. 11. 2. ad Corinth. inquit: *Paulus non erat minor Petro.* S. Hieron. in c. 2. ad Galat. tractans illud Pauli, contulisse scilicet Evangelium cum Petro & Jacobo & Joanne, ait: *Inter conferentes æqualitas est.* Ergo.

XXXIV. Paulus totum orbem, universasque rexit Ecclesias affirmante S. Chrysostomo Hom. 18. in Epist. ad Roman. his verbis: *Christus S. Paulo omnem Evangelii prædicationem, omnia universa mundi negotia, mysteria sua, omnem denique Ecclesiæ administrationem concedit.* Item S. Petro Damiani opusc. 31. c. 4. his verbis: *Quandam, si dici liceat, cum Christo similitudinem Paulus tenet, dum non uni duntaxat Ecclesiæ, sed omnibus præsidet.* Et infra, *Plane ipse toto terrarum orbe universalem fundavit Ecclesiam.* Ergo.

XXXV. Paulus ita gubernavit orbem universum, ut in omnibus primatum habuerit, ut dicit S. Ambrosius in c. 2. ad Galat. cujus verba sunt: *Gratiam Primatus sibi soli* (Paulo) *vendicat concessam à Deo, sicut & soli Petro concessa est inter Apostolos:* ergo.

XXXVI.

XXXVI. Paulus æque est Petra, super quam universa fundatur Ecclesia, sicut Petrus: nam Oecumenica VIII. Synodus ad Adrianum II. scribens habet: *Christus olim quidem illustrem, & præcipuam operatus est vestram magnam civitatem Romanam per eos sanctos lapides, qui ab oriente ad eam devoluti sunt, Petrum ajo & Paulum, eximiam ac principalem Apostolorum summitatem.* Hinc sicut Petro mutavit nomen, ita & Paulo, quod factum asserit Chrysostomus Hom. 1. in Epist. ad Rom. his verbis: *Ut eandem, quam habebat Petrus caput Apostolorum super eos prærogativam, & ipse haberet.* Ergo.

XXXVII. Paulus æque ac Petrus claves accepit, dicente Chrysostomo Hom. 7. in epist. ad Ephes. *Petrum & Paulum ipsas cæli & terræ claves hæreditate accepisse.* Quod & S. Gregor. in orat. vigil. Apostol. Petri & Pauli indicat. Item S. Laurentius Justin. serm. de Apost. Ergo.

XXXVIII. Romani Pontifices dicuntur Vicarii Petri & Pauli, ut docet Adrianus I. ad Constant. & Helenam Imp. Epist. *Papæ Petri & Pauli Vicarii, eorumque throni successores dicuntur.* Imo Patres Petrum insimul & Paulum vocant Principes Apostolorum, duos duces, duo magna Ecclesiæ luminaria, duas bases Ecclesiæ, duo culmina Apostolorum, &c. Item Romani Pontifices in majoribus causis acta exercent auctoritate Petri & Pauli. Item in picturis Paulus à dextris & Petrus à sinistris depictus videtur. Ergo Paulus eadem cum Petro pollet dignitate & potestate.

XXXIX. Petrus & Paulus fuerunt vera Ecclesiæ capita, ut tradit S. Cyrilus Jerosolim. catechesi 6. Illuminatorum: *Duo Capita Ecclesiæ Petrus & Paulus.* Item S. Nazianzenus orat. 1 *Primus post Christum Paulus.* Item ut apud Clementem lib. 7. Constit. c. 46. legitur, Linus Claudiæ filius Romanorum Episcopus à Paulo est constitutus. Ergo.

XL. S. Paulus 1. ad Corinth. c. 3. v. 11. dicit: *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est Christus*

Jesus. Ergo quando Christus dixit: *super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*,. dese ipso locutus est Ergo Christus non Petrus Ecclesiæ primatum habet.

XLI. S. P. Augustinus serm. 13. de verb. Dom. & tractatu ult. in Joan. aperte fatetur, Petram hanc esse Christum his verbis: *Super hanc Petram, quam, confessus es, ædificabo Ecclesiam meam.* Ergo lij *Petra* non potest accipi pro Petro.

XLII. Etiam alii Apostoli dicuntur Ecclesiæ fundamentum, sic ad Ephes. c. 2. v. 20. habetur: *superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum.* Et Apocal. c. 21. v. 14. *Et murus civitatis habens fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni.* Et Psal. 86. v. 1. *Fundamenta ejus in montibus sanctis*, id est in Apostolis & Prophetis interprete S. Hieronymo lib. 1. Cont. Jovin. c. 14. Ergo.

XLIII. Non bene infertur: supra Petrum est ædificata Ecclesia: ergo Petrus est Rector eiusdem: sicut nulla est hæc illatio: supra fidem est ædificata Ecclesia: ergo fides est Rector Ecclesiæ. Ergo. Ita argumentatur Lutherus.

XLIV. Illi dictum est, *Tibi dabo claves Regni cælorum*, qui Divinitatem Filii est confessus, *Tu es Christus Filius Dei vivi*: Sed Petrus nomine omnium confessus est Divinitatem: ergo omnibus promisit Christus claves. min. prob. Responsio interrogationi correspondet: sed omnes Apostoli fuerunt interrogati: *Vos autem quem me esse dicitis?* ergo omnium fuit responsio: ergo.

XLV. Quod narrat Matthæus c. 16. hoc describit Joannes c. 6. Atqui Joannes Petrum omnium nomine respondisse declarat v. 70. *Et nos credimus, & cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei:* ergo etiam apud Matthæum nomine omnium Petrus respondit.

XLVI. Si Petri Confessio non fuisset communis, expectanda fuisset aliorum responsio, cum fuerit interrogatio communis;

nis; ſicut quia Matth. c. 16. v. 33. & ſeqq. omnibus prædixit ſcandalizandos, & Petrus in perſona propria reſpondit: *ego nunquam Scandalizabor*: ſubditur: *Similiter & omnes diſcipuli dixerunt*: cum ergo nulla aliorum confeſſio habeatur, palam eſt, unum Petrum pro omnibus confeſſum eſſe: ergo.

XLVII. Si Petrus omnium nomine non fuiſſet confeſſus, Chriſtus non dixiſſet omnibus, ne ipſum manifeſtarent; atqui *tunc præcepit diſcipulis ſuis, ut nemini dicerent, quia ipſe eſſet Jeſus Chriſtus*: ergo ſignum eſt nomine omnium reſpondiſſe.

XLVIII. Chriſtus Marci c. 13. v. 37. ait: *quod autem vobis dico, omnibus dico*; ergo clare infertur, quæ uni Apoſtolo dicta ſunt, fore omnibus dicta: ergo cum dixit Petro: *Tibi dabo claves*: omnibus dixit: ergo & confeſſio Petri erat omnium.

XLIX. Ss. Patres Chryſoſtomus, Hieronymus in dictum locum, & S. P. Auguſtinus Serm. 13. de verb. Dom. Lyranus, Gloſſa ordinaria, & interlinearis affirmant, Petrum fore omnium nomine locutum: ergo & retributio ipſi facta ad omnes extenditur. Ergo.

L. Chriſtus claves promiſit Petro tanquam figuræ Eccleſiæ: ergo Petro non promiſit Primatum. ant prob. Chriſtus Petro promiſit claves, non quidem ut eſt filius Jonæ, ſed ut cæleſtis Patris auditor eſt; *Beatus es Simon Bar-jona, quia caro & ſanquis non revelavit tibi, ſed Pater meus*; atqui de nullo certo homine nobis innoteſcit clare, ipſum eſſe Cœleſtis Patris auditorem: econtra compertiſſimum eſt, Eccleſiam Patrem revelantem audire: ergo.

LI. Si Chriſtus Petro ut ſingulari perſonæ claves contuliſſet, poſt commendationem non eum à ſe repuliſſet; ſicut enim Eccleſiam non repellit, ita neque caput: atqui Petrum immediate repulit Matth. c. 16. v. 23. *Vade poſt me Satana*: ergo non contulit Petro claves, niſi ut auditori, Patris Eccleſiæque typo.

LII. Habens Claves debet ſapere, quæ Dei ſunt, permanenter, quia claves continent doctrinam fidei, & adverſus eam non prævalent portæ inferi: atqui Petrus non ſapit permanenter, quæ Dei ſunt, cum ei Chriſtus dixerit, *quia non ſapis ea, quæ Dei ſunt:* & paulo poſt ter Dominum negavit: ergo Petrus non accepit claves in perſona ſua, ſed ut perſonam Eccleſiæ repræſentans.

LIII. Illi claves contulit Chriſtus, à quo illas accipit Succeſſor Petri: ſed ille accipit ab Eccleſia: ergo claves Chriſtus dedit Eccleſiæ & non Petro in propria perſona, ſed ut figura Eccleſiæ. min. prob. Succeſſor Petri, dum inauguratur, vel habet claves vel non? Si habet, ergo ante electionem eſt Pontifex: ſi non habet, ergo ab alio accipit: ſed non eſt, qui dare poſſit niſi Eccleſia: ergo ab ea accipit.

LIV. Vel ſede vacante Eccleſia habet claves vel non? ſi habet, ergo Eccleſiæ datæ ſunt, & ab Eccleſia recipit Papa. Si non habet, ergo eſt fallibilis, & tunc temporis portæ inferi poſſunt adverſus eam prævalere.

LV. Hoc argumentum valet: *quia Abraham credidit, reputatum eſt illi ad juſtitiam* ad Rom. c. 4. v. 3. ergo omni credenti fides reputatur ad juſtitiam; ergo etiam valebit hoc argumentum; quia Petrus confeſſus eſt Chriſtum, & Patrem audivit, recepit claves: ergo omnis Chriſtum confitens, & Patrem audiens easdem recipit; atqui omnis credens eſt Eccleſia, non enim pro comperto eſt, num hic vel ille certo credat: ergo.

LVI. S. P. Auguſtinus Tract. 124. in Joan. dicit: *Sed quando ei dictum eſt, tibi dabo claves Regni cælorum, univerſam ſignificabat Eccleſiam.* Quod pariter docet Tract. 50. Item lib. 1. de doctr. Chriſt. c. 18. Item lib. de Agone Chriſtiano c. 30. Item in Pſal. 108. ubi ita Petrum vult Eccleſiæ figuram referre, ſicut Judam impiorum Perſonam gerere. Ergo.

LVII.

LVII. Si Christus Petro primatum contulisset, Apostoli inde non dubitassent, quis inter eos esset major: quod enim Petro jam dixerat Christus, ipsimet omnes Apostoli audierant; atqui Apostoli dubitarunt, & ideo dicitur Lucæ c. 22. v. 24. *Facta est contentio inter eos, quis eorum videretur esse major?* Ergo. Præterea ut contentionem dirimeret Christus, facile respondere potuisset, Petrum esse majorem: & tamen sic non respondit, sed eos increpavit subdens: *qui major est in vobis, fiat sicut minor.* Ergo.

LVIII. Claves à Christo datæ nil aliud denotant, quam potestatem ligandi & solvendi; solvere & ligare autem nihil aliud est, quam potestas annuntiandi Evangelium, & secundum illud docendi, remissionem peccatorum esse beneficium Dei, retentionem vero esse pænam; cum ergo liceat omnibus Evangelium enuntiare, omnes remittere peccata possunt, adeoque omnes esse Sacerdotes: etiam claves omnibus sunt communes. Ita argumentantur Novatores Calvini. Quam doctrinam suam falsam confirmare putant ex illo Pauli 2. ad Corinth. c. 5. v. 15. *Posuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortandæ per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo:* ergo.

LIX. Actor. c. 10. dubitat Petrus: an liceat evangelizare gentibus? v. 17. *Et dum intra se hæsitaret Petrus:* hæsitatio in ipso exorta erat, quia illis evangelizaverat; hinc c. 11. v. 3. reprehenditur: *quare introisti ad viros præputium habentes?* Ergo ad ejus ovile non pertinebant gentiles.

LX. Universalis Ecclesia ex Agnis & hædis, ex hircis & ovibus, ex grano & palea coalescit; atqui Petro hæc omnia non fuerunt commendata: solum enim dictum est ei, *pasce oves meas:* oves porro soli sunt electi juxta illud Joan. c. 10. v. 27. *Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me; & ego vitam æternam do eis.* Ergo Christus Petro non commendavit universam Ecclesiam.

LXI.

LXI. Petro, quia Christum diligebat, dictum fuit, *Pasce oves meas*: ergo si ex hoc constitutus fuit universalis Ecclesiæ Pastor, jam palam fit, in Petro cessante charitate pastoralem quoque cessasse dignitatem; atqui Petrus pluries à charitate excidit: ergo etiam à Primatu. min. constat ex trina negatione Petri.

LXII. Non constat, Petrum in reliquos Apostolos ullam exercuisse potestatem: ergo Petrus non fuit Apostolorum Primas: quia alioquin solus Petrus Mathiam instituisset Apostolum, & non omnes Apostoli pro ista electione dedissent sortes, ut habetur Actor. c. 1. v. ult. Item alias non omnes duodecim Actor. c. 6. elegissent septem Diaconos. Alioquin à solo Petro, & non in pleno Concilio, & ab omnibus Actor. c. 15. fuisset decisa controversia de legalibus adeo, ut Jacobus v. 19. dixerit: *ego judico*. Ergo.

LXIII. Christus omnes Apostolos eodem modo allocutus est Matth. c. 18. v. 18: *Quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo, & quæcunque solveritis super terram erunt soluta & in cælo*; sicut allocutus est Petrum, Matth. c. 16. v. 19. *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cælis.* ipsi termini utrobique non discriminantur: ergo omnes Apostoli cum Petro æqualiter acceperunt claves Regni cælorum.

SOLUTIONES AD OBJECTA.

AD I. Neg. ant. ad prob. conc. ant. neg. conseq. Quamvis enim Christus dicatur caput Ecclesiæ Principale, primarium, & nunc invisibile, quodque mysticis membris interius influat gratiam, nihilominus tamen admitti debet adhuc aliud Ecclesiæ caput, scilicet ministeriale, secundarium, subordinatum, & visibile, quodque Ecclesiam solum exterius gubernet: &

& tale eſt D. Petrus, poſt ipſum Pontifices Succeſſores. Omnes etiam fideles, etiam Petrus Vicarius Chriſti qua fidelis cum reliquis fidelibus conſtituit unum corpus myſticum, & à Chriſto recipit influxum fidei, & gratiæ, & ſic ſpectatus Petrus non eſt caput, ſed membrum Eccleſiæ; quoad gubernationem autem externam, & viſibilem, Petrus eſt caput gerens vices Chriſti in externa Eccleſiæ gubernatione, adeoque Chriſtus eſt caput Eccleſiæ primarium, & nunc inviſibile, Petrus vero eſt caput Eccleſiæ ſecundarium, miniſteriale, viſibile, ac Chriſto Eccleſiam inviſibiliter regenti ſubordinatum.

Ad II. Conc. maj. diſt. min. in phyſicis deſponſationibus, conc. min. in moralibus neg. min. & conſeq. ſic corpus myſticum, & morale v. g. Regnum, poteſt habere duo capita myſtica, unum primarium & principale, ſcilicet Regem: & alterum ſecundarium, miniſteriale, & ſubordinatum, ſcilicet Pro-Regem. Ergo etiam

Ad III. Diſt. maj. Eccleſia duo haberet capita diverſi ordinis & dignitatis, unum principale & inviſibile, alterum ſecundarium, ſubordinatum, & viſibile, conc. maj. duo haberet capita ejusdem ordinis & dignitatis, neg. maj. & ſic diſt. min. neg. conſeq. Solutio ex dictis patet.

Ad IV. Diſt. ant. Caput primarium & corpus ſunt correlativa, ſeu poſſunt ad ſe invicem dici, Conc. ant. caput ſecundarium & corpus ſunt neceſſario correlativa, neg. ant. Eccleſia ergo dicitur non corpus Petri, ſed Chriſti: ſicut Regnum non dicitur Vicarii, ſive Pro-Regis eſſe, ſed Regis ſolùm.

Ad V. Neg. conſeq. Nam Apoſtolus cit. loco ideo ſolum addidit *in æternum*, ut oſtenderet differentiam inter Sacerdotem ſeu Pontificem veteris, & inter Sacerdotem ſeu Pontificem novi teſtamenti; quæ differentia pro præſenti caſu duplex eſt: 1. quod Pontifex veteris teſtamenti fuerit mortalis; Chriſtus vero juxta Apoſtolum ad Rom. c. 6. *jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur*, ſed manet in æternum. 2. Quod Pon-

tifex veteris testamenti, dum moriebatur, indiguerit successore; Christus vero quia amplius non moritur, non indiget successore; nec ullus Catholicorum unquam dicit, quod Petrus fuerit, aut Papa sit successor Christi, sed Vicarius Christi: Vicarius autem distinquitur à Successore, quod hic alteri defuncto succedat cum pari potestate: Vicarius autem non habeat parem cum eo, cujus est Vicarius, potestatem, cum Vicarii potestas sit delegata, non principalis. Et instatur contra Novatores: Christus dicitur Sacerdos in æternum: ergo in Ecclesia non datur alius Sacerdos præter Christum ? quod certo Novatores non admittunt. Ergo etiam.

Ad VI. Neg. conseq. Nam obiit & Christus: ast hic & Petrus vivunt in Romanis Pontificibus, qui sunt Successores Petri, & Vicarii Christi.

Ad VII. Neg. ant. quod sapit hæresim Macedonii: nam Vicarius proprie talis est inferior, ac minor eo, cujus est Vicarius: eo quod Vicarii potestas sit delegata, adeoque minor potestate principalis. Ob quam rationem Calvinistæ errorem Calvini sui Magistri, qui, Christum esse Vicarium Dei Patris, scripsit, palliaturi, id scriptum interpretantur de Christo qua homine, qua ratione est minor Patre. Si ergo Spiritus S. esset Vicarius Christi esset minor Christo: ergo non foret Deus, quod est aperte Hæresis Macedonii.

Ad VIII. Spiritum S. quidem fuisse missum, sed non ut Vicarium Christi, neqve ut vices illius gereret, sed ut tanquam Magister principalis & primarius Apostolos doceret ea, quæ Christus illis de sua passione, resurrectione aliisque mysteriis dixerat, & ipsi non plene intellexerant, ut habetur Lucæ. 18. v. 34. Ad additum *in nomine meo*: dico, illam expositionem esse falsam: sed illud *in nomine meo* additum est ideo, ut intelligeretur, quod Spiritus S. missus sit in gloriam nominis Christi secundum id, quod ipse Salvator Joan. c. 16. v. 14. dicit: *Ille*

me

me glorificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Vel ideo, ut intelligeretur, Christum nobis Spiritus S. missionem promeruisse, ut ita illud *in nomine meo* idem sit, ac *per merita mea.* Primum docet Teophylactus: alterum Toleto cum aliis.

Ad IX. Quamvis Christus omnes Apostolos miserit ut suos delegatos, Petrum tamen cæteris prætulit, & eorum Pastorem, ac caput constituit. unde illud *sicut* est accipiendum in sensu accomodo: si enim faceret omnimodam paritatem, sequeretur, quod Apostoli sint missi ad redimendum genus humanum, & ad patiendum & satisfaciendum pro peccatis hominum, sicut Christus ad eum finem missus est à Patre.

Ad X. Citatum locum nequaquam obesse, quominus supremus Princeps non possit alios sibi subordinatos adhibere in consilium, & sic Comuni sensu aliquid decernere. Imo cit. loc. dicitur: *Surgens Petrus dixit ad eos: viri fratres, vos scitis* &c. dicitur *surgens Petrus*, ut ejus super cæteros eminentia denotetur. Audiatur desuper S. Hieron. epist. 89. quæ est 11. inter Epistolas S. P. Augustini. c. 3. dicens: *Surgens quasi Princeps Apostolorum, & Primas Ecclesiæ, qui audita disceptatione in utramque partem, primus quasi Judex desinivit, cujus sententiam mox secutus est S. Jacobus* (etsi hic foret Episcopus Jerolymitanus) *& reliqui omnes.* Nec obstat, quod Petrus in publico Apostolorum conventu mentem suam, & sententiam dixerit; id enim sat usitatum est in Regnis & Imperiis, ubi Rex aut Imperator aliquid statuit in publicis comitiis.

Ad XI. Supremum Episcopum & Principem posse habere alios Episcopos sibi subordinatos, per quos ea, quæ ipse propter negotiorum multitudinem, aut loci distantiam per se non potest, exequatur. Unde Apostolus loc. cit. solum Episcopos hortatur, ut suas Ecclesias particulares, & oves sibi concreditas debite pascant, & regant: non autem intendit Episcopis supremam adscribere universalis Ecclesiæ potestatem. Eodem mo-

modo explicandus eſt S. Petrus, dum in ſua 1. epiſt. c. 5. v. 1. & 2. ait. *Seniores, qui in vobis ſunt, obſecro conſenior, paſcite, qui in vobis eſt, gregem Dei.* His enim verbis ſolum monet Seniores, id eſt, Presbyteros & Epiſcopos, ut erga greges ſuos ſtrenue fungantur munere paſtorali. Porro quod D. Petrus loc. cit. ſe *Conſeniorem*, vel ut textus habet Syriacus, *Presbyterum & ſocium* ſeniorum, aut ut epiſt. 85. S. Hieronymus legit, *conpresbyterum* nominaverit, per id ſe non voluit oſtendere æqualem iſtis Senioribus, ſed id fecit modeſtiæ cauſa; in quo illum poſtea in ſuis Epiſtolis, ac Bullis ſecuti ſunt ſummi Pontifices, qui in iis ſe *Fratres* & Coepiſcopos appellant; quia licet illis ſuperiores ſint jurisdictione, poteſtate tamen ordinis Epiſcopalis ſunt illis pares.

Ad XII. D. Hieronymum non loqui de Eccleſia univerſali, ſeu per totum orbem diffuſa, ſed de Eccleſiis particularibus, & quidem non de omnibus, ſed ſolum de quibusdam. 2. diſt. ant. Eccleſiæ olim à presbyteris gubernabantur, conſulendo, conc. ant. ſtatuendo vel imperando, neg. ant. Ita enim habet textus Hieronymi: *Antequam diaboli inſtinctu ſtudia partialitatis in Religione fierent, & diceretur: ego ſum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, communi Presbyterorum conſilio Eccleſiæ gubernabantur.* 3. Valde mirabiles eſſe Proteſtantes, dum enim nos iis objicimus SS. Patres, rejiciunt illos dicendo: *Patres homines ſunt, adeoque mendaces;* quando vero illi contra nos Patres producunt, volunt, ut victas demus manus. Sed cur Sectarii in ſui erroris favorem proferunt SS. Patres? reſpondet Commonitorio 1. c. 12. Vincentius Lirinenſis his verbis: *Cum ſub alieno nomine Hæreſin concinnare machinentur, captare plerumque ſolent veteris alicujus viri ſcripta paulo involutius edita, quæ pro ipſa ſua obſcuritate dogmati ſuo quaſi congruant, ut illo, neſcio quid, quodcunque proferunt, neque primi, neque ſoli ſentire videantur.*

Dices

Dices: Si Cephas fuit Primas, & fundamentum Ecclesiæ universalis, quilibet potuisset olim dicere: *Ego sum Cephæ*, at hoc prohibuit S. Paulus 1. Corinth. c. 1. v. 12. Ergo. ℞. S Paulum ibi solum prohibere divisiones, & voluisse, unumquemque debere ut caput & fundamentum primarium agnoscere Christum. Quare ibidem v. 13. ait: *Numquid in nomine Pauli baptizati estis?*

Ad XIII. Neg. conseq. Nam ille textus observabatur secundum suum sensum legitimum, qui non est, quasi in Ecclesia non debeat esse major, cum in eodem cap. v. 26. Christus majoritatem in Ecclesia agnoverit dicendo: *qui major est in vobis* &c. sed solum Christus voluit præcipere humilitatem ac modestiam, & prohibere, ne Prælatus superbum in alios exerceat dominatum.

Ad XIV. dist. ant. fuerunt æquales in aliqua potestate, scilicet in potestate prædicandi Evangelium, baptizandi, fundandi Ecclesias, &c. conc. ant. in potestate suprema, & capitis, neg. ant. Ad S. P. Augustinum ℞. tametsi hæc verba proprie & principaliter ad ipsum Petrum pertineant, utpote ei soli à Christo dicta: omnibus tamen Episcopis & Pastoribus quodammodo accomodari posse, quia videlicet omnes, qui in partem solicitudinis à Petro vocantur, Petri formam in pascendo grege imitari debent & exemplum; quod ergo summo Pastori dicitur, id etiam suo modo, & servata proportione aliis minoribus Pastoribus dicitur, sed non in æquali gradu.

Ad XV. Omnes Apostolos Petro fuisse æquales, priusquam Petrus per illa verba: *pasce oves meas*: accepisset Ecclesiæ Præfecturam: hac autem accepta, Petrus fuit aliis superior, ut patet ex ipsis verbis Cypriani: *exordium ab unitate proficiscitur* &c. Nam S. Cypriani intentum loc. cit. erat, explicare, quomodo dæmon jam per Schismata & hæreses Christianos in suas partes trahere adlaboret, ad quæ eos facile etiam perduceret, nisi esset unum, cui cæteri parerent, Ecclesiæ caput con-

ſtitutum. Unde infert S. Cyprianus, quod multi ad hæreſim & Schisma deflectant, *eo ſit fratres dilectiſſimi, dum ad veritatis originem non reditur, nec caput quæritur, nec Magiſtri doctrina ſervatur.*

Ad XVI. Aliqui dicunt, illum commentarium in Geneſin non eſſe D. Ambroſii. Præterea Apoſtoli dicuntur omnes Primogeniti Eccleſiæ, quia omnes à Chriſto ſunt vocati, & Apoſtoli Eccleſiæ conſtituti, quam Chriſtus primo fundavit: per hoc tamen non ſequitur, quod Petrus cæteris Apoſtolis non præemineat, poſtquam Chriſtus Petro dedit præfecturam Eccleſiæ: *Paſce oves meas.*

Ad XVII. S. Hieronymum ibi Petrum & Joannem inter ſe conferre, & ut doceat, virginitatem matrimonio eſſe præferendam (quod Jovinianus negabat) aſſerere, Joannem ratione virginitatis à Chriſto magis fuiſſe dilectum quam Petrum, qui fuerat conjugatus: ubi S. Hieronymus hoc ſibi argumentum objicit: *At dicis* Joviniane, *ſuper Petrum fundatur Eccleſia.* Ad quam objectionem reſpondet Hieronymus: *Licet idipſum in alio loco ſuper omnes Apoſtolos fiat.* (ſcilicet ad Epheſ. c. 2. v. 20 ubi omnes Apoſtoli Eccleſiæ *fundamenta* vocantur) *& cuncti claves Regni cœlorum* Matth. c. 18. v. 18. *accipiant, & ex æquo ſuper eos Eccleſiæ fortitudo ſolidetur, tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite conſtituto Schismatis tollatur occaſio.* Quibus verbis, *ut capite conſtituto* &c. D. Hieronymus innuit 1. iſtud *ex æquo* non eſſe idem ac *æqualiter*, quia Petra ac fundamentorum caput plus faciunt ad fabricam, quam reliqua fundamenta. 2. Per ea verba docet, Petrum non pro ſua tantum perſona fuiſſe electum, ſed etiam pro ſuis Succeſſoribus, cum Eccleſia univerſalis nunc Proteſtantibus graſſantibus maxime cavere debeat Schismata, & ulteriores hæreſes. Quod autem Joannes non fuerit electus caput Eccleſiæ D. Hieronymus rationem ibi reddit his verbis: *Ætati delatum eſt, quia Petrus Senior.*

nior erat; ne Joannes adhuc adolescens ac pene puer progressis ætate hominibus præferretur. Alter textus S. Hieronymi est intelligendus, quod optet, ut, sicut Damasus successit Apostolis in honore, ita iis quoque succedat in virtute & merito.

Ad XVIII. In virtute & merito nunc omnes Apostolos esse Rectores, Vicarios, & Pastores Ecclesiæ, non vero Jurisdictione. Præterea D. Paulus dicitur Princeps, Rector, Vicarius & Pastor ob Magisterium prædicationis, & tanquam universalis legatus, qui solicitudinem habuit omnium Ecclesiarum, & tanquam principalis Petri adjutor Evangelium etiam Romæ prædicans, & suo sanquine ibi confirmans; non vero ob plenitudinem potestatis, Primatus, & jurisdictionis, hoc enim modo solus D. Petrus est Rector, Vicarius, & Pastor Ecclesiæ.

Ad XIX. dist. ant. miserunt imperative: & Petrus de jure, & vi subordinationis respondit, & dedit rationem, neg. ant. miserunt consultive, & suasive ac missione charitativa, & Petrus respondit, ac dedit rationem motu proprio, conc. ant. neg. conseq. Missio ergo ex se non dicit inferioritatem: alias nec Petrus cæteris Apostolis fuisset æqualis sed inferior: imo Pater æternus esset major filio, & uterque Spiritu S. nam sæpius à tota communitate mittitur superior, & caput utpote majoris authoritatis & experimenti in rebus & negotiis gerendis: quo pacto legimus Josue c. 22. v. 13. filios Israel ad Rubenitas misisse *Phinees filium Eleazari Sacerdotem*, tametsi Phinees fuerit Sacerdos & Præpositus domus. Et si major ac superior de facto det rationem inferiori, est officium boni Pastoris, ut ipse Petrus epistola sua dicit c. 3.

Ad XX. dist. ant. Petrus fuit reprehensus à Paulo per correctionem judiciariam, quæ jurisdictionem requirit, neg. ant. per correctionem fraternam & charitativam, conc. ant. S. Thom. 2.2. q. 33. à. 3. docet: aliam esse correctionem justitiæ, & aliam charitatis: prima est, qua superior ex officio admonet, redarguit,

guit, punit delinquentes ſubditos: ſecunda eſt, dum etiam inferior per ſimplicem charitatem admonitione & correctione emendat ſuperiorem, ſervato tamen reſpectu: quo ſenſu Paulus correxit Petrum non errantem in aliquo articulo fidei, ſed in facto incaute ſimulando Judaismum cum aliquo Scandalo gentium: ut S. P. Auguſt. epiſt. 19. nunc. 82. ad Hieronymum ſcribit. Item S. Cyprianus epiſt. 17. ad Quintum. & S. Greg. Mag. hom. 18. in Ezech. Et nunquid 2. Reg. c. 19. v. 5. legimus Davidem à Joabo, Regem à ſubdito fuiſſe reprehenſum? Ita hoc & docuit S. Paulus ad Coloſſ. c. 4. v. 17.

Ad XXI. Expl. ant. ſub diſt. Reſtitit ei *ut par* quantum ad fidei & morum defenſionem, conc. ant. *ut par* in Regimine totius Eccleſiæ, neg. ant. quia quoad hoc Paulus fuit ſubditus Petro.

Ad XXII. Expl. ant. ſub diſt. quibus falſis fratribus & Pſevdo-Apoſtolis (ut ibidem v. 4. legitur) qui volebant nos legi circumciſionis ſubjicere, neque ad horam ceſſimus, conc. ant. Quibus Petro, aliisque Apoſtolis veris, neg. ant. & conſeq.

Ad XXIII. S. Paulum per id non ſignificare, ſe non fuiſſe inferiorem Petro, ſed tantum voluiſſe, ſe inſtar aliorum Apoſtolorum doctrinam ſuam, & Evangelium immediate accepiſſe à Chriſto, ut c. 1. ad Galat. v. 12. innuit. Et ſic etiam explicatur Gloſſa Auguſtini.

Dices: S. Paulus 2. Corinth. c. 11. v. 5. inquit: *Exiſtimo, nihil me minus feciſſe à magnis Apoſtolis*: ergo infert Beza inſignis Calviniſta, Paulus in nullo eſt inferior magnis Apoſtolis, ergo nec Petro. ℞. S. Paulum hoc loco non agere de primatu & auctoritate, ſed tantum voluiſſe ſignificare, ſe in nullo eorum, quæ ibidem v. 4. præcedente, & v. 22. & ſeqq. enumerat, cedere ulli, nempe in prædicatione Chriſti, in donatione ſpiritus, in ſinceritate Evangelii, in laboribus, & in gratiis Apoſto-

ſtolicis. Eodem modo & illud, quod 2. Corinth. c. 12. v. 11 dicit: *Nihil minus fui ab iis qui ſunt ſupra modum Apoſtoli:* intelligendum eſt, nihil minus ſui in Apoſtolatu, Apoſtolicis laboribus, gratiis, paſſionibus. Unde etiam D. Paulus antonomaſtice appellatur *Apoſtolus*, non quod fuerit Apoſtolorum Primas, ſed ideo, quia nobis plura ſcripta reliquit, & in Evangelii prædicatione, quæ eſt proprium Apoſtolorum officium, aliis plus laboravit, ut ipſe ait 1. ad Corinth. c. 15, v. 10.

Ad XXIV. Petrum & Paulum fuiſſe æquales in munere Apoſtolico: ut ipſe textus ſat explicat. Ad prob. neg. ſeq. Nam Petrus fuit tam gentium quam Judæorum Apoſtolus, ut patet ex eo, quod omnium primus gentibus annuntiarit Evangelium: ob quod actor. c. 15. v. 7. dixit: *Viri Fratres! Vos ſcitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire Gentes verbum Evangelii, & credere.* Item ex eo, quod converterit *Cornelium Centurionem*, Antiochenos, Romanos, &c. qui omnes erant Gentiles. Quod autem Petro cit. loc. *Apoſtolatus circumciſionis* ſpeciatim attribuatur, ideo eſt, quia Apoſtoli avidi totum orbem cito ſubjicere Chriſto, Provincias ſibi divisere: & Petrus ab initio incubuit in ſalutem Judæorum, quia horum utpote populi electi converſio erat munus præcipuum. Similiter Paulus non ſolas gentes, ſed & Judæos docuit, cum integram epiſtolam ad Hebræos ſcripſerit, & Judæis quoque Actor. c. 9. 13. & 14. annuntiaverit Chriſtum Salaminæ, Iconii, & alibi.

Ad XXV. Pro ſolutione hujus & aliorum plurium argumentorum obſervandum, Petrum tripliciter conſiderari potuiſſe 1. Tanquam *Supremum Paſtorem*: cui ſoli Chriſtus injunxit officium paſcendi omnes ſuas oves totius orbis, ſeu regendi, ac gubernandi omnes fideles; ad quod officium exercendum eſſentialiter requiritur jurisdictio ordinaria in oves ſive in fideles ſubditos. 2. ut *Apoſtolum*, & in ratione muneris Apoſto-

latus. 3. In ratione *virtutis*, *laboris*, ac *meriti*. Hoc obſervato ad argumentum ℞. ſi Petrus conſideretur 1. modo: Ss. Patres aſſerunt, Petrum omnibus Apoſtolis, adeoque & Paulo præcellere ratione jurisdictionis ordinariæ in omnes. Si vero Petrus conſideretur 2. modo, dicunt SS. Patres, omnes Apoſtolos illi fuiſſe pares in munere Apoſtolatus, quia omnes fuerunt à Chriſto miſſi: omnes habuerunt facultatem prædicandi, & baptizandi gentes. Si tandem Petrus conſideretur 3. Modo, aſſerunt SS. Patres Paulum in laboribus & ærumnis propter Chriſtum toleratis, ac in ſuis ſcriptis præcelluiſſe Petro: incertum autem eſſe, uter eorum alteri præcelluerit in ratione virtutis ac meriti.

Ad XXVI. Origenem ideo ſolum Paulum appellare fundatorem Eccleſiarum præcipuum, quia is in Eccleſiis fundandis plus cæteris laboravit: non autem eum appellare fundatorem Eccleſiarum præcipuum ob jurisdictionem ordinariam in omnes fideles.

Ad XXVII. S. Ambroſium ibi loqui de Paulo & Barnaba, qui à Spiritu S. ſimul ad munus Apoſtolatus aſſumpti erant, ut legitur actor. c. 13. v. 2. *Miniſtrantibus autem illis Domino, & jejunantibus, dixit illis Spiritus S. Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus, ad quod aſſumpſi eos.* Quæ verba D. Ambroſius poſt illa verba: *paruerunt ergo Paulus & Barnabas Spiritui S. imperanti* paucis interjectis ſubdit: *una enim gratia fulgebat in his, quos Spiritus unus elegerat:* collatione inter Paulum & Barnabam facta; pergit Ambroſius, & confert Paulum cum Petro inquiens: *Neque Paulus inferior Petro*: ubi & in quo? in Apoſtolatus munere, & fundandis Eccleſiis: nam addit: *quamvis ille fundamentum, & hic ſapiens Architectus:* ulterius dicit Ambroſius: *Nec Paulus indignus Apoſtolorum collegio, cum primo*, ſcilicet Petro, *facile conferendus* in laboribus pro Evangelii propagatione ſuſceptis & ærumnis toleratis: *& nulli ſecundus: nam qui ſe imparem neſcit,*

nescit, *facit æqualem*, non in jurisdictione Ecclesiastica, sed in laboribus Apostolicis.

Ad XXVIII. Distinquere oportet Primatum ab Apostolatu, & jurisdictionem ab officiis Apostolicis, omnes ergo Apostoli, etiam Paulus, in hoc fuerunt pares, quod Apostolatum suum, & facultates prædicandi, baptizandi &c. immediate acceperint à Christo: munus autem Supremi Rectoris, Pastoris, cui essentialiter annexa est jurisdictio ordinaria, attributum est soli Petro: quia huic soli Christus dixit: *pasce oves meas*. Ergo cum Paulus etiam sit ovis Christi: Petrus in eum habuit jurisdictionem, & facultatem eum pascendi, si occasio dedisset.

Ad XXIX. Paulum recte dixisse sibi incumbere curam omnium Ecclesiarum, hæc enim data à Christo communis erat omnibus Apostolis, cum hoc tamen discrimine, quod Petri Primatus in ejus successores fuerit transfundendus, non item aliorum Apostolorum auctoritas: ideo successor Jacobi Jerosolymis in Episcopatu Simeon jam non habuit, nec successit in tanta amplitudine, sed duntaxat in Diœcesi Jerosolymitana suis limitibus constricta; sicut & successor Petri in Antiocheno Episcopatu Evodius, pariformiter tantum in Antiochena Diœcesi suis terminis clausa successit; econtra Linus, Clemens &c. Romæ Petri successores succedebant in universali gubernio omnium Ecclesiarum. Ita tamen reliqui Apostoli plenitudinem potestatis Ecclesiarum habuerunt, ut Petrus super eos tamen haberet Primatum, & eorundem esset caput amore unitatis, ut Schismatis tolleretur occasio. Hinc etiam dum Paulus dixit ad Corinth. c. 12. *Nihilominus fui ab iis, qui sunt supra modum Apostoli:* intelligendum est, quod necessarium fuerit Paulo, ut ipse suum Apostolatum commendaret, ac reliquis Apostolis in hoc non esse inferiorem, esto plus aliis inter gentes laboraverit: & quidem hoc contra eos, qui ut Psevdo-Apostolo Paulo ne-

gabant æqualitatem cum reliquis Apoſtolis, quod is non ſicut cæteri cum Chriſto in carne converſatus fuerit: quo non obſtante Paulus dicit, ſe etiam æqualem Petro in hoc genere, quoad munus nempe Apoſtolicum, ſalvo tamen ſemper Primatu Petri.

Ad XXX. Diſt. maj. S. Paulus fuit Romæ Epiſcopus *exercitio*, conc. maj. *ſede*, neg. maj. & diſt. min. ſed juxta Pontificios urbis Romæ Epiſcopus *ſede*, eſt totius orbis ſummus Paſtor, conc. min. urbis Romæ Epiſcopus *exercitio* ſolum, neg. min. & conſeq. Paulum fuiſſe Epiſcopum indubium eſt: nam Epiſcopi munus eſt Eccleſiis Prsbyteros præficere, quod factum à Barnaba & Paulo legimus Actor. c. 14. v. 22. Cæterum cujus Eccleſiæ fuerit Epiſcopus, incompertum eſt. Vulgarior opinio fert, nullius determinatæ Eccleſiæ fuiſſe, & recte quidem, cum enim fuerit electus, ut Miniſter huc illucque diſcurrens ad portandum nomen Jeſu, nulli debuit ſedi alligari, hinc eſt, quod nullam determinatam Provinciam ipſi legamus demandatam in diviſione orbis, ſicut cæteris. Ergo & Paulus fuit Romæ Epiſcopus ſed ſolum exercitio, ſicut etiam Epheſi, Athenis, Corinthi, lyſtris, & cujuslibet Civitatis & loci, quem luſtravit evangelizando: non autem fuit Romæ Epiſcopus ſede: cum ſibi Romanam ſedem non deſponſaverit, aut ſponſus Eccleſiæ Romanæ fuerit, ſed Petrus: Epiſcopus vero, ut ipſe Paulus fatetur, debet eſſe unius uxoris vir, id eſt Eccleſiæ, ut Patres exponunt. Et ita exponendi ſunt SS. Patres. Petrus proinde & Paulus titulum Epiſcopatus urbis Romanæ erexerunt doctrina, prædicatione, & labore, ſed non ex æquo gubernio: primatus enim Regiminis & jurisdictionis ſoli Petro conveniebat. Dum ergo SS. Patres vocant Pontifices ſucceſſores Petri & Pauli, non volunt, quaſi Paulus cum Petro junctus fuerit caput Eccleſiæ, & Pontifex Romanus, ſed quia cum Petro fundavit Eccleſiam prædicatione, miracu-

lis, labore, Martyrio &c. Item Romani Pontifices dicuntur non ſolum Petri ſed etiam Pauli ſucceſſores, ſed Petri in plenitudinem jurisdictionis, Pauli vero in plenitudinem legationis, id eſt, ſcientiæ: ergo in diverſo genere.

Ad XXXI. Diſt. maj. SS. Patres unam faciunt Petri & Pauli ſedem, Petri ſedem Magiſterii, & Pauli adjutorii, conc. maj. ſedem Petri & Pauli Magiſterii neg. maj. Ad Cathedram Petri non ſolum pertinet jurisdictio, ſed etiam doctrina: & quamvis Petrus ea polleret ſcientia, quæ ad ſua apte obeunda munia cenſeri poterat opportuna, attamen quia Paulus excelluit ſapientia divinorum, atque in ſtabiliendis dogmatibus, in ferendis legibus, in evulgando Evangelio tum Romæ, tum ubique terrarum, potiſſimum fuit adjutor Petri, ideo dicitur cum Petro ſediſſe, cum una ſit ſedes Epiſcopi & Coadjutoris: audiamus S. P. Auguſt. Epiſt. 36. ad Paulinum: *Adhuc in corpore poſito Patre & Epiſcopo meo Sene Valerio, ſedi cum illo*, cum fuerit ejus Coadjutor. Ita eſt explicandus Adrianus II. cum aliis.

Ad XXXII. Paulum eſſe æqualem Petro, ejus Collegam, Fratrem, quoad munus Apoſtolicum, quoad ſtabiliendam diſciplinam Eccleſiaſticam &c. non vero quoad dignitatem juriſdictionis ordinariæ, & Primatus in regendo, & gubernando fideles.

Ad XXXIII. Particula negativa prædicatum diſtribuit juxta Philoſophos ſecundum ſubjecti exigentiam; quapropter cum citati Patres de munere Apoſtolatus loquantur, utique particula negativa excludit omnem inæqualitatem in prædicto gradu.

Ad XXXIV. Omnia præcitata verba apte omnibus Apoſtolis poſſunt accomodari, cum in omnem terram exierit ſonus eorum: potiſſimum tamen Paulo competunt, quia plus cæteris laboravit; verum ex hoc nulla Primatus ratio habetur: ſed Petro manet.

Ad XXXV. Duplicem Primatum Patres agnoſcere laudatos: nempe jurisdictionis: & primatum prædicationis gentium, & prædicationis circumciſionis: primatus jurisdictionis ſoli Petro eſt conceſſus. Primatus prædicationis gentium S. Paulo, primatus prædicationis circumciſionis S. Petro. S. Ambroſius non loquitur de primatu jurisdictionis, ſed de primatu prædicationis gentium & circumciſionis: & inter hos facit paritatem inter Petrum & Paulum.

Ad XXXVI. Synodum quidem Petrum & Paulum ut lapides venerari, diverſimode tamen, Petrum ut lapidem potentiæ, Paulum ut lapidem ſapientiæ: unde Petrus Primatum obtinuit dominationis, Paulus prædicationis. Auctoritas Chryſoſtomi eſt conficta, ibidem enim ne verbum quidem de capite, ſed ſolum de Sauli nominis mutatione agit.

Ad XXXVII. Et Petrum & Paulum claves accepiſſe: Petrum Clavem potentiæ & jurisdictionis: Paulum Clavem ſcientiæ: Paulus majorem cæteris Apoſtolis non habuit poteſtatem: ſed omnes ſubordinabantur Petro tanquam capiti.

Ad XXXVIII. Diverſo plane modo Pontifices dicuntur Petri & Pauli vicarii: nam Petri cenſentur Vicarii in plenitudine poteſtatis, Pauli vero in plenitudine ſcientiæ. Cæterum ſi ſtricte & proprie nomen Vicarii ſpectetur, prout dicit non habere plenitudinem poteſtatis, quam habet Principalis, ſic Pontifices nequeunt appellari Vicarii Petri & Pauli, ſed Vicarii Chriſti. Petrus dicitur Princeps Apoſtolorum ut caput & Paſtor ovium: Paulus dicitur Princeps Apoſtolorum ob munus Apoſtolicum exuberantiſſime adimpletum. Petrus dicitur Dux ut primus Paſtor, Paulus dicitur Dux ut Coadjutor. Petrus dicitur luminare majus, Paulus minus. Verbo, quando Patres videntur Paulum coæquare Petro, loquuntur de muniis Apoſtolatus, non vero jurisdictionis ordinariæ: ſeu non loquuntur dogmatice, ſed panegyrica laude eos extollunt. Pontifi-

tifices in majoribus causis acta exercent non solum auctoritate Petri & Pauli, sed etiam omnium Sanctorum & Conciliorum, uti Nicolaus I. epist. 10. in Photii degradatione est usus. Explicat ergo Apostolica sedes auctoritatem Pauli, ejusque nomine potissimum utitur tanquam Coadjutoris. Quod in picturis Paulus à dextris & Petrus à sinistris videatur pictus vel sculptus: ℞. Apud antiquos morem fuisse, quod junior cum seniore ambulans à dextera incederet senioris, eumque obsequii causa paululum præcederet: ex qua consuetudine fieri potuit, ut in imaginibus Paulus pingeretur, vel sculperetur à dextris Petri. Præterea dici potest, Paulum à dextris fuisse positum ob cumulum laborum, quos copiosiores exantlavit, quam Petrus, sed hoc tantum est signum honoris, non jurisdictionis. Ita etiam Paulus fatetur ad Galat. c. 2. v. 9. quod Jacobus, Cephas, & Joannes sibi ac Barnabæ dextras dederint, in signum nempe honoris, concordiæ, & convenientiæ.

Ad XXXIX. S. Cyrillus non vocat Petrum & Paulum duo capita, sed duos Præsides, quod etiam cæteris Apostolis accommodari potest. Nazianzenus non asserit Paulum primum absolute post Christum, sed in charitate ponendi animam pro fratribus suis. Et esto etiam nuncuparentur Capita, nuncuparentur ideo, quia primo Ecclesiam fundaverunt: quo modo etiam cæteri Apostoli dici possunt capita, servata tamen debita subordinatione & dependentia ad Petrum. Paulus Linum Claudiæ filium non constituit Romanorum Episcopum, sed solum ordinavit: porro Paulus ut Petri Coadjutor bene poterat Linum consecrare. Unde Adversarii textum vitiarunt, cum Clemens ibidem habeat: *ordinatus est.*

Ad XL. Christum esse Caput & fundamentum Ecclesiæ primum, absolutum, independens, principale, & invisibile; Petrum vero secundarium, subordinatum, dependens, vices gerens, & visibile. Audiatur S. Hieronymus lib. 3. Comment.

cir-

circa caput 16. *Sicut ipſe lumen Apoſtolis donavit, ut lumen mundi appellarentur, cæteraque ex Domino ſortiti ſunt vocabula; ita & Simoni, qui credebat in Petram Chriſtum, Petri largitus eſt nomen, & ſecundum metaphoram petræ recte dicitur ei: ædificabo Eccleſiam meam ſuper te.*

Ad XLI. S. P. Auguſtinum nullibi docere, quod hæc verba: *Super hanc Petram:* ſolum de Chriſto ſint intelligenda: ſed ſolum monere, ea poſſe non tantum de Petro, ſed etiam de Chriſto exponi tanquam de petra principali, & primaria ac fundamentali, ſupra quam fundata eſt Eccleſia, ut infertur ex modo loquendi cit. loc. *Ideo Petrus à Petra, non Petra à Petro, quomodo non à Chriſtiano Chriſtus, ſed à Chriſto Chriſtianus vocatur.* Neque nos prætendimus Chriſtum Petram in Petro fundari, ſed Petrum ſupra Chriſtum. Chriſtus & Petrus ſunt duæ petræ: Chriſtus eſt prima Petra: Petrus ſecunda ſupra primam fundata, & ſuper utramque ædificatur Eccleſia. Et S. P. Auguſtinus ſerm. 13. de verb. Dom. merito abſtinebat abſolute dicere Eccleſiam fundatam eſſe ſuper Petrum; quippe non deerant, qui (ut ipſe ait) putantes homines ædificatos eſſe ſuper alios homines, dicebant: ego ſum Pauli, ego ſum Apollo, ego Petri. Hinc quemadmodum Paulus audiens homines extolli, Chriſtum autem deprimi, accenſus zelo exclamavit: *Nunquid diviſus eſt Chriſtus?* Sic S. P: Auguſt. ne anſam præberet errori, ſobrie abſtinuit aſſerere Petram, ſuprà quam fundata erat Eccleſia, eſſe Petrum, dixitque potius eſſe Chriſtum. Atque nova hujusmodi cautelæ ratio à Donatiſtis Adverſariis ſuis oriebatur: iſti aſſerebant à ſanctitate Miniſtri pendere Sacramenti virtutem; idcirco veritus S. Doctor, ne Eccleſiam ſupra Petrum fundatam affirmans, audacius præſumerent de ſanctitate Miniſtrorum, & in iſtis ſpirituale ædificium ſtatuerent, abſtinuit de Petro loqui, totum fundamentum conſtruendo ſupra Petram Chriſtum.

Ad

Ad XLII. Omnes Apoſtolos dici poſſe Eccleſiæ fundamenta doctrina & partitione Provinciarum: doctrina quidem, quia fides, cui innititur Eccleſia, Apoſtolis fuit revelata, ut eam ſcriptis & prædicatione evulgarent, nec alius auderet novum condere articulum præter veritates ab ipſis ennuntiatas. Partitione Provinciarum, quatenus Apoſtoli terrarum orbem inter ſe diviſerunt, cui verbum Dei facerent: hinc unus fundavit Eccleſiam Jeroſolymis, alter Epheſi, alius Alexandriæ &c. & quoad hæc Apoſtoli omnes paria ſunt cum Petro fundamenta Eccleſiæ. Sed loquendo de fundamento Eccleſiæ quoad gubernium & regimen Eccleſiæ, ac jurisdictionem, ſolus Petrus eſt fundamentum, & ordinarius Eccleſiæ univerſalis Paſtor inſtitutus, cui cæteri Apoſtoli ſubdebantur.

Ad XLIII. Eccleſia eſt ædificata ſupra Petrum, ab eo dependet conſequenter tanquam à Rectore, ergo etiam Petrus eſt Rector Eccleſiæ. At vero Eccleſia eſt fundata ſupra fidem, conſequenter ab ea dependet tanquam à primo principio totius ſanctitatis Eccleſiæ, non tanquam à Rectore: ergo etiam fides eſt primum principium totius ſanctitatis Eccleſiæ, non vero Rector. Ita argumentetur Lutherus: & ſic urgebit conſequentia. Poſſet etiam contra Lutherum ita inſtari: ſupra Chriſtum fundata eſt Eccleſia: ergo Chriſtus non eſt Rector Eccleſiæ. Quid ad hoc Luthere?

Ad XLIV. Conc. maj. neg. min. uti jam ſub probatione concluſionis oſtenſum eſt: etſi enim Chriſtus omnes interrogaverit: *vos autem quem me eſſe dicitis?* non tamen communi ſed ſingulari reſpondit Petrus reſponſione: *Tu es filius Dei vivi*: ergo omnium nomine non reſpondit. Quando nomine omnium locutus eſt Petrus ex interrogatione omnibus facta, inſimul & ex reſponſione communi ſatis indicatur, ut conſtat Joan. c. 6. v. 68. ubi interrogatis omnibus diſcipulis à Chriſto: *Nunquid & vos vultis abire?* communi reſpondit Petrus reſponſione: *Domine*

mine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes: & nos credidimus, & cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei. Præterea Juxta Hæreticos: quia interrogatio est communis, responsio Petri est communis: ergo etiam quia retributio est singularis: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam:* retributionis concessio debet esse singularis, nempe soli Petro, non communis aliis Apostolis.

Ad XLV. Neg. maj. Diversa plane ab utroque Evangelista gesta narrantur. Quæ refert Matthæus, peracta fuere in partibus Cæsareæ Philippi; relata vero à Joanne in Synagoga in Capharnaum v. 60. *Hæc dixit in Synagoga docens, in Capharnaum.* Apud Matthæum, postquam docuit Christus, Cavendum esse à fermento Pharisæorum & Sadducæorum, Petrus ejusdem Divinitatem profitetur: apud Joannem post doctrinam de Eucharistiæ Sacramento: apud primum discipuli omnes credunt: apud alterum aliqui non credunt, & de doctrina scandalizantur. Adeoque instatur argumentum: quia apud Joannem pro omnibus Petrus respondet, plurali locutione signatur: *Nos credimus;* ergo quia apud Matthæum singularis est locutio, singularis etiam censenda est confessio. Et hic advertendum, quod licet alias jam audita sit confessio Divinitatis Christi, ut Joan. c. 6. & Joan. c. 1. v. 49. ex Nathaniele. Et Matth. c. 14. v. 33. ab astantibus in navicula; nullibi tamen nisi Matth. c. 16. à Christo factam legimus promissionem; non alio sane momento nisi propter excellentiam confessionis, siquidem Petrus ibi addidit *Dei vivi*, quod est expressivum formalissimæ filiationis naturalis secundum proprium conceptum, cum filiatio sit origo viventis à vivente; in aliis locis autem facta est confessio per verba abstrahentia à filiatione naturali & adoptiva: vel si determinate de naturali, per verba significantia identice non formaliter filiationem.

Ad

Ad XLVI. Quid erat necesse expectare aliorum confessionem? jam enim audierant Christum approbantem Petri confessionem tanquam veram utpote à Patre revelatam, adeoque completa erat quæstio à Christo instituta: *Quem dicunt homines esse filium hominis? Vos autem quem me esse dicitis?* hac ergo jam resoluta ultra immorandum non erat. Et instatur: quia nullam facit Scriptura mentionem aliorum, ideo non omnium ore Petrus locutus est: non enim reticet Scriptura, quæ ad substantiam mysteriorum spectant.

Ad XLVII. Abs re somniare Hæreticos indictum à Christo silentium ob communem Divinitatis confessionem. Nonne ejus Divinitas ex peculiari Petri confessione ab ipsomet Christo laudata innotuerat discipulis? cum igitur adhuc gentibus voluerit occultare mysteria, ipsis mandavit, ne audita revelarent.

Ad XLVIII. Christum ibi loqui de doctrina diei judicii, & de solicitudine, quam habere debemus omnes, ut pro adventu Domini judicantis simus parati; ideo dixit v. 33. *Videte, vigilate, orate: nescitis enim, quando tempus sit.* Et iterum v. 35. *Vigilate ergo:* & postmodum conclúdit v. 37. *Quod autem vobis dico, omnibus dico: vigilate.* Cæterum ex Christo non habemus, quod uni vel vobis trado, omnibus trado: quapropter claves, quas Petro dedit, non omnibus dedit. Præterea si, quod uni dicitur, omnibus dicitur, universaliter esset verum: ergo omnibus dixit Christus: *unus ex vobis diabolus est. Amice osculo filium hominis tradis? vade retro Satana. Modicæ fidei quare dubitasti? mitte digitos tuos in loca clavorum:* &c. Quis talia affirmare audebit? ergo.

Ad XLIX. Dupliciter Patres asserunt Petrum locutum nomine omnium. 1. Quia caput ipsorum. 2. Quia Petri responsionem reliqui ratam habuerunt.

L. Dist. ant. Christus claves promisit Petro tanquam figuræ, veræ, realis, & fundamentalis à Christo sui loco constitutæ Eccle-

fiæ, conc. ant. tanquam figuræ imperfectæ, Symbolicæ, ac parabolicæ, & repræſentativæ, velut erat Synagoga, neg. ant. & conſeq. Petrus ergo non Symbolica, aut parabolica, ſed realis Eccleſiæ figura fuit, proindeque in perſona ſua recepit claves Regni cælorum per ſe primo, deinde ut figuram Eccleſiæ. Hæreticorum probatio eſt undique textui violenta, & contraria; Chriſtus namque expreſſe laudat Petrum ut filium Bar-Jona, & ei propter meritum confeſſionis claves confert, quam non ex humana, ſed ex Divina illuſtratione edidit. Unde notandum: in propoſitione Chriſti duplicem cauſalem adeſſe: *quia caro & ſanquis*: & *quia tu es Petrus.* Prima cauſalis pertinet ad rationem formalem confeſſionis: ſecunda ad rationem formalem ſuperædificationis Eccleſiæ, & donationis clavium. Jam mirandum, Lutherum aſſerere, nobis certe non conſtare, an Petrus Patrem audierit? cum Scriptura aperte dicat: *Revelavit tibi Pater meus.*

Ad LI. Chriſtum Petrum non repuliſſe abjiciendo, cum nec defecerit in fide, nec in charitate; ſed repuliſſe à ſe corripiendo atque inſtruendo. Cum enim Petrus adhuc perfecte non perceperit myſteria, affectu quodam raptus erga Chriſtum eum à morte Divina retrahere cupiebat: ideoque Chriſtus eum corripuit, & corripiendo inſtruxit, ſed non abjecit. Verbum *Satana* non ſemper ſignificat Diabolum, ſed quandoque adverſantem. Jam in eadem perſona non ſunt hæc duo incompoſſibilia: quod ex munere Dei habeat, unde laudetur, & præmium mereatur: & ex propria infirmitate, unde corripiatur, & inſtruatur.

Ad LII. Conc. maj. intellectam de iis, quæ Dei ſunt quoad infallibilitatem doctrinæ fidei & morum, & neg. min. Petrus enim conſtitutus caput Eccleſiæ permanenter & in ſe, & in ſuis Succeſſoribus habuit privilegium infallibilitatis in doctrina fidei & morum: quoniam pro eo ſolo ſpecialiter Chriſtus rogavit, ut non deficeret fides ejus. Nec obſtat Chriſti reprehen-

hensio: *quia non sapis ea, quæ Dei sunt:* siquidem in hoc, in quo reprehenditur, non fuit ignorantia circa essentialia ad munus capitis Ecclesiæ spectantia, sed solum circa particularia spectantia ad mortem Christi, à qua ipsum Petrus avertere conabatur, ideoque à Christo reprehenditur, quod non sapiat ea, quæ Dei sunt. Neque etiam quidquam officit trina Petri negatio: siquidem per hoc Petrus nil docuit contra fidem, sed ex metu tormentorum solum exterius fidem negavit, fidemque interius non amisit, quoniam lacrymis culpam admissam in exteriori negatione Christi statim deflevit. Demum etsi Christus tunc claves Petro promiserit, tamen eas eidem tunc non tradidit, sed primo post Resurrectionem, cum munus Redemptoris per mortem complevit & ad cælum ascensurus Vicarium in terris Petrum reliquit; defecit igitur Petrus, quando claves illi promissæ, sed non tunc, quando actu concreditæ erant.

Ad LIII. Neg. min. Claves Pontifici non dat Ecclesia, sed Christus. Ecclesia solum personam in Vicarium Christi designat, cui postmodum Christus confert clavium potestatem. Unde non sequitur, Pontificem secum afferre claves, vel eas ab Ecclesia recipere. Hinc mortuo Petro claves quasi reversæ sunt ad manus Christi, à quo illas Linus Petri Successor accepit, non traditione nova, sed institutione antiqua.

Ad LIV. Sede vacante Ecclesia habet claves in inferioribus Ministris quoad necessaria eorum munia. Claves vero præeminentiæ & superioritatis habet in jure, ratione cujus sufficienter dicitur, & est infallibilis, nec permittere potest Deus ipsam in doctrina fidei errare. Unde mortuo Pontifice claves sunt in manibus non Ecclesiæ, sed Christi, à quo eas novus Papa accipit, non traditione nova, sed institutione antiqua: eo fere modo, quo novus Pro-Rex priore mortuo suam potestatem accipit à Rege in casu, quo Rex decretum fecit, quod pro Pro-Rege in locum prioris defuncti semper velit admittere, &

quidem cum eadem, quam primo concesserat, potestate, illum, quem Proceres elegerint. Sicut ergo in hoc casu novus Pro-Rex suam supremam Vicariam potestatem non ab iis, à quibus eligitur, sed à Rege accipit, & quidem institutione antiqua, sive vi primi decreti; ita summus Pontifex suam supremam Christi Vicariam potestatem non ab Ecclesia, à qua eligitur, & Christo veluti præsentatur: sed à Christo accipit, & quidem non traditione nova, sed institutione antiqua, sive vi primi decreti, quo Christus voluit, ut quivis ab Ecclesia legitime electus & acceptatus Pontifex succedat in eadem D. Petri potestate. Claves igitur mortuo Papa non in Ecclesiæ, sed in Christi manibus sunt principaliter, & immediate.

Ad LV. Duo habuit Abraham ex fide: & quod initiative justificatus sit: & quod fuerit Pater multarum gentium & Benedictus in semine. In primo omnis credens Abraham imitatur: in secundo nullus, nisi ipsi succedens in primatus circumcisionis munere. Duo habuit Petrus ex confessione, quod beatus sit dictus: & quod claves acceperit. In primo omnis credens imitatur Petrum, quia fides est justificationis & beatitudinis initium: in secundo nullus, nisi Successor. Et ratio est: quia fides, justitia, beatitudo, & alia virtutum dona sunt bona animæ, proindeque omni habenti prosunt; Primatus, Claves sunt munia potestatis, propterea non sequuntur fidem, sed dignitatem & characterem. Quod autem certo nesciamus hunc vel illum habere fidem, nihil evincit, sat namque est nos certo scire in Sacris Ministris claves potestatis adinveniri.

Ad LVI. Huic argumento jam est responsum supra ad L. Imo data responsio magis confirmatur: nam S. Pater ita asserit Petrum Ecclesiæ figuram in susceptione clavium, sicut Judam ponit figuram inimicorum Christi in proditione: sed Judas absque dubio in sua persona Christum prodidit: ergo Petrus in sua persona vere claves recepit. Merito etiam dicitur Petrus figura

figura Ecclesiæ, quia claves non recepit pro se tantummodo, sed ut reliquis proportionaliter communicandas Ministris: adeoque ut supremus omnium Pastor universos referebat Præsules, ut scite exponit S. Pater Tract. 50. in Joan.

Dices: Ecclesiam habere judicialem potestatem, ideo dicitur Matth. c. 18. v. 17. *Dic Ecclesiæ:* ergo. ℞. Potestatem judicialem corrigendi utique habere Ecclesiam in suis Ministris, non vero habere immediate in singulis membris. Unde omnes Ss. Patres citata verba ex Matthæo interpretantur de Pastoribus, ita ut sensus sit: Dic Prælatis Ecclesiæ, ut potestate publica hominem contumacem corripiant, atque publicæ eum subjiciant pænæ.

Ad LVII. Christum non responsione, sed reprehensione litem exortam sedasse, ut cognoscerent fideles Primatum ex ambitione quæsitum quovis tempore reprobandum. Et hoc argumentum est contra Adversarios: si enim promissio Clavium foret omnibus una, non contendissent, quis esset major. Cum ergo contenderint, suspicio occurrebat, quis major esset, & certe non de alio dubitatio suboriri poterat, quam de Petro, cui Christum claves promisisse audierant: attamen cum Petrus actu non fuisset Ecclesiæ caput constitutus, & cæteroquin discipuli adhuc non essent in divinorum mysteriorum cognitione perfecti, nec in sanctitate ita firmati, ut suis affectibus aliquando non distraherentur, & noverint, Christum quandoque Petrum reprehendere, atque Joannem singulari dilectionis significatione prosequi, nil mirum, si oborta sit contentio, quis eorum videretur esse major?

Ad LVIII. Clavim juxta phrasim Scripturæ significare potestatem dominativam, legislativam, punitivam, remissivam peccatorum, & resolutivam quæstionum legis & fidei: ergo Christus promittendo Petro Claves Ecclesiæ hanc potestatem omnem dedit: ergo ligare & solvere plus dicit, quam solum annun-

annuntiare Evangelium, & remittere peccata, ut Novatores Calvini prætendunt. Et insto contra AA. Remittere seu solvere est docere: ergo ejus oppositum, ligare seu non remittere erit non docere, aut contra docere: ergo ligare nil aliud erit, quam falsis dogmatibus fideles implicare. Si dicant, solvere est homines ab erroribus eripere: nos reponimus: ergo ligare erit erroribus involvere: opponuntur namque solvere & ligare contrarie, contraria autem sunt circa idem. Nec obstat auctoritas Apostoli citata: etenim verbum reconciliationis, quod à Christo accepit, aliud sane non est, quam efficacia exhortandi fideles, ut Deo reconcilientur, sed per media ab ipso decreta, puta per baptismum, aut pænitentiam: verum hoc non evincit, ad peccatorum remissionem sufficere concionem, ut prætendunt Novatores.

Ad LIX. Negatur, Petrum ignorasse gentibus fore prædicandum: audierat enim hoc à Christo Matth. c. ult. v. 19. & Lucæ c. 24. v. 45. Ratio autem cur Petrus hæsitaverit, est: cum enim dixerit Apostolis Dominus Actor. 1. v. 8. *Eritis mihi testes in Jerusalem, & in omni Judæa & Samaria, & usque ad ultimum terræ*: dubitabat Petrus, an tempus esset prædicandi gentibus, satisque prædicatum foret Judæis? & ob hoc fuit reprehensus; sed Deus visione Linteoli Petrum admonuit, & Petrus narratione visionis, tempus advenisse fidelibus declaravit. Ita explicat S. Chrysost. in commentariis hujus loci hom. 24.

Ad LX. Ibidem non electos solum, sed & reprobos comprehendi: Christus enim mandavit Petro pascere Agnos, & oves, pro quibus Christus Pastor dedit animam suam: sed Christus dedit illam pro electis & reprobis: ergo. Alias sequeretur, nec Christum fuisse universæ Ecclesiæ Pastorem: nam ibidem fatetur Christus se unum solummodo habere ovile ex ovibus conflatum.

Ad

Ad LXI. Hæreticos ob hoc argumentum malignare, & acta Ministri peccatoris non valere, atque crimina dignitate privare velle. Sat est dicere, Scripturam nos monere obediendum esse etiam Discolis, unde compertum est acta Præsulis peccatoris non esse irrita. Unde in pastione gregis duo consideranda sunt: actus seu munus pascendi, & rectitudo operis: substantia actus potestati respondet: rectitudo charitati. Et quia Christus Petrum non qualemcunque, sed optimum Pastorem volebat; ideo ter amoris pignus exegit. Congregant Novatores varia crimina, quæ Petro affingunt, sed mera sunt mendacia.

Ad LXII. Petrus suum Primatum in Ecclesia exercuit per dicta & alia gesta in Actis Apostolorum c. 1. v. 21. c. 15. v. 12. de quibus ait hom. 21. in Acta Apostol. S. Chrysostomus: *In summa ubique Petrus primus invenitur: quando eligendus Apostolus* (loco Judæ Iscariotis) *hic primus, quando loquendum Judæis, non esse Apostolos ebrios: quando curandus claudus: quando concionandum: quando agendum contra Principes Judæorum: quando ab umbra* (Petri) *sanitates fiebant, primus hic erat* Petrus. Præterea hac sua potestate ob modestiam uti non voluit in reliquos Apostolos, præsertim cum iidem Apostoli per se munia sua quam diligentissime exequerentur, adeoque non indigerent Petri imperio. Ad alterum de electione Mathiæ & septem Diaconorum respondet S. Chrysost. hom. 3. in Acta quærens: *Quid? an non licebat ipsi Petro eligere? licebat ei quidem maxime, verum id non fecit, ne cui videretur gratificari.* Attamen solus Petrus propria authoritate ad electionem Mathiæ in locum Judæ omnes convocavit discipulos, & ipse primus instituit istos septem Diaconos: ad quam institutionem cuncti concurrerunt, quilibet pro sua dignitate. Ad ultimum: illa de legalibus seu circumcisione quæstio non ad solum Petrum, sed ad alios quoque Apostolos delata est, ut ejus decisio fieret cum majori partium litigantium satisfactione.

 Imo

Imo Petrus primariam ſuam in eo concilio actor. c. 15. authoritatem patenter oſtendit, dum v. 10. ut Concilii caput, & Controverſiæ Judex definitivam ſententiam pronuntiavit, ac dum eo loquente omnes tacuerunt, ejusque ſententiæ acquieverunt. Quod autem Jacobus dixerit, *ego judico:* non obſtat, quia de concilio omnes & ſinguli fuerunt vocati ad hoc, ut ſuas proferant ſententias, quibus prolatis ad Petrum tanquam ad concilii caput pertinuit rem definire & concludere. Cum autem quæſtio mota fuerit Jeroſolymis, ubi Jacobus erat Epiſcopus, ſuum debuit judicium prodere. Et dum dicitur ex Clemente lib. 1. recognit. Jacobum fuiſſe Principem Epiſcoporum, intelligendum eſt reſpectu tractus Jeroſolymitani, non vero reſpectu univerſalis Eccleſiæ. Imo Clemens non dicit (ut perperam citant Novatores) Jacobum fuiſſe Epiſcopum Apoſtolorum, ſed Jeroſolymorum: & à Petro principaliter, à Joanne vero & altero Jacobo miniſterialiter, conſilio, & adjutorio fuiſſe ordinatum ſeu inſtitutum Jeroſolymis Epiſcopum.

Ad LXIII. Hoc argumentum jam ſupra inter probas fuiſſe ſolutum: ubi dictum, quod promiſſio Petro facta ſit univerſalis & irreſtricta: facta autem cæteris Apoſtolis à Chriſto reſtricta fuit ad correctionem fraternam, remittenda & retinenda peccata. In promiſſione facta Petro tria includuntur: 1. *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* 2. *Et Tibi tabo claves Regni cælorum* 3. *Quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis, & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.* Duo priora nullibi à Chriſto fuere cæteris Apoſtolis promiſſa, vel data, ſed ſoli Petro. Poſterius vero aliis quidem commune fuit, ſed ea poteſtatis coarctatione, quam affabre deprehendit Origenes tract. 6. in Matth. *Quoniam oportebat aliquid majus habere Petrum præ illis, qui ter arguerant, ideo illi quidem ſic dixit: & Tibi dabo claves Regni cælorum &c. Non ergo modica differentia eſt, quod Petro quidem datæ ſunt claves non*

unius

unius cæli, ſed multorum cœlorum, ut quæcunque ligaverit ſuper terram, ſint ligata non tantum in uno cælo, ſed in omnibus cælis, & quæ ſolverit ſuper terram, ſint ſoluta non ſolum in uno ſed in omnibus cælis. Ad eos autem, qui multi ſunt ligatores & ſolutores in terra, ſic dicit: ut ſolvant & alligent non in cælis ſicut Petrus, ſed in uno cælo; quia non ſunt in tanta perfectione ſicut Petrus. Unde quamvis reapſe, & in proprietate ſit unicum cælum, in quo ſit remiſſio, plurali tamen ſignificatione exprimitur, ut ampliorem intelligamus vim fore ſolutivam & ligativam in Petro, quam in aliis. Poteſtas ergo data cæteris Apoſtolis, ſit ea jam qualiscunque, ſemper fuit cum ſubordinatione ad Petrum tanquam ad Caput.

§. VI.

Dico 8. 1. Pontificatus Petri jure Divino habet Succeſſionem 2. Romanus Pontifex legitime electus, & ab Eccleſia acceptatus eſt Petri Succeſſor tanquam Caput Eccleſiæ eam viſibiliter loco Chriſti Poſt Petrum gubernans.

ABſoluto Petri Primatu Eccleſiam poſt Chriſti aſcenſionem viſibiliter loco Chriſti gubernantis, ſequitur, ut inquiramus de gubernatore Eccleſiæ loco Petri, ejusdem videlicet & in Cathedra, & in officio, ac dignitate Succeſſore, eam more Chriſti, & exemplo poſt Petrum Chriſti Vicarium gubernante; duplex autem in præſenti eſt quæſtio, 1. An Primatus & Pontificatus Petri jure Divino ſucceſſionem & ſucceſſorem habeat? 2. An Epiſcopus Romanus iſte Petri ſit Succeſſor?

Luthero-Calviniſtæ Scripturis & invictis Patrum Authoritatibus victi, quamvis inviti, Petro Eccleſiæ Primatum concedunt: verum ipſo demortuo eum expiraſſe, nec ad alios

transſire contendunt. Sic Calvinus lib. 4. Inſtit. c. 6. §. 8. inquit: *Iterum ut de Petro illud concedam, quod petunt, non eſt tamen cauſa, cur ex ſingulari exemplo univerſalem faciant regulam, & quod ſemel factum fuit, ad perpetuitatem trahant.* Lutherus de poteſtate Papa. Magdeburgenſes in Centuriis. Synodus Smalckaldica de Papa. Græci ſimiliter Schiſmatici in idem confluunt. His ſuppetias fert Marcus Antonius de Dominis lib. 4. de Repub. Chriſtiana c. 6. dicens: *Nego autem*, & pernego, aut ex Scripturis, aut ex traditione Apoſtolica, aut ex Conciliis, aut ex Patribus haberi etiam indefinite aliquem in ſingulari ſuccedere Petro. Concinunt Piceninus in triumpho c. 5. aliique ejusdem furfuris homines. Contra hos ſtat Catholica veritas; quocirca

Probatur Concluſio quoad 1. partem 1. Non minus perpetua & firma debet eſſe Petra, ſupra quam fundatur Eccleſia, quam ipſamet Eccleſia: atqui Eccleſia jure Divino eſt perpetua, Matth. c. ult. v. 20. Et ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi: ergo etiam Petra, ſupra quam fundatur, jure Divino eſt perpetua. Subſummo: ſed Petra hæc jure Divino eſt Petrus juxta illud: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*: ut in præcedentibus ſatis & fuſe probatum eſt: ergo Petrus jure Divino eſt perpetuus; atqui in ſe ipſo, & gubernio perſonali non eſt perpetuus, ergo debet eſſe perpetuus in ſuis Succeſſoribus. Hoc argumentum

Explicatur 1. Sicut ſe habent Apoſtoli ut Eccleſiæ membra ad Chriſtum, ita ſe habet Petrus ut fundamentum ad Eccleſiam; ſed quia Chriſtus in Eccleſia perſeverat uſque ad conſummationem ſæculi, li *vobiſcum ſum* intelligitur de Apoſtolis in ſuis Succeſſoribus tanquam Eccleſiæ membris: ergo quia Eccleſia ædificata ſupra petram eſt perpetua, li *ſuper hanc Petram* intelligitur de Succeſſoribus Petri.

Ex-

Explicatur 2. Chriſtus in hac vita fuit caput Eccleſiæ viſibile in externa gubernatione; hæc gubernandi forma non eſt mutata poſt aſcenſionem Chriſti, ac proinde etiam nunc opus eſt viſibili capite Eccleſiæ quoad externam gubernationem; hoc caput non aliud fuit poſt Chriſtum quam Petrus, cui dictum eſt à Chriſto, *paſce oves meas;* ergo cum poſt mortem Petri non ſit facta ſubſtantialis mutatio in regimine externo Eccleſiæ, neceſſe eſt, Petro ſucceſſiſſe aliquem, qui eodem modo, quo Petrus, Eccleſiam gubernaret. Ergo.

Probatur Concluſio quoad 1. partem 2. Poteſtas ordinaria in Succeſſores tranſit, ut ipſimet Novatores fatentur, eapropter concedunt, dignitatem Petri ut eſt particularis Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus ad Succeſſores derivari, ſicut Jacobi dignitas in Jeroſolymitana ſede ad Succeſſores derivatur; atqui Pontificatus, & Primatus univerſalis Eccleſiæ in Petro jure Divino eſt ordinarius: ergo jure Divino tranſit in Succeſſores. Min. prob. ex Joan. c. 21. Chriſtus illis verbis: *Paſce agnos meos, Paſce oves meas:* Petro contulit univerſalis Paſtoris officium, ut in præcedentibus probatum: atqui Paſtoris munus indubie eſt ordinarium: ergo. Hoc argumentum.

Declaratur 1. In eo ordinarius Paſtor à mercenario diſcriminatur, ut legere eſt Joan. c. 10. quod mercenarius non curat de ovibus, unde videns venientem lupum, fugit; Paſtor vero animam ſuam dat pro ovibus; atqui cum Petro Chriſtus tradidit paſcendas oves, ab ipſo amorem popoſcit, eique mortem prædixit: ergo ipſum ordinarium inauguravit Paſtorem: ergo.

Declaratur 2. Chriſtus Petro commendavit oves ſuas: *Paſce oves meas:* easque declaravit in uno ovili uſque in ſæculum duraturas: atqui ipſi tradere non potuit paſcendas oves in uno ovili uſque in ſæculum duraturas: ergo ipſi comendavit in Succeſſoribus paſcendas.

Probatur Conclusio quoad 1. partem 3. Synagoga, quæ fuit Ecclesiæ Pædagoga, quovis tempore unum sortita est supremum Sacerdotem, quo regeretur: ergo Ecclesia unum semper habere debet supremum caput, quo dirigatur; si namque suprema Sacerdotalis dignitas in primo Sacerdote Aaron non expiravit, sed per carnalem propagationem ad alios dirivata est; potiori jure suprema Sacerdotalis dignitas Ecclesiæ Successores habere debet: non enim melioris notæ est ancilla, quam Domina. Hoc argumentum.

Confirmatur: Synagoga Sacerdotalem successionem sortita est; quia unum necessum erat supremum tribunal, quod exurgentes lites componeret, fideique explicaret controversias, Deut. c. 17. v. 8. & seqq. atqui in Ecclesia juxta scripturarum vaticinia lites, fideique controversias exurgentes novimus, & experimur: ergo unum supremum debet semper tribunal adesse, quod eas dirimat, & explicet.

Probatur Conclusio quoad 1. partem 4. Eadem ratio, & motivum, propter quod Petro collatum fuit supremum Ecclesiæ gubernium, plane evincit quovis tempore in eadem perdurare debere. Equidem ratio unitatis postulavit præeminentiam in uno Apostolorum: unde ut ait S. Hieron. lib. 1. adversus Jovinianum c. 14. *Inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto Schismatis tolleretur occasio.* Optatus Millevitanus lib. 2. Contra Parmenianum: *In qua* (Romana Cathedra) *Sedit omnium Apostolorum caput Petrus - - - in qua una Cathedra unitas ab omnibus servaretur.* Cyprianus de simplicitate Prælatorum: *Hoc erant utique & Cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi & honoris & potestatis, sed exordium ab unitate proficiscitur, ut una Ecclesia monstretur.* Atqui Ecclesia semper una erit, in ea una fides, unum baptisma: ergo in ea semper unum supremum caput quoque erit.

Pro-

Probatur Conclusio quoad 2. partem 1. Ille legitimo jure succedit Petro in Pontificatu, qui sedem obtinet, in qua mortuus est Petrus; sed Romanus Pontifex sedem obtinet, in qua mortuus est Petrus: ergo Romanus Pontifex in Pontificatu Petro succedit. Maj. declaratur 1. quia aliquem succedere oportet, ille autem optime succedere censetur, qui sedem Antecessoris capit, quacum capit & una dignitatem: ut patet in Regibus & Monarchis sibi succedentibus, ubi Successor in plenum jus sui Antecessoris succedit. Maj. declaratur 2. Petri Successor una debet esse determinata persona, sicut ille, qui fuit Christi Vicarius una fuit determinata persona; secus forma gubernii alia foret à temporibus Christi & Apostolorum, proindeque amplius non eadem esset substantialiter Christi Ecclesia. Insuper hæc Persona ita debet esse determinata, ut hæc demonstrari ac ab aliis discerni possit; etenim una determinata persona, ut ajunt Adversarii, in genere, nec primum Ecclesiæ Regimen imitatur, nec Ecclesiæ bono inservit, cum fideles non scirent, ad quem accedere pro controversiarum decisionibus valeant. His jam suppositis sic discurrere licet: Petrus quamdiu vixit, Pontificiam habuit dignitatem propriæ personæ alligatam; ergo cum persona hæc non manserit usque ad consummationem Sæculi, reliquit sedi, in qua obiit, successionem dignitatis; siquidem successio nonnisi post mortem effectum sortitur; mors enim jus hæreditatis confirmat: & in aliis sive Ecclesiasticis, sive Politicis Successoribus solemne est, quod tribuatur loco, seu sedi per mortem consecratæ à persona habente jus, etiamsi loca mutaverit; hinc si unus Episcopus priori Episcopatu relicto ad alium transeat gradum, in eoque diem claudat extremum, successio proprie dicta ab ultimo loco denominatur. Jam subsummo: atqui Petrus Romæ obiit, ut omnes Patres ætati Petri viciniores fatentur: imo & Calvinus cum pluribus lib. 4. Instit. c. 6. N. 15. his verbis: *Propter hunc scriptorum*

torum consensum non pugno, quin illic mortuus fuerit. Cui concinit Marcus Antonius de Dominis lib. 4. de Repub. Christ. c. 1. n. 2. scribens: *Petrum Romæ martyrio coronatum fuisse, malo assentiri quam reluctari, ob plurimorum Sanctorum Patrum consensum.* Ergo Romanæ sedi reliquit successionem dignitatis; cum enim aliquem succedere sit necesse, ne Regimen Ecclesiæ Christi mutetur, si non sui personam loco, saltem in locum personam succedentem relinquere debuit Petrus, ut Christi adimpleat intentionem, & Ecclesiam in eo statu relinquat, in quo fuit â Christo tum instituta tum relicta, per Petri gubernium continuanda, tum ab ipso Petro Romanis Pontificibus successoribus in eadem forma Regiminis relinquenda. Ergo.

Quod autem Romæ potius quam alibi successionem reliquerit Petrus: probatur 1. Illi sedi successionem Petrus alligavit, quam ipse sibi elegit; atqui elegit Romanam, velut innuit epist. 1. c. 5. v. 13. *Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone coëlecta.* Ubi pro Babylone Roma intelligitur: nam sicut illa olim orbis extitit debellatrix prope universi, ita nunc Roma: uti sentit Hieron. de Scriptor. Ecclesiast. in Marco. Eusebius lib. 2. Hist. Eccles. c. 14. Et S. P. August. lib. 18. de Civit. Dei c. 22. Evangelista quoque Joañes in Apocal. c. 7. v. 5. Romam appellat Babylonem magnam, ut legere est apud Tertul. adversus Judæos c. 9. Item *Collecta* legunt codices, sed emendatiores legunt *coëlecta*, id est, sibi electa, ut habet Cajetanus. Hinc autem semel assumptam Petrus nec vivens, nec moriens mutavit. Ergo. Probatur 2. Illi sedi Petrus successionem alligavit, cujus fides per universum orbem prædicatur, atque infallibilitatis gaudet privilegio; sicut etenim â fonte tanquam â fundamento omnes oriuntur Scaturigines, ita illi fonti affixa est principaliter fontalis fides, â quo per orbem universum derivantur fidei Scaturigines, unde sicut fons habet infallibilitatem omnium Scaturiginum, ita fides Romana (si fons est)

omnium

omnium Scaturigo, & fons infallibilis aliorum Christi fidelium est. Atqui fides Romanæ sedis ubique terrarum prædicatur testante Apostolo ad Rom. c. 1. v. 8. *Fides vestra annuntiatur in universo mundo:* & habet infallibilitatis privilegium ut habetur Lucæ c. 22. v. 32. *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Ergo Petrus Romæ successionem alligavit.

Dicit Marcus Antonius de Dominis: *Eo sane modo, quo Petrus fuit Romanus Episcopus, fuit etiam Antiochenus, & infinitarum Ecclesiarum, quas ipse fundavit, & in quibus ipse actu suum exercuit Apostolatum, sive Episcopatum: non minus igitur erunt Petri Successores Antiochenus & alii, quam Romanus.* Sed

Contra est.: Nam non dicendus est is illius Sedis Episcopus, quam reliquit, sed ejus, ad quam translatus est, atque in ea ad mortem usque perseveravit. Petrus Antiochenæ Ecclesia fuit Episcopus, sed pro tempore, nam ea Evodio commendata, Romanam ex post suscepit gubernandam: igitur Antiochenam sedem deserens, etiam illius quoque Episcopus esse desiit: atque illius sedis Episcopus evasit, quam Deo jubente usque ad obitum administravit, quæ fuit sedes Romana: unde in ea successionem reliquitpost mortem suam. Aliud dein est Petrum plurium Ecclesiarum institutorem fuisse: aliud earundem fuisse Episcopum: institutio absque perpetua Episcopatus functione successionem non postulat, imo successionem expellit: solus Episcopatus cum perpetua ipsius functione conjunctus successionem in propria Ecclesia collocat. Petrus quidem Antiochenus aliquando Episcopus fuit, verum Antiochenam sedem in Romanam mutavit. Alexandrinam vero non per se, sed Marci opera constituit, sed in ea Episcopatum non gessit. In quibus proinde Ecclesiis successionem sibi comparare non potuit, sed in sola Romana, in qua usque ad mortem Episcopus permansit.

Dicit 2. Idem Hæreticus: *Dicant mihi obſecro, ut aliqua ſedes ex multis, quas habuit Petrus, dicatur, & ſit vera ſedes Papalis, hoc eſt, firma & fiixa Petri ab eo non amplius mutanda, aut transferenda, quid neceſſario requiritur? factum ſolum Petri, ut illa ſit ſedes Papalis, in qua Petrus ſedens vitam ſuam finiat? an intentio & voluntas ſola Petri, ut illa ſit Papalis, quam, ipſe ſibi certam elegiſſet uti ipſius propriam, & non amplius in ſua intentione mutandam? an & factum & intentio? factum profecto ſolum nihil facit: nam etiam concedente Bellarmino, merum accidens fuit, quod hic mortuus fuerit, & non ibi. Si ſola ſufficit intentio & electio, præſentia vero non ſit neceſſaria: quomodo probabunt ex intentione Petri Antiochenam Eccleſiam non fuiſſe ab eo, electam in Papalem? ſi neceſſarium fuit utrumque, hoc eſt, & factum & intentio: ſicut defacto utrumque poſſumus admittere, Petrum & Romæ fuiſſe, & Romæ mortuum, ita de intentione ipſius non poſſumus niſi divinare.* Sed

Contra: Intentio utique & factum inſimul requiruntur: ſed intentio ex facto apprime dignoſcitur. Petrus Antiochenam reliquit Eccleſiam, ad Romanam ſe contulit, in ea Epiſcopatum per 25. annos geſſit, hanc nuſqnam mutavit, dein in eadem extremum diem obiit. Quid ultra deſiderari poteſt, ut Petri intentio innoteſcat? quid clarius ad dignoſcendam Papalem ſedem eſſe Romanam? non nos, ſed Hæreticus in his non niſi divinat. Ergo.

Dicit 3. Idem Hæreticus: c. 6. n. 8. *Etiamſi ex Divino jure ſucceſſionis deberet aliquis Petro ſuccedere in Primatu Eccleſiæ, adhuc tamen negandum eſſe, Romanum Pontificem fore Petri ſucceſſorem.* Sed

Contra: Aliquis jure Divino debet ſuccedere Petro in Primatu: ergo ſi Pontifex Romanus non, quod omnes antiqui Patres affirmant tamen eum ſuccedere: ergo alius, quod hactenus nemo unus antiquorum Patrum dixit: ergo quis erit Succeſſor? deſignetur ab hoc Hæretico: ſi poteſt ab eo deſignari?

nari? si dicat: unde constat Romanum Pontificem debere esse hunc Petri Successorem? Respondeo ex perpetua traditione, quam accepimus ab antiquis conciliis & Patribus, uti referemus. Præterea ex nostra proba adducta, si reponat: unde constat, jure Divino Romanum Pontificem debere succedere Petro? respondeo ex eo: cum enim Christus semel instituerit in Petro, ut Ecclesia gubernaretur ab uno visibili capite, seu Pastore loco Christi, necessum est, ex vi illius institutionis, ut moriente uno Pastore, succedat alius in ejus locum, velut in testamento veteri factum est, ut habet Paulus ad Hebræ. c. 7. v. 23. Alioquin nisi alter alteri succederet, non servaretur institutio Christi, qua voluit, ut Ecclesia usque ad consummationem sæculi haberet unum visibilem Pastorem loco sui, cui diceret, quod Petro dixit: *pasce oves meas.*

Probatur Conclusio quoad 2. partem 2. Auctoritate summorum Pontificum, quos ipsimet Hæretici venerantur, & pro sanctis declarant, utpote eorum sæculorum, in quibus (juxta placitum Hæreticorum) fides primæva incorrupta permansit, & ab ea Ecclesia universa non defecit; ut saltem illi fidem faciant contra sentientibus, quos ipsimet venerantur ut Sanctos. S. Julius I. in epist. ad Orient. quæ extat in Apol. 2. S. Athanasii ita loquitur: *An ignari estis banc esse consvetudinem, ut primum nobis scribatur, ut binc quod justum est, definiri possit? quapropter si istbic ejusmodi suspicio in Episcopum concepta fuerat, id buc ad nostram Ecclesiam referri oportuit.* Et infra: *quæ accepimus à B. Petro Apostolo, ea vobis significo, non scripturus alioqui, quæ nota apud vos esse arbitror.* Quibus verbis indicat, causas Episcoporum ad se pertinere, & hoc jus à B. Petro se accepisse, atque id omnibus notum esse. Auctor certe est sanctus, & vetustissimus: epistola certa, & à S. Athanasio tota descripta: verba illius perspicua & clara, adeoque de veritate non dubitandum: mirum quod tamen Hæretici cæcutiant. S. Damasus in Epist. 4.

ad Episc. Numid. inquit. *Cuncta, quæ possint aliquam recipere dubitationem, ad nos tanquam ad caput, ut semper fuit consvetudo, deferre non desinatis.* S.Innoc. in Epist. 22. ad Episc.Maced. docet: *Ad verti, sedi Apostolicæ, ad quam relatio quasi ad caput Ecclesiarum missa currebat, fieri injuriam* &c. Item idem in epist. ad Concil. Carthag. quæ est 91. Romanam sedem dicit esse, *Fontem & caput omnium Ecclesiarum.* Leo Papa serm. 1. de Natali Apost. his verbis Romanam alloquitur urbem: *Per sacram Beati Petri sedem caput orbis effecta latius præsideres Religione Divina, quam dominatione terrena.* S. Gelasius in epist. ad Episc Dard. ait: *Cuncta per mundum novit Ecclesia, quoniam quorumlibet sententiis ligata Pontificum, sedes B. Petri Apostoli jus habeat resolvendi, utpote quæ de omni Ecclesia fas habeat judicandi, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio.* S. Gregorius Magnus l. 7. Epist. 63. ad Joan. Episc. Syracus. inquit: *De Constantinopolitana Ecclesia, quis eam dubitet sedi Apostolicæ esse subjectam? quod & Dominus piissimus Imperator, & frater noster Eusebius ejusdem Civitatis Episcopus assidue profitetur.* Et in epist. 64. ad eundem: *Nam quod se dicit sedi Apostolicæ subjici, si qua culpa in Episcopis invenitur, nescio, quis ei Episcopus subjectus non sit* &c. Nil clarius certo pro dignitate Romani Pontificis dici potest. Ergo.

Dicunt Magdeburgenses: Innocentium citatum nimis multum sibi arrogare, quocirca eum per contumeliam Nocentium vocant. Ast si ita est: cur veteres Patres hunc Innocentii errorem non reprehenderunt? cur S. P. Augustinus in epist. 106. ad Paulin. de his duabus epistolis Innocentii loquens ait: *Ad omnia ille nobis rescripsit eodem modo, quo fas erat, atque oportebat Apostolicæ sedis Antistitem.* Cur ibidem S. Pater August. Innocentium Beatæ memoriæ Papam appellat? contumeliose ergo Magdeburgenses hoc affingunt Innocentio Papæ.

Dicit etiam Calvinus lib. 4. Inst. c. 7. n. 12. Gregorium à nobis citatum tribuisse sibi jus corrigendi alios, non autem

paru-

paruisse ei nisi illos, qui volebant. Ast hoc est temerarium dictum! nam Gregorius Sanctissimus & humillimus fuit, quocirca etiam Græci ejus diem festum colunt; & ipsemet Calvinus loc. cit. num. 22. Gregorium Virum Sanctum fuisse fatetur: non potest autem cum sanctitate consistere usurpatio juris alieni. Neque etiam esset macula venialis, injuste sibi subjicere omnes Episcopos, sed intolerabilis superbia: quomodo igitur Gregorius Sanctus erat, si omnes Episcopos sibi injuste subjecit. Ergo.

Probatur Conclusio quoad 2. Partem 3. Auctoritate & statutis Principum, quæ clare contestantur Romanum Pontificem Successorem Petri. Imperator Justinianus novel. 131. ait: *Decernimus secundum Sacrarum Synodorum decreta Sanctissimum Veteris Romæ Episcopum primum esse omnium Sacerdotum.* Ubi bene advertendum est, Imperatorem non proprio marte, & ex certa scientia id decernere; sed id statuit secundum Sacrarum Synodorum Decreta, & declarationes perpetua traditione conservatas. Lotharius in epist. ad Adrianum II. anno 868. dicit: *Quia Deus Omnipotens Princeps Pastorum in illa Sancta sede Vestri Pontificatus apicem sublimavit, vestrum multipliciter desideramus conspectum.* Carolus Magnus l. 5. leg. Francic. cap. 167. habet: *Quantum pertinet ad hujus temporis vitam, in Ecclesia nemo Pontifice potior, & in Sæculo Christiano Imperatore nemo celsior invenitur.* Ecce quam bene Rex jura spiritualis & politicæ jurisdictionis distribuat. Leo Imperator Græcorum apud Ignatium Fiumi lect. 5. clare edicit: *Unde manet usque in hodiernum diem Petrus sequens Christum in suo Successore.* Michael Palæologus Græcorum Imperator Anno 1272. in epist. ad Gregorium X. ita scribit: *Sanctissimo ac Beatissimo Patri, & summo Pontifici, Apostolicæ sedis Universali Papæ, & communi Principi Christianorum, Omnium Venerabili Patri Imperii nostri D. Gregorio, Michael à Christo Deo fideliter Rex, & Imperator Græcorum.* Ex quibus omnibus

Apoſtolicam ſedem ſequimur, & ei obedimus, & ipſius communicatores, communicatores habemus, & condemnatos ab ipſá, & nos condemnamus. Si ergo totum Concilium ſedi Apoſtolicæ obedire ſe profitetur, certe Apoſtolica ſedes toti Eccleſiæ cum authoritate præeſt. Septima Synodus act. 2. recipit, & probat Adriani epiſtolam ad Tharaſium, in qua hæc habentur: *Cujus ſedes per totum terrarum orbem primatum obtinens lucet, omniumque Eccleſiarum Dei Caput exiſtit. Unde & ipſe B. Petrus Apoſtolus Dei juſſu Eccleſiam paſcens, nihil omnino prætermiſit, ſed ubique Principatum obtinuit, & obtinet.* Ergo cum Hæretici ipſi in veram Eccleſiam, ac horum Sæculorum Concilia compromiſerint, horum inquam Sæculorum, in quibus juxta ipſos fides integra & inviolata, & primæva fuit: compromittere quoque neceſſitantur in dicta, & ſtatuta Conciliorum, eaque admittere neceſſitantur, & ſic proprio ipſorum judicio condemnati manent, & veritas noſtra Catholica ipſis teſtibus triumphum canit, Ergo.

Probatur Concluſio quoad 2. partem 5. Authoritate Patrum primorum Sæculorum (in quibus juxta Adverſarios teſtes fides manſit incorrupta) Hi unanimi conſenſu docent, Romanos Pontifices eſſe Petri Succeſſores, tam Græci, quam Latini. Optatus Milevitanus l. 2. Contra Parmenianum hæc habet: *Petro ſucceſſit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus* &c. S. P. Auguſt. epiſt. 165. ad Generoſum ait: *Si ordo Epiſcoporum ſibi ſuccedentium conſiderandus eſt, quanto certius, & vere ſalubriter ab ipſo Petro numeramus, cui totius Eccleſiæ figuram gerenti Dominus ait: ſupra hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam: Petro enim ſucceſſit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus, Anacleto Evariſtus &c.* Philippus Presbyter in Concilio Epheſino c. 16. hæc dixit: *Nulli dubium, imo Sæculis omnibus notum eſt, Sanctum Petrum Apoſtolorum Principem & Caput, Eccleſiæ Catholicæ fundamentum, per Succeſſores ſuos hucusque ſemper vivere, cauſasque decernere,*

Objectiones Contra 1. partem Conclusionis.

I. QUæ sunt de credibilibus fidei, ex S. Scripturis depromenda sunt: sed ex eisdem nequaquam habemus successivum fore Petri Primatum: ergo Pontificatus Petri jure Divino non habet Successionem.

II. Si ista verba: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*: Petro dicta essent in suis Successoribus: sequeretur, etiam ista Verba ad Petrum dicta: *Vade post me Satana;* Petro dicta fuisse in suis Successoribus: sed hoc nullus dicit: ergo nec illud.

III. Id per quod Pastor à Mercenario discriminatur, ad munus Regiminis indubie spectat: atqui dilectio, sicut & animam ponere pro ovibus, Pastorem à Mercenario distinquit: ergo dilectio, sicut & animam ponere pro ovibus, ad munus Regiminis spectat: subs. sed si sic, etiam ad Successores transire deberet: unde præ aliis charitatem habere deberent, atque pro Christo vitam fundere & pro ovibus: cujus tamen oppositum videmus; ergo.

IV. Firmitas fidei est certo certius essentialis conditio Primatus Petri: sed hæc ad Successores non transit: cum ex his nonnulli fidem negaverint: ergo.

V. Fides Petri firmat fratres post lapsum: ergo Petri Successores labi prius deberent, ut aliquando conversi fratres suos confirmarent.

VI. Sicut Petro dictum est, *pasce oves meas*: ita cæteris Apostolis dictum est, *sicut misit me Pater, & ego mitto vos;* atqui hoc non convenit Successoribus Apostolorum, cum Apostolatus successione careat: ergo & illud non conveniet Successoribus Petri.

VII. Petri sedes Apostolica nuncupatur: atqui Petri Apostolatus non habet successionem: ergo neque ipsius sedes.

VIII. Quod ſingulariter uni dicitur, ad plures non extenditur: atqui Petro ſingulariter dictum eſt, *Tibi dabo claves*: ergo ad Succeſſores nequaquam extendi valet.

IX. Dicta Petro: *Tibi dabo claves*, ad alios adſtantes Apoſtolos non extenduntur: alias omnes Apoſtoli præſentes fuiſſent Pontifices; ergo fortiori jure ad abſentes & futuros non extenduntur: alias omnes Apoſtoli præſentes fuiſſent Pontifices; ergo fortiori jure ad abſentes & futuros non extenduntur.

X. Dignitas Petri ea erat, ut quidquid ſcriberet, & diceret, haberetur ut Spiritus S. Oraculum, & veritatis Canon; atqui privilegium hujusmodi defuncto Petro nulli debetur: ergo nec ejus dignitas: ergo Primatus Petri in alios non derivatur.

XI. Paſtoralis dignitas Eccleſiæ univerſalis utpote ordinarii juris excellentior cenſenda eſt quam dignitas Apoſtolatus, quæ juris eſt delegati; ergo ſi Petrus ut Apoſtolus Canones exarabat, etiam ut Paſtor eoſdem condere poterat: cum ergo hæc prærogativa ad Succeſſores non tranſeat, neque paſtoralis dignitas ad Succeſſores tranſibit.

XII. Verbum Dei Eccleſiis omnia communia fecit, fidem, baptiſma, Sacerdotium, gratiam, Sacramenta, gloriam &c. ergo idem Dei verbum, quod omnibus commune eſt, uni Succeſſori Petri dominativam non confert poteſtatem.

SOLUTIONES.

AD I. Diſt. min. ſed ex iisdem non habemus expreſſe, conc. min. æquivalenter, neg. min. Materialis expreſſio ſucceſſionis in ſcripturis non invenitur: ſed nec exigitur: alias cum neque literaliter in ſcriptura habeatur ſucceſſio peculiaris Epiſcopatus, neque baptiſma ſub Sacramenti nomine regenerationis

onis myſterium exprimatur: etiam peculiaris Epiſcopatus non erit ſuccesſivus, nec baptiſmus inter Sacramenta recenſendus: ſatis ergo eſt, ut æquivalentia habeantur. Hæc autem habentur; nam Chriſtus ſuam Eccleſiam non inſtituit pro brevi aliquo, quo S. Petrus vixit, tempore, ſed inſtituit illam ut duraturam usque ad finem mundi: ergo debuit ipſi pro omni futuro tempore providiſſe de aliquo ſupremo capite, & Rectore univerſali: ergo divus Petrus debuit ſemper ſucceſſive habere aliquem ſucceſſorem in Primatu, ſeu in ſupremo totius Eccleſiæ Regimine; ſiquidem Eccleſia poſt Chriſti & Petri tempora ſemper indiguerit, indigeatque ſupremo viſibili capite, & Rectore univerſali, cum ſemper poſſint naſci hæreſes, & oriri Controverſiæ fidei, quæ absque ſupremo Judice dignoſci, atque decidi nequeunt: & oves ſemper indigeant Paſtore.

Ad II. neg. ſeq. maj. Ad ſucceſſores enim ſolum tranſeunt, quæ ad paſtorale munus pertinent, ſecus quæ ad perſonalem conditionem referuntur. Porro poteſtas gubernativa proprie paſtoralis muneris dos eſt, ideo ad ſucceſſores tranſit. Ignorantia vero in peculiaribus quibusdam myſteriis, ſicut & animi alienatio à Divinis, ab officio Paſtoris aliena ſunt, & hinc neceſſe non eſt ad Succeſſores tranſire: & hujusmodi ſunt ea, ob quæ Petrus à Chriſto increpatus fuit; non enim plene intelligens Paſſionis myſterium, atque plus juſto præſentiæ Chriſti adhærens, Dominum à morte perperam retrahere ſatagebat.

Ad III. In opere Paſtoris duo contineri, poteſtatem nempe & rectitudinem, ſicut quædam ad valorem, quædam ad rectitudinem ſpectare. Quæ ad valorem ſpectant, ſubſtantialia ſunt, & in Succeſſores dimanant; quæ ad rectitudinem ſpectant, non ſunt eſſentialia, unde nec in Succeſſores formaliter, ſed tantum fundamentaliter tranſeunt, quatenus tranſit debitum munus ſuum recte exercendi. Dilectio, ſeu ſtatus charitatis ad rectitudinem ſpectat, quæ fundat debitum exigens animi præparationem

pro morte subeunda urgente necessitate; adeoque quæ à Christo dicta fuere Petro, suo etiam modo Successoribus communia fiunt.

Ad IV. Fidei firmitatem duo dicere, infallibilitatem in docendo, & constantiam in confitendo. Primum est essentiale muneri, & ad Successores transit. Alterum non est munus essentiale, sed actionis rectitudinem dicit, ideoque transit quoad obligationem, qua quilibet Petri Seccessor tenetur fidem exterius opportuno tempore confiteri.

Ad V. neg. Conseq. Non enim est necesse, quemlibet ex Successoribus deficere, ut Fratres in fide corroborare valeat; lapsus enim Petri fuit personalis.

Ad VI. In Apostolo considerandam occurrere & Apostolatus & Episcopatus dignitatem. Apostoli successionem habent in Episcopatus dignitate particularis Ecclesiæ, quia ordinarii juris est; secus in dignitate Apostolatus, quæ est delegata, ut clàre innuit Paulus 2. ad Corinth. c. 5. v. 20. *Pro Christo legatione fungimur.* In Petro Pastoris universalis dabatur dignitas, quæ utpote juris ordinarii ad Successores transire debet. Apostoli etiam dignitas dabatur in eo, sed hæc Successionem non habet.

Ad VII. Petri sedem dupliciter dici Apostolicam, denominative & proprie. Quatenus fundata est à Principe Apostolorum, denominative Apostolica nuncupatur; in proprietate autem, quatenus eminenter in ordinario universalis Pastoris munere omnem Apostolatus excellentiam præcontinet, puta jurisdictionem in totam Ecclesiam, jus prædicandi Evangelium ubique terrarum, & hujusmodi. Quoniam vero in jure ordinario Episcopi peculiaris Ecclesiæ eminenter non continetur prærogativa Apostolatus, ideo Apostoli nec formaliter, nec eminenter in Apostolatus munere successionem sibi vendicant; secus in munere Episcopali.

Ad

Ad VIII. Quod uni dicitur non ut particulari perſonæ, ſed tanquam Paſtori alios continenti, optimo jure ad Succeſſores derivatur. Equidem ſingulariter Chriſtus Petro claves donavit, ſed eum Paſtorem Eccleſiæ univerſalis conſtituendo: eapropter in eo muneris ratio per ſe primo attenditur, quæ cum non ſit perſonalis, merito Succeſſoribus accomodatur.

Ad IX. Adſtantes Apoſtolos tanquam ordinarios Præſules totius Eccleſiæ in Petro non contentos eſſe, ſed ſolummodo tanquam oves; non enim Petri Succeſſores deputati ſunt. Succeſſores autem licet abſentes eadem muneris forma inaugurandi erant, propterea in Petro continebantur.

Ad X. Quod ſcripta Petri, ejusdemque doctrina Canonica ſint, privilegium eſt Apoſtolatus aliis Apoſtolis commune: his à Patre in nomine Filii datus eſt Spiritus S. qui omnem doceret veritatem: & ideo quia fundamentales erant Petræ Eccleſiaſtici ædificii, per os ipſorum loquebatur Deus. Extructo jam hoc ædificio ſuper fundamentum Apoſtolorum novi articuli fidei non conduntur, nec revelationes novæ neceſſariæ ſunt, quia tamen fides Petri ut Paſtoris debet fratres confirmare, remanet propterea in Eccleſia poteſtas infallibilis declarandi, atque interpretandi Scripturarum Canones.

Ad XI. Secundum ſe jus ordinarium in aliquod munus excellentius eſſe jure delegato. Cæterum ratio, cur Petrus ut Apoſtolus oracula ſcriberet, ea ſane eſt, quia inſimul cum aliis Apoſtolis erat Eccleſiæ fundator. Verum ut Paſtor ovile Chriſti regebat. Succeſſores cum Rectores ſint non fundatores, privilegium canonice ſcribendi non habent.

Ad XII. Lutheri Argumentum pro nobis concludere. Etenim divinæ ſapientiæ ordinatio, quæ omnes Eccleſias in fide eadem, iisdemque Sacramentis Communicantes conſtituit, expoſcit, ut unus omnium ſupremus eſſet Paſtor: quemadmodum omnes ſimul unum efformant ovile, cui invigilando utique non

est uni particulari Ecclesiæ deservire, sed omnibus; adeoque illa Successori Petri collata dominatio communis est, id est, communi utilitati concessa.

Objectiones Contra 2. Partem Conclusionis.

I. Si S. Petrus habuit aliquem Primatum, aut quamdam inter cæteros Apostolos eminentiam, hoc privilegium nonnisi personale erat; atqui privilegium personale non transit ad Successores: ergo neque primatus Petri transit ad Successores. min. Satis constat, quia privilegia personalia expirant cum persona. maj. vero prob. Si S. Petrus habuit aliquam eminentiam, hæc ipsi aliter non est collata, quam in præmium, quod Christum confessus fuerit Filium Dei, illumque se diligere ter affirmaverit; ergo sicut confessio Divinitatis, & amoris tantum personalis fuit, ita & præmium, quod propterea Petrus accepit, tantum personale erat. Subs. atqui hoc præmium consistebat in illis verbis: Tu es Petrus, & super hanc Petram &c. Tu pasce oves meas; Tu confirma fratres tuos. Ergo siqua Petri eminentia per hæc verba collata fuerat, ea tantum personalis fuit, adeoque non transitura ad Successores.

II. Si Primatus Petri transiret ad Successores, sequeretur, quod quivis Successor Petri potestatem clavium acciperet immediate à Christo, sicut Petrus eam accepit; atqui hoc manifeste non subsistit, cum notum sit, ejusmodi Successorem eligi ab Ecclesia; à qua proin, non vero à Christo immediate accipit potestatem, si quam accipit: ergo.

III. Tota ratio, cur Primatum Petri ad Successores transire contendunt Papistæ, in eo hæret, ne Ecclesia unquam careat Pastore, & Capite visibili; atqui hæc ratio prorsus nulla est; ergo. min. prob. Negari non potest, Sedem, quam S. Petri vocant, jam sæpius per longissimum tempus Capite & Pasto-

Paſtore caruiſſe; ſic poſt S. Fabianum vacavit menſibus 16. Poſt Honorium I. 19. menſibus. Poſt Paulum I. 12. menſibus. Poſt Cæleſtinum IV. menſibus 20. Poſt Clementem IV. menſibus 33. Poſt Nicolaum IV. menſibus 27. Et poſt Clementem V. menſibus 24. Ergo Eccleſia poteſt carere Capite & Paſtore viſibili: ergo illa ratio eſt nulla.

IV. Romanus Epiſcopus non ſuccedit S. Petro in Apoſtolatu: ergo neque in Primatu; conſeq. prob. Primatus, ſi quem habuit Petrus, erat connexus cum Apoſtolatu: ergo.

V. Quamvis S. Petrus ſe nominet Apoſtolum & Compresbyterum, nusquam tamen ſe dicit Epiſcopum Eccleſiæ Romanæ; ergo Romanus Epiſcopus non eſt Succeſſor Petri.

VI. Petrus immediate fuit vocatus à Chriſto, Pontifex Romanus immediata vocatione deſtituitur. Petrus Alexandriæ & Antiochiæ Epiſcopos ordinavit: atqui hoc Romano Pontifici non permittitur: ergo.

VII. Dato Petrum Romæ Cathedram habuiſſe, illam tamen Pontifex Romanus nunquam conſcendit; nam Petrus fuit Præco Evangelii, Pontifex Romanus docendi officium in aliorum humeros rejicit; ergo. Ita noviſſime Hæreticus aliquis nomine *Hollazius* argumentatur. Qui & ulterius pergit objiciendo.

VIII. Pontifex Romanus neque in doctrina, neque in vita & moribus ſuccedit S. Petro; ergo. ant. prob. Non in doctrina, quia in plurimis ſane articulis ab eo recedit, contrarium docendo. Non in vita & moribus: quia Pontifex eſt auri cupidiſſimus, cum tamen ſanctus Petrus dixit: *aurum & argentum non habeo* Act. c. 3. v. 6. Pontifex gemmis & auro ſe ornat, quod non fecit Petrus. Pontifex damnat conjugium Clericorum, in quo tamen vixit Petrus. Multi Pontifices Romani fuerunt impii, Scortatores, cædium & bellorum auctores; Petrus vero econtra pius, Sanctus, & honeſtus; ergo.

IX.

IX. Sæpe fuit electus in Episcopum Romanum, qui plane non idoneus erat officio Capitis, & Summi Sacerdotis muneri in ordine ad universam Ecclesiam. Enimvero historia Pontificum docet, non paucos ad Romanam Cathedram evectos esse, qui ne quidem S. Ordinibus initiati erant, uti *Benedictus XI.* qui puer ferme decennis in Pontificem assumptus fuit. *Joannes XIX.* qui ex Laicali ordine repente constitutus est Præsul Romanus. *Joannes XII.* qui Pontificatum usurpavit vix annos undeviginti natus. Atqui non est verisimile, quod Christus ejusmodi subjecto incapaci supremam suæ Ecclesiæ curam velit committere; ergo.

X. Sunt ex Romanis Episcopis plures, qui ad Pontificatum sibi viam straverunt pecuniis, factionibus, & nescio quibus aliismodis, artibus, & Consiliis: uti sunt jam nominatus *Joannes XII.* qui malorum Consilio urbis Papa effectus est. *Joannes XIX.*, qui largitione pecuniæ Pontificatum obtinuit. *Benedictus IX.* qui à Patre Tusculano Comite intercedente thesaurorum pecunia sedi Romanæ impositus fuit. *Gregorius VI.* qui Pontificatus honorem pecunia emit à *Benedicto IX. Stephanus VII.* qui per Adalbertum Tusciæ Marchionem potentissimum quasi vi intrusus fuerat. Demum *Vigilius*, qui per Theodoram Imperatricem, cui spoponderat, quod Eutichianos hæreticos tueri velit, illicitis prorsus promissis & viis ad Pontificatum venerat. Atqui quis credat, quod Christus tales homines, viisque tam illicitis pro Ecclesiæ suæ supremo capite, suoque in terris Vicario agnoscere velit. Ergo.

XI. Verum Ecclesiæ Caput debet corpori mystico vitam, motum, sensumque largiri, membrorum spiritualium ordinem Sancire, & tueri, eorum necessitates cognoscere, preces exaudire, difficultatibus consulere; atqui tale Ecclesiæ Caput est solus Christus: ergo non Romanus Papa. Ita iterum citatus jam Hollazius.

XII.

XII. Si Romanus Epiſcopus ſuccederet S. Petro in Primatu, tunc ſequeretur, quod etiam fæmina poſſet eſſe caput Eccleſiæ, & Univerſalis Paſtor; atqui hoc eſt inconveniens, & Chriſto maxime indignum; ergo. ſeq. maj. prob. Sæculo IX. Sedit Romæ ſub nomine *Joannis VIII.* fæmina in throno Epiſcopali: ergo.

XIII. Cum Sæculo XIV. Sedes Pontificia Avennione in Gallys hæſit, per 70. annos ſucceſſerunt in Primatu Præſules Avennionenſes, nimirum *Joannes XXII. Benedictus XII. Clemens VI. Innocentius VI. Urbanus V. Gregorius XI.* Ergo jus ſuccedendi S. Petro in Primatu, non convenit ſoli Romano Epiſcopo.

XIV. Nullibi in S. Scriptura legitur, quod S. Petrus juſſus fuerit Romæ exigere Cathedram Primatus: ergo non apparet, quomodo Romanus Epiſcopus ex jure Divino ſuccedat S. Petro in Primatu.

XV. Quod Romanus Epiſcopus ſuccedat S. Petro in Primatu, unice dependet à facto humano, ſcilicet Petri, quod Romam libere elegerit pro ſede ſua. Ergo ſicut hoc factum non fuit juris Divini, ita nec illud eſt juris Divini, quod in hoc facto fundatur, ſcilicet Succeſſio Epiſcopi Romani in Primatu.

XVI. Totus Primatus, quem Romano Epiſcopo vendicant Papiſtæ, eſt Primatus tantum honoris, qui ei ob eminentiam urbis Romæ conceſſus fuit, quemadmodum habetur ex Concilii Nicæni Can. 6. cujus verba ſunt: *Antiqua conſuetudo ſervetur per Ægyptum, Lybiam, Pentapolin ita, ut Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem, quia & Urbis Romæ Epiſcopo hoc conſuetum eſt. Similiter in Antiochia, & cæteris Provinciis ſua privilegia & dignitates Eccleſiis ſerventur.* Ita citatus Hollazius. Qui exinde infert: ergo ſi primatus non eſt juris divini, quomodo Succeſſio Romani Epiſcopi in primatu erit juris Divini.

XVII. Romanus Episcopus primatum jurisdictionis in universam Ecclesiam primum à tempore Imperatoris Phocæ ad initium Sæculi VII. usurpare cæpit; & Bonifacius III. tunc temporis Romanus Episcopus erat ille, qui à dicto Jmperatore homine sceleratissimo hunc potestatis Primatum in universam Ecclesiam sibi confirmari petiit, nec sine dolo obtinuit. Quippe cum Phocas ob cædem Mauritii Imperatoris acriter ab Episcopo Constantinopolitano corriperetur, Bonifacius ferro dum calet utendum ratus, Phocam contra Episcopum Constantinopolitanum defendit, ejusque facinus probavit; quamobrem à Phoca Primatum obtinuit. Ergo Papa non à Christo, sed à Parricida caput & Monarcha Ecclesiæ est constitutus. Ita infamiter arguit Hollazius.

XVIII. Præprimis, quia usque ad Constantinum M. in historia Ecclesiastica nihil reperitur de visibili capite Ecclesiæ. Prioribus tribus sæculis, ubi Ecclesia graves perpessa est persecutiones, Episcopi se pro æqualibus agnoverunt. A tempore autem Constantini M. Ecclesia gubernata est per Patriarchas, Metropolitanos, & Episcopos. Metropolitani sacris præerant in Provinciæ Metropoli, & erant quinque: *Romanus*, *Constantinopolitanus*, *Alexandrinus*, *Antiochenus*, *& Hierosolymitanus*; inter quos tamen *Romanus* ob urbis eminentiam Primatum honoris acceperat. Ergo. Ita idem Hollazius.

XIX. Zosimus Pontifex, ejusque Successores *Bonifacius I.* & *Cælestinus I.* dominatum in Ecclesias Affricanas affectarunt; at Patres Affricani tam mascule sua jura & libertatem defenderunt, ut Pontifices ob eorum fastum palam increparint: ergo. Ita vere Calumniosus Hollazius.

XX. Si Petro in Primatu Succederet Romanus Pontifex, deberet habere eandem jurisdictionem & potestatem, quam Petrus: atqui hoc non videtur admittendum: ergo. min. prob. Si hoc admittatur, etiam admitti deberet, quod immediatus

Suc-

Succeſſor Petri, nempe Linus fuerit ſuperior reliquorum adhuc viventium Apoſtolorum: atqui hoc non videtur admittendum: ergo.

XXI. Nullus ex Apoſtolis viventibus Petro ſucceſſit in Primatu: ergo neque alius etiam Romanus Epiſcopus.

XXII. Ideo juxta Papiſtas deberet continuo aliquis ſuccedere in Primatu Petri, quia eum exigit bonum Eccleſiæ, cum Pontifex ſit propter Eccleſiam, non Eccleſia propter Pontificem, ſed hæc ratio non urget: ergo. min. prob. Etiam prophetæ erant propter Eccleſiam: qui tamen ſibi continuo non ſuccedunt: ergo etiam.

XXIII. Poſita etiam ſucceſſione, tamen neceſſarium non eſt, ut tantum unus ſuccedat in ſolidum, ſed poſſunt etiam eſſe multi: ſicut etiam Imperium politicum eſto primitus conſtitutum ſit in uno, tamen ſucceſſive partitum eſt in duo, nempe in Orientale, & Occidentale, in perſonis Valentis, & Valentiniani: ergo.

XXIV. Ideo Epiſcopus Romanus eſt ſucceſſor Petri, quia Petrus Romæ geſſit Pontificatum, & inibi mortuus eſt: ſed hæc ratio eſt nulla: ergo. Moyſes & Aaron in deſerto mortui ſunt Pontificatum gerentes: & tamen ſedes Pontificatus Judaici non ſemper manſit in deſerto. Imo Chriſtus ſummus Chriſtianorum Pontifex obiit Jeroſolymis: ergo ibi, non Romæ ſedes Pontificalis Chriſtianorum eſſe deberet. Ergo etiam.

XXV. Solus Chriſtus pro novo teſtamento fuit figuratus per Aaronem, qui fuit Monarcha, Primas, & Rector Synagogæ; ergo ſolus Chriſtus eſt totius Eccleſiæ Monarcha, Primas, & Rector; ergo nec Petrus talis fuit; ergo nec Romanus Pontifex in Primatu Petro ſuccedit. ant. prob. Chriſtus illam figuram in ſe ipſo jam explevit; ergo ob figuram veteris teſtamenti non eſt neceſſarius Rector in novo teſtamento, qui ſit præter Chriſtum figuratus per Aaronem: ergo. Ita Calvinus L. 4. Inſt. c. 6. §.

XXVI. S. Gregorius M. lib. 4. epist. 32. recusavit dici *universalis Episcopus*: imo hunc titulum lib. 6. epist. 30. acriter improbat his verbis: *Ego fidenter dico; quia quisquis se universalem Sacerdotem vocat, vel vocari desiderat, in elatione sua Anti-Christum præcurrit, quia superbiendo se cæteris præponit.* Et in Epist. 32. ad Mauritium Imperatorem scribit: *S. Petro cura totius Ecclesiæ & Principatus committitur, & tamen universalis Apostolus non vocatur.* Unde etiam can. primæ sedis. 3. dist. 99. ex Concilio Affricano ita statutum refertur: *Primæ sedis Episcopus non appelletur Princeps Sacerdotum, vel summus Sacerdos, aut aliquid hujusmodi*, v. g. universalis Episcopus, *sed tantum Primæ sedis Episcopus.* Atqui si Romanus Pontifex succederet Petro in Primatu, esset universalis Episcopus: ergo.

XXVII. Pontifices agnovere Imperatores ut suos Superiores: ergo Pontifices Romani non succedunt in Primatu Petri. ant. prob. S. Gregorius lib. 2. epist. 61. vocat Imperatorem *Serenissimum Dominum suum*, se vero *ejus servum*, qui ei *obedientiam debeat.* Item ut liquet ex can. Hadrianus 22. dist. 63. Adrianus Papa II. Carolo Magno concessit *Jus eligendi summum Pontificem*, & *ordinandi Apostolicam sedem.* Quod & concessit Leo VIII. Ottoni I. ut habetur can. In Synodo. 23. dist. ead. Item Leo IV. à Ludovico Imperatore Judices petiit, & promisit, se eorum sententiæ pariturum, ut habetur can. Nos si. 41. caus. 2. q. 7. Ergo.

XXVIII. Pontifex in interiori foro conscientiæ est subjectus judicio etiam coactivo sui Confessarii; quia hic ei pænam seu pænitentiam injungit; ergo etiam in foro exteriori Pontifex potest esse subjectus judicio coactivo Imperatoris.

XXIX. Sicut Confessarius Pontificis est instrumentum & Minister Dei, ita & Imperator est Minister Dei; ergo sicut Confessarius Pontificis potest Pontificem judicare in foro interno, ita & Imperator potest Pontificem judicare in foro externo.

no.

no. Unde Paulus ad Rom. c. 13. v. 4. loquens de Principe sæculari, ait: *gladium portat, Dei enim Minister est.* Ita Novatores.

XXX. S. Paulus ad Rom. c. 13. v. 1. dicit: *Omnis* (Ergo & Romanus Pontifex) *anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Ergo Imperator potestatem habet judicandi Pontificem.

XXXI. Ipse S. Paulus judicavit se jure & juste posse ab Imperatore judicari: quia ad Imperatorem appellavit, ut habetur Act. c. 25. v. 10. & 12. Ergo etiam.

XXXII. De facto plures Imperatores etiam Christiani judicarunt Romanos Pontifices: ergo. ant. prob. Constantius in exilium misit Liberium Papam. Eadem pæna mulctavit Justinianus Sylverium Romanum Pontificem. Joannes I. à Theodorico Rege fuit detrusus in carcerem. Otto I. Joannem XII. deposuit à Pontificatu, & in ejus locum substituit Leonem VIII. Henricus III. deposuit Gregorium VI. & ejus jussu ordinatus est Clemens II. Ergo.

XXXIII. Nullus Romanus Pontifex fuit, aut est Pastor Ecclesiæ universalis: ergo nullus Romanus Pontifex fuit, aut est Petri in Primatu Successor. ant. prob. Martinus V. in sua constitutione, qua Concilii Constantiensis censuras in *Huss*, & *Wicleff* confirmavit, addit: *Error est, si Wicleff per Romanam Ecclesiam intelligat universalem Ecclesiam:* ergo.

XXXIV. Nulli alteri Apostolo data est personaliter pro una singulari sede Successio; ergo nec Petro.

XXXV. Romanus Episcopus nequit inaugurare, aut exauctorare Patriarchas: ergo non est illis Superior, sed omnes insimul Ecclesiam regunt, ut S. Cyprianus dicit lib. de unitate Ecclesiæ: *Episcopatus unus est, cujus pars à singulis in solidum tenetur.* Ergo Romanus Episcopus non habet Primatum.

XXXVI. Si Romanus Pontifex succederet Petro in Primatu, esset Episcopus Episcoporum: sed hoc non, ut habetur ex

S. Cypriano in epist. ad Quintum his verbis: *Neque enim quisquam nostrum Episcoporum se Episcoporum constituit*: ergo.

XXXVII. Si Romanus pontifex esset primas & Episcopus Episcoporum, ab eo reliqui judicari possent Episcopi: sed Episcopi à solo Deo judicantur dicente Cypriano loc. ant. cit. *Sed expectemus universi judicii Domini nostri JEsu Christi, qui unus & solus habet potestatem & præponendi nos in Ecclesiæ suæ gubernatione & de actu nostro judicandi;* Ergo.

XXXVIII. S. Cypriauus nullam agnoscit in Romano Pontifice auctoritatem super alios Episcopos: ergo nec primatum. Ant. prob. ex eo, quia cum Episcopi Comprovinciales Basilidem Asturicensem in Hispania Episcopum ob idololatriam exauctorassent, aliumque inaugurassent, ad Stephanum Pontificem appellavit Basilides, & ab eodem in Episcopalem sedem fuit restitutus: quo audito, Cyprianus Stephani judicium reprobavit, atque sartam tectamque Hispanorum Episcoporum sententiam dixit: Ergo. Nec dicatur, reponunt Hæretici, Cyprianum declarasse Stephani judicium irritum, quia à Basilide ab eo fuit fraudulenter extortum. Non dicatur inquiunt, quia Cyprianus Stephani judicium declaravit irritum ob carentiam jurisdictionis, ut patet ex Cypriano lib. 3. epist. 3. ad Cornelium.

XXXIX- Pontifices Ecclesiæ primatum ab Imperatoribus aucupati fuerunt. Etenim Constantinus M. decrevit, Pontificem ut Regem venerandum esse, ut colligitur ex can. Constant. dist. 96. Phocas teste Calvino lib. 4. inst. c. 7. §. 17. Papæ primatum supra Græcos donavit; supra Gallos, Germanos Pipinus, & Carolus M. Lutherus vero de potestate Papæ affirmat Constantinum IV. primatum Papæ detulisse, hac super re Platinam referens in vita Benedicti II. Ergo jure Divino Pontifici Romanon non competit Primatus.

XL. Scriptura interruptam vult Pontificum Successionem: nam Num. c. 24. v. 24. dicitur: *Venient in trieribus de Italia, supera-*

perabunt Assyrios, vastabuntque Hebræos, & ad extremum etiam ipsi peribunt; ergo successio in Primatu cessabit. Ergo non est juris Divini usque ad Consummationem Sæculi.

LXI. Dignitas Primatus alligata fuit magnitudini urbis Romanæ: atqui hæc nunc desiit: ergo & dignitas Primatus desiit. maj. clarescere videtur ex Novel. Valentiniani III. Imperatoris: *Cum igitur Sedis Apostolicæ Primatum S. Petri meritum, qui Princeps est Episcopalis Coronæ, & Romanæ dignitatis Civitatis, sacræ etiam Synodi firmaverit auctoritas* &c. Ergo

XLII. Schismata, quæ in Ecclesia fuerunt, & illud potissime dirum, diuturnumque à temporibus Urbani VI. (quod plerique volunt ad annos 52. perdurasse) palam faciunt interruptam Pontificum successionem, cum eo tempore persæpe duo, quandoque tres computentur Pontifices. Ergo

SOLUTIONES.

Ad I. neg. maj. ad prob. Conc. ant. neg. conseq. Confessio Divinitatis, & amoris contestatio erat quidem occasio aut motivum, cur Christus S. Petro contulerit Primatum, præmiaturus actum heroicum. Verum quia ita Petro hanc dignitatem commisit, ut eum veluti fundamentum, & Petram suæ Ecclesiæ usque ad consummationem sæculi duraturæ constituerit, tantum abest, ut hanc dignitatem privilegium mere personale voluerit, ut dubitare nefas sit, eam non tam personæ, quam officio, quod Petro imposuit, annexum esse. Voluit Ecclesiam suam perpetuam; voluit ergo Pastorem quoque perpetuum, & caput visibile constituere. S. Petrus non potuit esse Pastor & Caput perpetuum in sua propria persona; igitur quidquid jurisdictionis, quidquid eminentiæ & potestatis in Ecclesiam S. Petro contulit, non tantum ipsius personæ, sed in hac omnibus etiam ejus in officio Successoribus contulit, adeo ut

in

in Petro ſingulis dictum ſit: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram* &c. *Tibi dabo claves Regni Cælorum: Tu paſce oves meas: Tu confirma fratres tuos.* &c.

Ad II. Conc. maj. neg. min. una cum ſua proba. Eccleſia tantum deſignat perſonam, qua deſignatione veluti conditione ſuppoſita Chriſtus, ad cujus manus poſt mortem Petri, aut cujusvis Pontificis claves rediere, noviter electo immediate confert poteſtatem clavium, non quidem collatione nova, ſed inſtitutione priſca.

Ad III. Conc. maj. neg. min. ad prob. conc. ant. diſt. conſeq. Ergo Eccleſia poteſt carere capite & paſtore viſibili ad tempus, conc. conſeq. in perpetuum, & pro omni tempore, neg. conſeq. Primum ex adductis exemplis evincitur, non item ſecundum

Ad IV. Conc. ant. neg. conſeq. Ratio Diſp. eſt: quia dignitas Apoſtoli proprie talis illi duntaxat convenit, qui immediate aut à Chriſto Domino electus, aut à Spiritu S. ſpeciatim ſegregatus, primis illis temporibus immediatus Verbi Divini in ordine ad univerſum orbem Miniſter extitit; quæ dignitas, cum fuerit mere perſonalis, exſpiravit in Petro, proin Romanus Pontifex eidem non ſuccedit in hac prærogativa, ſicut tamen ſuccedit in primatu, qui, quoniam non erat dignitas mere perſonalis, ſed potius prærogativa muneris, cum Petro non exſpiravit, ſed una cum munere capitis ad omnes, quotquot ſunt, ſucceſſores tranſit.

Si dicatur: Romanus Pontifex non aliter ſuccedit S. Petro, ac alii Epiſcopi ſuccedunt cæteris Apoſtolis in ſuis, quas fundarunt, cathedris; atqui alii Epiſcopi ſuccedunt cæteris Apoſtolis tantum in Epiſcopatu, non item in jurisdictione tam univerſali, quam iſti habuerunt in univerſum orbem: ergo neque Romanus Pontifex aliter ſuccedit Petro. ℟. neg. maj Magnum eſt diſcrimen inter jurisdictionem, quam Petrus, & eam quam cæteri Apoſtoli in univerſum acceperunt orbem; cæterorum

rum Apoſtolorum erat extraordinaria, Petri ordinaria. Nam cæteri Apoſtoli acceperunt jurisdictionem univerſalem præciſe ratione Apoſtolatus, unde ſicut Apoſtolatus erat privilegium mere perſonale, ſic etiam ea jurisdictio tale fuit, & expiravit cum perſonis Apoſtolorum; unde non mirum, ſi hæc jurisdictio cæterorum Apoſtolorum una cum cathedris non tranſeat ad Succeſſores. Verum Jurisdictio Petri in univerſum orbem erat ordinaria, id eſt, non erat ipſi conceſſa præciſe ratione Apoſtolatus, ſed & ob rationem Capitis & Paſtoris perpetui, quare ſicut hoc munus Capitis & Paſtoris perpetui non exſpiravit in Petro, ſed tranſit ad omnes Succeſſores, alias non eſſet munus perpetuum, ita neque jurisdictio Petri univerſalis cum eo exſpiravit, ſed tranſit una cum munere ad Succeſſorem, Romanum Epiſcopum.

Ad V. diſt. ant. S. Petrus nuſpiam ſe dicit Romanæ Eccleſiæ Epiſcopum, dicitur tamen talis à conſtanti & perpetua traditione Patrum, conc. ant. ſecus neg. ant. Quod univerſa tenet antiquitas, quod vetuſtiſſimæ tradunt tabulæ, quod communis omnium ſenſus eſt, hoc Novatores ſine fronte negant, ſed maximo ipſorum probro.

Ad VI. quoad I. neg. ant. Romanus Epiſcopus ſuccedit S. Petro in munere capitis, & Paſtoris totius Eccleſiæ: ergo habet ſuam vocationem, ſive munus & jurisdictionem, unde eam habuit Petrus; hoc enimvero dicit natura ſucceſſionis, ut notum eſt illi, qui ſucceſſionem à nova inſtitutione ſecernere novit: ergo ſicut S. Petrus ſuam vocationem habuit immediate à Chriſto, ita & Romanus Epiſcopus. Nec obſtat, quod eligatur, hæc quipe electio, ut jam dictum, eſt mera deſignatio perſonæ, cui ſemel electæ Chriſtus ex inſtitutione antiqua confert ſupremam jurisdictionem. Quoad 2. neg. ant. quod Romano Pontifici qua Eccleſiæ capiti & Epiſcopo univerſali non liceat ordinare Epiſcopos extra Eccleſiæ, quæ Romæ exiſtit, fines & terminos.

Ad VII. Romanum Episcopum equidem sibi adlegere plures laborum socios (id quod ipse Christus & Apostoli fecerunt) at propterea tam parum otiosum esse, quam parum lapis angularis, cui grande ædificium insistit, otiari dici potest. Ad ipsum pertinet cura omnium, ut loquuntur cum Irenæo Patres, ipse universum prorsus orbem Catholicum moderari debet. En quam lepidum sit argumentum Hollazii, & Novatorum?

Ad VIII. neg. ant. quoad utrumque membrum. Quod doctrinam concernit, non est inpræsentiarum singulos articulos vendicare. Centies jam ad oculum demonstratum est, veram doctrinam Christi & Apostolorum, proin etiam S. Petri in nulla, præterquam in Ecclesia Romana, & quæ cum Ecclesia Romana communionem habet, puram integramque inveniri. Ut erudite docet Petrocoviensis Synodus, quæ ipso Pseudo-reformationis à Luthero incæpto tempore celebrata in sua confessione fidei Art. 2. de fide & Symbolo t. 23. ita loquitur: *Defecit Jerosolymitana Ecclesia, cui præsedit Jacobus: defecit Achaja, ubi Andreas: defecit Asia, ubi Joannes: defecit India, ubi Thomas: defecit Persis, ubi Judas: defecit Æthiopia, ubi Matthæus: defecit Phrygia, ubi Philippus: defecit Græcia, ubi Paulus: sola fuit, & est Ecclesia Romana, ad quam, sicut præclare scribit Cyprianus, nunquam accessum habere potuit perfidia.* Splendide ergo mentitur Hollazius, cum Romanum Episcopum non succedere S. Petro in doctrina asserit. Verum quid de vita & moribus est dicendum? Quatuor objicit Hollazius, quorum priora duo loquitur invidia, tertium incontinentia, postremum vero male affectata simulatio. Papam esse auri & argenti cupidissimum, calumnia est heterodoxis in Romanum Caput à longo tempore communis; legant ipsas Romanorum Pontificum sacratas leges, & docebuntur, quantum omni tempore ab hoc avaritiæ vitio abhorruerint, illud aversando imo severe reprehendendo. Si tamen unus vel alter ex tot Pontificibus ostendi queat, qui illo vitio fortè labo-

laboraverat, personæ labes fuit non officii. Nec ex illo: *aurum & argentum non habeo*, probabit Hollazius, Romanum Pontificem dedecere, ut habeat aurum & argentum. Christus equidem misit Petrum, misit & cæteros Apostolos ad prædicandum Evangelium sine auro & argento, sine pera, sine duabus tunicis, sine calceamentis, sine virga; sed elegit infirma, ut fortia confunderet, omnesque intelligerent, magnum Redemptionis, ac Evangelicæ veritatis prædicationis opus non humanum, sed divinum esse. Interea nullibi locorum prohibuit, ne crescente fidelium numero charitate & munificentia ipsa quoque Ecclesia dives fieret, majoremque in suis functionibus, templis, & vestibus Sacris servaret Majestatem. Quin etiam prædixit Apostolis, quod, etiamsi modo sine Sacculo, & sine pera ad prædicandum abirent, multis tamen divitiis in hac adhuc mortali vita sint cumulandi Lucæ c. 18. v. 29. & 30. Imo Romanus Pontifex tot sustentandos habet officiales pro expeditione caussarum: tot Cancellarias: quæ magnam requirunt pecuniarum substantiam. Dein si successores Apostolorum aurum & argentum dedecet, cur Hollazius & cæteri Præcones, qui tamen licet falso se quoque jactant Apostolorum Successores, aurum & argentum non abjiciunt? Lepidam audiat invidus Hollazius historiunculam, quæ de indocto Pastore quodam & Parocho Catholico circumfertur. Contigit ut Parochus Catholicus generoso equo coram Pastore præterveheretur, aut equitaret. Acclamavit Pastor: quid hoc? An ergo Christus, an Apostoli, quorum Successores sumus, tam generosis insidebant equis? absit, pauperculis asinis vehebantur. Lepido clamori respondit lepide Parochus; Ita sane, verum dolendum, quod asini modo in Pastores assumantur, & nobis non amplius supersint, qui equorum loco servirent. Hæc accomode ad illum Pastorem indoctum.

Sed Papa se gemmis ornat, & auro tegit, est altera invidiæ vox. Si quid ornamenti summus rerum Antistes ejusmodi in rebus servat, contingit hoc plerumque in S. vestibus, quæ nunquam pretio suo, quantum quantum illud est, Divinam Majestatem, in cujus honorem summus Sacerdos sacra peragit, exæquare possunt. Deo invident, quiqui aut templorum, aut Sacerdotum ornatum luxum reputant, & arbitrantur. Heterodoxorum & Pseudo-Politicorum, qui non, quæ Dei, sed quæ sua, quæ mundi sunt, quærunt, hæc indoles est, & lividus clamor: *Dicite Pontifices in Sacris, quid facit aurum?* Nempe nesciunt, aut nescire volunt, quia nullius Religionis veræ sunt, aurum & gemmas nunquam magis ac dum in sui conditoris gloriam assumuntur splendescere. Quam pretiosum fuerit Solymæum templum, Hollazius cum suis ignorare non potest. Quam divites auroque graves Sacerdotum Vestes, antiquæ paginæ Scriptura edocet. Quam vero collocatæ ita divitiæ placuerint regnanti in cœlis Deo, stupenda patefecere mira, quæ nec negare, nec numerare quisquam potest. Nunquid ipse David vel in hoc solo maximam suam felicitatem collocaverit Psal. 25. v. 8. quod dilexerit decorem domus Domini, & locum habitationis gloriæ ejus? Nunquid quod veteri in testamento supremo Numini tantopere placuit, in novo displicere potest? sane non! displicet hoc solum Lutheri & Calvini præconibus. Displicet hoc solum Pseudo-Politicis, quorum sincera in Deum Religio est cura ultima. Quod si foret tamen Hollazius suis argumentis petat quoque vestes Papæ non Sacras, ejusque Palatium & totam aulam, fatendum quidem ea omnia servare Majestatem, quæ supremum orbis Catholici Monarcham decet: at præterea dicendum, injustissimam esse Hollazii invidiam, qua hæc arrodit. Si Dominus à famulo, si nobilis à plebejo, si Princeps à Cive, si denique, & ad hominem loquar, Hollazius, & ipsius in prædicanda Lutheri aut Calvini secta socii se distinquunt à vulgo

tum

tum in vestibus, tùm in ædificiis, tum in famulitio, tum aliis, cur id non liceat in Hierarchia Ecclesiastica supremo Principi? Principem magnum decet pompa magna, Principem majorem decet major, Principem maximum decet maxima. Quamquam ut optime annotat Petrus de Alliaco lib. 2. c. 11. apud Raynaldum ad annum 1204. §. 11. *Magnificos hos apparatus sive in equis sive in vestibus, ac aliis exterioribus ornamentis, à tempore beati Sylvestri Papæ, SS. Patres non solum summi Pontifices, sed & alii minores Episcopi non ad suam, sed ad Christi & Ecclesiæ ejus gloriam extollendam introduxisse credendi sunt; quos exterius cum temperantiæ moderamine observare, interius tamen servata humilitate, non vanitatis, aut vitii est, sed virtutis, ac meriti.*

Porro quod S. Petrus vixerit in conjugio, Romanus autem Pontifex Clericorum conjugium damnet, non impugnat, sed commendat hujus virtutem & sanctitatem. Nunquid virtutis est, nunquid sanctitatis sequi consilia Evangelica Christi Domini? Inter aut certe juxta hæc esse cælibatum quis negabit? consilium igitur Evangelicum Christi Domini sequitur, & adimplet Romanus Pontifex, dum à conjugio abstinet, & etiam omnes, quotquot libere statum Clericalem eligunt, ad continentiæ meritum stringit, & ducit: virtutis ergo & meriti est servare cælibatum. Verbum quod non capiunt omnes, omnium minime Protestantes. Vana itaque, imo vanissima ac ridenda est illatio; S. Petrus vixit in conjugio: Romanus Pontifex damnat conjugium clericorum: Ergo non succedit S. Petro in Primatu. Quod vero S. Petrus vixerit in conjugio, inde factum est, quia acceperat uxorem eo tempore, quo Evangelium nesciebat. Interea ex communi doctrina Patrum advertendum, quod Petrus assumptus in Apostolum illico dimiserit officium conjugale, quod non obscure insinuat Lucas c. 18. v. 28. 29. & 30.

An præter S. Petrum etiam reliqui Apostoli fuerint matrimonio juncti ? res est maxime in bivio posita. Certe Tertullianus & S. Hieronymus sententiam negativam tuentur. Ille clare scribit in lib. de Monogamia. c. 8. *Petrum solum invenio maritum per Socrum.* Iste contra Jovinianum lib. 1. c. 14. ita loquitur: *Quoniam excepto Apostolo Petro non est manifeste relatum de aliis Apostolis, quod habuerint uxores: & cum de uno scriptum est, ac de cæteris tacitum, intelligere debemus, eos sine uxoribus fuisse, de quibus nihil tale Scriptura significat.* De S. Petro igitur habemus fundamentum, quo eum matrimonio junctum dicere valemus, non item de cæteris Apostolis. Dicit quidem S. Paulus 1. ad Corinth. c. 9. v. 5. *Nunquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut & cæteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas?* Verum S. Paulum per mulieres sorores hic intelligere *pias mulieres*, quæ illos sequebantur, & necessaria ad vivendum subministrabant, inter S. Scripturæ interpretes opinio, & sententia communis est. Cæterum etsi detur, præter Petrum etiam Andream, ut S. Ambrosius comment. in Luc. c. 4 sentire videtur; aut quoque Philippum, ut Clemens Alexand. lib. 3. strom. p. 448. putat uxorem habuisse, ad Apostolatum tamen vocatus nullus eadem amplius ad conjugales amplexus usus legitur, multo minus scriptum invenitur, quod Apostolorum aliquis absque uxore ad Apostoli officium assumptus postea talem duxerit. Petrum filiam suam Petronillam ante Apostolatum genuit, ut communis iterum Patrum sensus est. *Petronilla* autem probabilius vocari cæpit primum postea in baptismo, à novo Patris nomine, quod *Petrus* erat.

Jam ad Argumentum, quo ultimo dicitur: S. Petrus fuit Sanctus, pius, castus, & honestus, non item multi Pontifices. At quid Calumniatores cum Hollazio plus inde inferri posse contendunt, quam Summos Pontifices, etsi in summitate arcis constitutos, tamen adhuc manere homines, conditioni

ni fragili usquequaque obnoxios. S. Paulus fuit Apostolus, & Doctor gentium Sanctissimus, in tertium jam raptus cælum, & tamen mansit homo, qui aliam legem in membris suis senserat repugnantem legi mentis, qui stimulo carnis erat subditus. Quod si Romani Pontifices non exuunt conditionem humanam, si eorum virtus in infirmitate perfici debet, si unus vel alter (paucissimi vero nominari poterunt, & cum Sergio III. vix ultra quatuor) de recto vitæ curriculo deflexit: fragilitatis humanæ labes est, non officii. Recogitent Protestantes, quæ scelerum sentina fuerit eorum Protoparens Lutherus, & Calvinus. En quæ futilia argumenta adversarii excogitent, ut simplicem plebem seducant? Jam

Ad IX. Conc. maj. neg. min. Deus quippe omnia suaviter disponit. Unde quamvis, quia humanis dispositionibus vim inferre non vult, nonnunquam permittat, ut minus idoneus ad Pontificiam sedem assumatur, tamen & in tali subjecto suum finem consequi novit, suamque conservare Ecclesiam; eo quod nec scientiæ, nec sanctitati, nec ulli ætati hominis divinis suis consiliis alligatus sit, & sæpe jam elegerit infirma mundi, ut fortia quæque confunderet, aut etiam mala permiserit, ut majus inde bonum educeret. Si per asinam Dominus loqui dignatus est Num. c. 22. v. 28. cur exigente Ecclesiæ necessitate non loquatur per hominem, quamvis gravibus vitiis coopertum? Spiritus, ubi vult, spirat etiam quandoque contra indolem & voluntatem loquentis. Pro exemplo est Caiphas, de quo habetur Joan. c. 11. v. 50. & 51. *Expedit nobis, ut unus moriatur pro populo, & non tota gens pereat: non à semetipso hoc dixit, sed cum esset Pontifex anni illius, prophetavit.* Etsi ergo aliquis Romanorum Pontificum à peccatis & vitiis non sit immunis, etsi ætate & virtute minor supremo sit fastigio, dum tamen Ecclesiæ & fidei causa agitur, non jam ipse, sed Deus per ipsum loquitur Ecclesiæ, juxta illud Matth. c. 10. v. 20.

Non

Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis. Cæterum quotquot ex ordine Laicali, aut nondum Presbyteri in Summum Pontificem adoptati fuere, SS. Ordinibus illico initiati ſunt.

Ad X. Id ipſum, quod ad prius argumentum dictum, reſpondendum venit. Nam quamvis viæ, quibus unus vel alter ſupremum Pontificis ſolium conſcenderat, eſſent maxime illicitæ, electionis tamen Canonicæ defectum ſupplevit Eccleſia, dum talismodi ſubjectum pro Capite & Paſtore agnovit, & acceptavit. Quibus addendum: ſi ullibi vigilantis pro ſua Eccleſia Dei providentia elucet, his certe turbulentis in circumſtantiis mirifice reſplenduit, dum homines non adeo bonæ vitæ ad clavum ſedebant, & tamen Petri navicula è periculo naufragii tam feliciter eluctata eſt. Quantumcunque hi fuerint alias incautæ vitæ, nullus tamen ex iis Arianus, nullus Donatiſta, nullus Pellagianus, nullus qui hæreſim aliquam profeſſus eſſet, unquam extitit. Imo *Vigilius* etſi graviſſime antea *Theodoræ* ſe obſtrinxiſſet in ſavorem *Eutychetis*, vix Cathedram aſcendit, non aliter quam olim Saulus, qui ex perſecutore vas electionis factus, Spiritum Domini ſuper ſe ſenſit, & dextera Excelſi mirabiliter mutatus, omnium fortiſſime reſtitit & Theodoræ deſiderio, & Eutychetis hæreſi.

Ad XI. Conc. maj. diſt. min. Atqui ejusmodi Caput eſt ſolus Chriſtus Principale, conc. min. Miniſteriale, neg. min. & conſeq. Solutio jam ex dictis liquet.

Ad XII. Neg. ſeq. maj. Quam nec decantata fabula evincit. Cum res hæc altiori indagine ſit digna: ſpeciatim in præſenti refutandam aſſumimus. Igitur.

Origo hujus fabulæ eſt talis. Anno 1320. *Martinus Polonus*, & anno 1342. *Rudolphus Higeden*, & poſt hos alii Novatores, quorum non ultimus *Fridericus Spanhemius* produxerunt fabulam ſcribentes: quandam puellam ex Britannia, vel ut

alij

alii volunt, è Germania oriundam, *Gilberdam* nomine obscuris natalibus, à quodam Amasio corruptam, dissimulato sexu *Joannis Angli* nomen assumpsisse, & variis Regionibus ac Academiis peragratis Athenas cum eodem pervenisse, atque ibidem optimis artibus imbutam, amasio mortuo, Romam concessisse, atque per tres annos magna cum laude & auditorum frequentia publice docuisse, & ob doctrinæ splendorem Leone IV. Pontifice defuncto circa annum Christi 857. communibus suffragiis in Papam esse assumptam; deinde ab aliquo cardinale gravidam, in publica ad ædem Lateranensem supplicatione infantem in medio vico peperisse, & subito animam exhalasse. Sedisse fertur duobus annis, mensibus quinque, diebus quatuor. Hæc series hujus fabulæ. Cæterum *Eminent. Lambertinus* Martinum Polonum, & etiam Marianum Scotum vindicat lib. 3. de serv. Dei Beatif. c. 10. n. 4. & invictis argumentis demonstrari posse addit, quod neuter hanc historiam notaverit: signat propterea antiquissima eorum MS. in quibus nec vestigium hujus historiæ detegitur, unde infert Sapientissimus Doctor, hanc historiam procedente primum tempore scriptis Mariani & Martini assutam fuisse haud dubie ab Hæreticis, quorum odium in Romanam sedem neminem latere potest. Etsi *Franciscus Walchius* Protestantium Göttingensis Professor satis celebris dicat: iniquum esse, si Protestantes hujus historiæ Authores proclamentur, eo quod eorum Religio junior sit ea fabula: quasi vero, si ipsi sunt Authores, etiam fabula junior esse nequeat. Placet tamen, quod *Walchius* tam candide fateatur: *suam Religionem esse juniorem hac fabula:* Judicet jam quisquis velit, an Protestantium Religio sit vere Apostolica; cum ne quidem suam ætatem extendat usque ad hanc fabulam fatente ipso *Walchio*? Jam quidquid sit, sive à Protestantibus, sive aliunde hæc fabula ortum duxerit.

Refutatur ſequentibus argumentis. Primum ſumitur ex diſcordantia Authorum, qui de eo figmento in ſedis Apoſtolicæ contumeliam ſcripſerunt; nam diſcordant 1. *In Nomine:* Fulgoſus enim, Joannes Huſs, & Francus eam fœminam confictam vocant *Agnetem;* Zwingerus eam nominat *Gilbertam;* alii illam appellant *Iſabellam;* nonnulli *Juttam*: aliqui *Margaretham;* alii *Dorotheam.* 2. *In natali loco:* nam Fulgoſus ait, eam fuiſſe oriundam ex *Anglia;* Boccatius è *Germania.* 3. *In loco ſtudiorum*: nam Martinus Polonus *Athenis*: Scotenbergus *Lutetiæ*: Zwingerus vult in *Brittania* & *Romæ* eam ſtuduiſſe. 4. *In moribus:* etenim Martinus Polonus ſcribit, illam à paterna domo fugiſſe: Boccatius ab adoleſcente ſeductam, & in Angliam transportatam eſſe: Baleus à Monacho Britano corruptam, & Athenas ductam: Francus magia initiatam: Zwingerus & Boccatius fuiſſe virtute & ſanctitate iterum præſtantem. 5. *In tempore Pontificatus*: nam Martinus cum aliis dicit, eam in Pontificatu ſucceſſiſſe Leoni IV. & ſediſſe duos annos, menſes quinque, dies quatuor: alii ajunt ſucceſſiſſe Leoni V. alii Martino I. alii Benedicto III. aliqui vero dicunt ſucceſſiſſe Nicolao I. aliqui initium ejus Pontificatus ponunt ad ann. 854. alii ad annum 904. Aliqui volunt regnaſſe duobus annis, ſex menſibus: alii uno anno, ac quinque menſibus. 6. *In modo partus & mortis*: etenim aliqui, ut Martinus, ſcribunt, eam peperiſſe in ſupplicatione, & quidem ipſo feſto Corporis Chriſti (quod tamen feſtum modo anno 1264. ſub Urbano IV. inſtitutum eſt) ſubitoque mortuam eſſe: Boccatius vero ait, eam peperiſſe ſub ſacro, & non ſtatim mortuam, ſed ſuperſtitem in Tullianum conjectam eſſe: Annales Aquitaniæ referunt, id contigiſſe, cum *Joanna* per urbem equitaret. Scotenbergus ait, contigiſſe in ejus Palatio, cum in ſolio reſideret. Tanta ergo diſſenſio ſcriptorum in omnibus magnum ſane eſt argumentum falſitatis. Ergo Fabula anilis eſt.

Secun-

Secundum argumentum eſt: quod Joannes VII. longe ante Leonem IV. nempe 705. Joannes VIII. vero primum poſt Adrianum II. videlicet anno 873. Pontificatum tenuerit. Imo Scriptores vitarum Pontificum immediate poſt S. Leonem IV. ponunt Benedictum III. ita quidem, ut ſedem quindecim tantum diebus vacaſſe aſſerant. Quod confirmat Hincmarus Rhemenſis Archi-Epiſcopus, qui epiſt. 26. aſſerit, ſe nuntios miſiſſe Romam ad Leonem IV. qui vero Romam advenientes non jam Leonem, ſed Benedictum Pontificem in demortui Leonis locum electum venerati ſunt. Nicolaus I. ſucceſſor immediatus Benedicti III. qui optime ſcire & potuit, & debuit, cui ipſe, cui & Benedictus ejus Anteceſſor ſucceſſit, atteſtatur in terminis ſcribens ad Concilii Sueſſionenſis Patres, quod S. Leoni ſuffectus fuerit Benedictus III. Benedicto autem ipſe. Ergo alterum argumentum falſitatis.

Tertium argumentum eſt: quod ex omnibus viginti quatuor Pontificibus, qui *Joannis* nomine fuerunt inſigniti, nullus Britanus, aut Germanus reperiatur; nam ſeptendecim erant Itali, inter quos Joennes VIII. Romanus; Tres Græci, inter quos Joannes VII. Unus Gallus: unus Luſitanus: & unus Illyricus: tandem unus Antiochenus. Ergo tertium falſitatis argumentum

Dices I. S. Antoninus ſcribit de iſta hiſtoria: ergo de ea non eſt dubitandum. ℞. diſt. ant. ſcribit cum hac reſtrictione: *Si quod Martinus refert, eſt verum*: con. ant. ſecus, neg. ant. Imo ipſe Martinus, & alii Catholici quidam Authores Martinum ſecuti rem non pro certo, ſed dubie proponunt, adhibendo has clauſulas: *Dicitur*: *fama eſt* &c.

Dices 2. In templo Senenſi, ubi omnium Summorum Pontificum effigies conſpiciuntur, inter Leonem IV. & Benedictum III. interpoſita cernitur imago *Joannæ Papiſſæ*; ergo verum eſt, quod Authores referunt. ℞. Fictorem illius imaginis vulgi ru-

morem ſecutum, ſicque ſuo privilegio uſum eſſe, de quo Poeta: *Pictoribus atque Poetis* &c.

Dices 3. In ejus vici, in quo peperiſſe *Joanna Papiſſa* refertur, extremitate etiamnum cernitur in marmore ſculpta ſtatua matris cum ſuo filio: ergo ſupradictæ imaginis ſculptor non vulgi rumorem, ſed veritatem eſt ſecutus. ℞. 1. neg. conſeq. Nam cæcus cæcum eſt ſecutus, vel Sculptor pictorem, vel pictor Sculptorem. ℞. 2. neg. ant. Nam illa ſtatua non fœminam, ſed flaminem (gentilem Sacerdotem) qui palmam in humerum incumbentem habet, exhibet; neque Comes ejus Lateri adjunctus eſt infans, ſed ætate jam vegeta adoleſcens, quaſi genius, & Sacrorum miniſter.

Dices 4. Si iſta ſtatua *Joannam Papiſſam* non referat, cur ergo Romani Pontifices, dum ex Vaticano in Templum lateranenſe procedunt, memoratum vicum adeo declinant, per longiorem ambagem, ſcilicet per plateam S. Clementis viam inſtituentes? ℞. Summos Pontifices etiam per iſtum vicum inſtituere viam, niſi dum nimia multitudo populi exigit, ut per ampliorem D. Clementis plateam fiat proceſſio. Jam

Ad XIII. diſt. ant. Succeſſerunt Præſules Avennionenſes, qui tamen reipſa ſimul erant Præſules, ſeu Epiſcopi Romani, Conc. ant. ſecus, neg. ant. & conſeq. Illi Pontifices omnes, quantumvis in Gallia, quorſum Clemens V. ſedem tunc temporis ob Italiæ factiones transtulerat, reſiderent, fuerunt reipſa Epiſcopi Romani, nec alius interea electus, receptusque fuit pro Epiſcopo Romano, ac ille ipſe, qui tunc Avennione conſiſtebat, adeo ut veriſſimum ſit illud, *ubi Papa, ibi Roma.*

Ad XIV. Conc. ant. diſt. conſeq. Ergo non apparet, quomodo Romanus Epiſcopus ſuccedat S. Petro in Primatu jure Divino ſcripto, conc. conſeq. jure Divino tradito, neg. conſeq. Ex traditione compertum habemus, Primatum S. Petri tranſire jure Divino in ejus Succeſſores. Ejus ſucceſſores alios non eſſe,

quam

quam Romanos Episcopos, iterum ex traditione novimus. Ergo. Imo & habemus ex jure Divino scripto implicite, licet non explicite, & expresse: Christus enim fundavit Ecclesiam usque ad Consummationem Sæculi duraturam.

Ad XV. trans. ant. neg. conseq. Licet Christus forte non jusserit Petrum, ut Romam eligeret in Cathedram Primatus, supposita tamen libera hac electione per Petrum facta pronum est inferre Jus Divinum succedendi per se transiisse in Romanos Episcopos adeo, ut factum Petri per modum conditionis se habuerit, qua posita Jus Divinum se ipso transiit non aliter, ac modo sese habet electio Romani Episcopi, qua posita ex jure Divino transit Primatus in Episcopum noviter electum, quamvis cæteroquin electio sit factum humanum, quod Primatum non tribuit. Dixi *trans. ant.*. Quia Patres sunt, qui Petrum jussu Dei Romam venisse, Cathedram fixisse, & Martyrium pertulisse asserunt. Quo in supposito Romani Episcopi Successio non jam amplius dependet unice à facto humano, sed insuper à voluntate Christi.

Ad XVI. neg. ant. Contrarium satis ex hucusque dictis constat. Nec Canon VI. Concilii Nicæni Pontificis Primatum, & quidem jurisdictionis infringit. Nam est in eo sensu intelligendus, in quo S. Synodus eundem condidit. S. Synodus autem eundem condidit in sensu, quod Episcopus & Patriarcha Alexandrinus eorum omnium habeat potestatem in omnes sui Patriarchatus Ecclesias, quam Romanus Episcopus & Patriarcha Occidentalis habet in omnes Ecclesias sui Patriarchatus; consequenter sicuti de Primatu Romani Pontificis non loquitur, ita eundem nec minime infringit. Quod ut clarius intelligatur.

Advertendum I. Romanum Episcopum, præterquam quod sit Papa universalis, & totius Ecclesiæ Caput, quoque dici *Patriarcham Occidentis*. Concilium itaque Nicænum inpræsentiarum

non ut Caput totius Ecclesiæ, ac Papam universalem, sed ut Patriarcham eundem suspexit, & in hoc sensu dixit: Patriarcham Alexandrinum eorum omnium habere potestatem (intellige in Ecclesias sui Patriarchatus) quam habet Romæ Episcopus, intellige, ut Patriarcha Occidentalis in Ecclesias sui Patriarchatus.

Advertendum 2. Dum Novatores objiciunt Canonem prædictum secundum Ruffini versionem lib. 1. Histor. Ecclesiast. c.6. *Et ut apud Alexandriam & in urbe Roma vetusta consuetudo servetur, ut vel ille Ægypti, vel hic Suburbicariarum Ecclesiarum sollicitudinem gerat*: nihil evincere contra Romani Pontificis dignitatem, cum comparatio intercedat inter Alexandrinum Episcopum ut Patriarcham, & Romanum similiter quoad Patriarchicam jurisdictionem, remanente suprema ejusdem dignitate per universum terrarum orbem. Nec momenti est, Patriarchalem jurisdictionem extendi ad solas suburbicarias Ecclesias, quod Patriarchæ incongruum videtur: nam sub nomine Ecclesiarum suburbicarum non illæ tantum veniunt, quæ prope Urbem positæ erant, sed complures tam in Italia, quam extra Italiam.

Advertendum 3. Ferendo prædicto Canoni occasionem dedisse Meletium Lycopolitanum Episcopum: hic cum in persecutione Diocletiani lapsus esset, aliis etiam obnoxius criminibus, & à Petro Alexandrino Episcopo in Synodo quadam desuper celebrata sede sua depositus, schisma conflavit, seque à Petri Patriarchæ Alexandrini non tantum communione subduxit; sed insuper contra jura Patriarchæ Alexandrini varios in Ægypto Episcopos consecravit non aliter, ac si ipse foret Episcopus Alexandrinus, qui ex prisca consuetudine in Ægypto solus juribus Metropolitæ fruebatur. Ægre rem tulit Concilium, & postquam sententiam dixit Meletio, ad reparanda Alexandrini Patriarchæ jura præcitatum Canonem edidit, utque rem totam præstaret majori cum efficacia & expressione, addidit

ea

ea verba: quod Patriarcha Alexandrinus (in ſuo Patriarchatu) habeat omnium eorum poteſtatem, quam habet Romanus Pontifex (in ſuo ſcilicet Patriarchatu). Itaque in hoc Canone Primatum Romani Pontificis in univerſam Eccleſiam nequidem attigit, ſed ejus Patriarchatum tantum.

Ad XVII. neg. ant. Ejus falſitas in aprico ſtat, ſi perpendantur, quæ dicta ſunt. Quod Porro *Phocam* Imperatorem attinet, negatur, quod Papam conſtituerit Eccleſiæ Caput, & Monarcham. Juſtitiam adminiſtravit Bonifacio, præterquam nihil. Ab omni ævo Romanus Epiſcopus Eccleſiæ Caput, & univerſalis Paſtor audiit. *Cyriacus* tunc temporis Patriarcha Conſtantinopolitanus contra omne jus & fas *Oecumenici* Patriarchæ titulum ſibi arrogavit inſiſtens veſtigiis Prædeceſſoris ſui Joannis cognomento *Jejunatoris*, quem jam Pelagius II. deſuper ſevere arguit. Quod ipſum in Cyriaco Gregorius M. fecerat. Utroque autem nihil efficiente, tandem Bonifacius III. qui S. Gregorio ſucceſſerat, à Phoca Imperatore, quem Græci non poterant non timere, obtinuit, ut edicto ſolenni Patriarcha Conſtantinopolitanus juberetur abſtinere ab Epiſcopi *Oecumenici* titulo, utpote non ſibi, ſed ſoli Romano Pontifici ex jure Divino proprio. En! hoc erat, quod à Phoca jure poſtulare potuit Bonifacius, & Phocas jure præſtitit. Non igitur tribuit Romano Epiſcopo aliquid novi, inſtituendo quod non erat, ſed confirmavit, quod erat, reprimendo temeritatem eorum, qui arrogabant ſibi, quod alienum fuit. Interea Calumnia eſt, dum dicitur, Bonifacium Phocæ facinus, quo Mauritium morti tradidit, unquam approbaſſe.

Ad XVIII. Deſiderari probationes eorum, quæ aſſeruntur. Non eſt credibile, Hollazium legiſſe Irenæum, Cyrillum, Cyprianum &c. quos in probis allegavimus, qui haud diſertius quidquam adſtruunt, quam viſibile Eccleſiæ caput, & hoc quidem Romanæ Eccleſiæ Præſulem. Iſti omnes vivebant,

bant, & ſcribebant eo tempore, quo vera Chriſti Eccleſia juxta ipſos Adverſarios in pura doctrina perſtitit. Semper erat Presbyter ſuper Diaconum, Epiſcopus ſuper Presbyterum, Romanus Pontifex ſuper Epiſcopum. Conſtantinus munificus extitit in Eccleſiam, S. Petro, Petrique Succeſſori Romæ reſidenti coronam, & omnem Regiam dignitatem in Urbe Romana, & in Italia, & in partibus Occidentalibus concedens, quam munificentiam invidia hæreticorum arrodere poteſt, peſſime tamen aſſumit ad ſubvertendum Romani Pontificis Primatum.

Ad XIX. Zoſimum & reliquos Pontifices jure prætendiſſe dominatum in Eccleſias Affricanas; cum utique Eccleſiæ Affricanæ fuerint in orbe Catholico, & Romanus Epiſcopus eſt totius orbis Catholici, omnium omnino Eccleſiarum Paſtor & Caput. Et quidem eo majori jure, quia quod ipſum inter & Affricanas Eccleſias vertebatur, jam dudum in Sardicenſi Concilio Pontifici Romano adjudicatum, propriumque declaratum fuit, ſcilicet quod ad ſedem Romanam ſemper pateat Sacerdotibus appellandi via. Falſum præterea eſt, quod Affricani Patres Pontificum faſtum increparint. Non illico conſenſiſſe Papæ poſtulatis, fatendum eſt, quia non ſtatim invenerant Canones, quos ex Concilio Nicæno pro ſe allegabat zoſimus: in cauſa fuiſſe videtur, quia ij Canones revera fuerunt Canones Sardicenſes, non item in ipſo Concilio Nicæno editi. Interea tamen zoſimus potuit eos laudare nomine Concilii Nicæni, quia Concilium Sardicenſe eſt quædam Concilii Nicæni confirmatio. At conſenſerunt tamen poſtea, ſeque penitus ſubmiſerunt.

Ad XX. Conc. maj. neg. min. Nec enim inconveniens eſt, ut immediatus Succeſſor Petri fuerit Superior omnium Apoſtolorum adhuc tunc exiſtentium; eſto neceſſarium non fuerit hac poteſtate in eos uti in actu ſecundo.

Ad

Ad XXI. Conc. ant. neg. conſeq. Ratio hujus eſſe poteſt, tum quod Pauci adhuc Apoſtoli tunc ſuperfuerint: tum quod propter ſenium admodum oneroſum illis fuiſſet tali graviſſimo officio fungi: tum præſertim ne Pontificatus cum Apoſtolatu confunderetur, unum idemque eſſe putaretur, quæ tamen ſunt diſtincta.

Ad XXII. Conc. maj. neg. min. ad prob. de Prophetis dico: Donum Prophetiæ utpote quid extraordinarium, per quam extraordinaria à Deo commiſſa nuntiantur, non ita eſt neceſſarium. At neceſſarium pro omni tempore eſt officium paſtorale, utpote ordinarium ad paſcendum gregem Dominicum, &.regendam Eccleſiam nusquam uſque ad finem ſæculi interituram.

Ad XXIII. Neg. ant. Nullibi demonſtrari poteſt, quod Chriſtus admiſerit formam Regiminis Eccleſiaſtici bicipitem, bene vero unum caput ſolum inſtituit, cujus forma eſt invariabilis. Cur autem variari poſſit forma Regiminis politici, ut factum in Imperio Romano, non vero forma Regiminis Eccleſiaſtici? ante omnia ratio eſt, quia hæc eſt inſtitutionis Divinæ, non item illa. Cæterum Regnum politicum eſt temporale, temporalia autem conſiſtunt in diviſibili, conſequenter dividi poſſunt, præſertim cum in toto univerſo diverſæ ſint nationes, quæ aliter ac aliter regi debent per oppoſitas leges humanas. At vero Regnum Eccleſiaſticum conſiſtit in re ſpirituali, & quidem principaliter in fide indiviſibili, quæ ne dividatur, & invariabilis varietur, unam tantum requirit cynoſuram viſibilem, Romanum Pontificem.

Ad XXIV. Non ideo abſolute Romæ eſt ſedes Pontificis, quia Petrus Romæ geſſit Pontificatum, & inibi mortuus eſt; ſed quia inibi Pontificatum geſſit cum animo inibi uſque ad mortem manendi, per quod figendo inibi domicilium cum animo perpetuo manendi, fixit & ſedem perpetuam, quam

poſt mortem ſuam una cum dignitate officij capeſſendam reliquit inibi facto ſuo Succeſſoribus. Moyſes vero & Aaron, quamvis in deſerto mortui ſint, non tamen inibi utpote in via exiſtentes & ad terram promiſſionis tendentes, ſedem aut domicilium fixerunt perpetuum, quia intentio eorum non erat manere in deſerto, ſed tranſire ad terram promiſſionis, ibique primo figere domicilium ex ordinatione Divina, quod cum morte in deſerto præventi complere non potuerint, id per ſuos perfecerunt Succeſſores, ſedem Hieroſolymæ Pontificalem figentes, in quam, qui ſucceſſit Sacerdos, in plenum jus Aaronis ſucceſſit, regendi videlicet univerſam Synagogam. Ob eandem rationem ſedes Pontificis Chriſtiani non manſit Jeroſolymis, quia etſi Chriſtus ſummus Pontifex inibi mortuus ſit, non tamen aſcendit Jeroſolymam, ut ibi ſuum perpetuum figeret domicilium, ſed ſolum ut inibi mortem pro ſalute humani generis ſubiret: ut ipſe Chriſtus Matth. c. 20. v. 18. teſtatur. Poſt quod cum Apoſtolos miſerit in mundum univerſum prædicare Evangelium omni Creaturæ, & Petrum loco ſui Paſtorem nominaverit, ſequitur ibi ſedem Paſtoris loco Chriſti remanere, ubi eam Paſtor à Chriſto conſtitutus reliquit; cum ergo ille Romæ, & animo manendi vixerit, & mortem ſubiverit, manet inibi Petrum ſedem ſuam Succeſſoribus reliquiſſe.

Ad XXV. diſt. maj. S. Gregorius M. recuſavit dici univerſalis Epiſcopus in eo ſenſu, ut nemo unus præter ipſum ſit Epiſcopus, conc. maj. in eo ſenſu, quod univerſam Eccleſiam regat, ſervata ſingulorum Epiſcoporum ſubordinata jurisdictione, neg. maj. Pontifex ergo eſt Epiſcopus Eccleſiæ univerſalis, ita quod cæteri revera Epiſcopi ſint: ſed illi tanquam primo, & Eccleſiæ capiti ſubordinati; & in hoc ſenſu ſanctum nomen eſt & veritatis, & antiquitate venerandum, quo Leo in Chalcedonenſi Concilio appellatur: & Tertulliani ævo Pontifex dicebatur Epiſcopus Epiſcoporum, & Pontifex maximus, ut

lege-

legere est lib. de Pudicitia. Etiam Gregorii Decessores usurparunt, ut Sixtus I. in inscriptione epistolæ 2. Victor. I. epist. I. Pontianus epist. I. Etiam alterum membrum argumenti dist. acriter improbat in illo, qui eum sibi non competentem ambitiose affectat, & in primo sensu mox dicto, conc. acriter improbat absolute, & quasi in secundo sensu Romano Pontifici non competentem, neg. Agit enim loc. cit. Pontifex adversus Joannem CP. Episcopum, qui universalem se dicebat Patriarcham, & Episcopum, cæteris omnibus nomen & Episcopalem dignitatem derogando: ut habetur ex ipso Gregorio lib. 4. Epist. 14. Hinc de mendacio redarguuntur Hæretici, dum Canonem 26. Concilii Carthag. III. in argumento citatum volunt dictum de Romano Pontifice; cum in aperto sit Affricanos Episcopos perstringere, qui ausu temerario sese summos Sacerdotes, imo Sacerdotum Principes inscribebant.

Ad XXVI. neg. ant. ad prob. Gregorium in fecisse ex singulari demissione, humilitate, & humanitate, qua etiam omnes Sacerdotes fratres, omnes Clericos filios, & omnes Laicos Dominos suos appellare solebat; non autem id fecisse, quod in Imperatore aliquam Superioritatem, aut jurisdictionem erga se agnosceret; noverat enim se Pastorem esse, & Imperatorem ovem. Cæterum D. Gregorius causam habuit tam humiliter loquendi, & scribendi Imperatori, eo quod hic suæ potestatis jura transcendens, nimium sibi in Ecclesia, & hujus Præsules tribueret: ex altera vero parte Gregorius amicitia ac ope illius adversus Longobardos acerrimos Ecclesiæ hostes indigeret. Ad alterum dist. ant. Adrianus concessit jus ordinandi sedem Apostolicam in bonis temporalibus, seu disponendi Principatum temporalem, conc. ant. in Spiritualibus, & Ecclesiasticis, neg. ant. Item per illud jus eligendi Pontificem, intelligitur facultas confirmandi electionem Sumi Pontificis, & quidem confirmandi non per jurisdictionis potestatem, sed per

defensionis assistentiam, quia tunc sedes Apostolica indigebat ope & præsidio Imperatorum contra Longobardos, aliosque hostes. Et dato etiam ista duo Privilegia à Pontificibus concessa esse Imperatoribus, quia Longobardi & Græci infensissimi Romanæ Ecclesiæ hostes erant, ab aliis tamen postea sunt revocata. Legatur can. Hadrianus 2. cit. dist. ex quo patet responsio eadem de Leone VIII. Ad ultimum dico Leonem IV. se subjecisse judicio Imperatoris discretivo tantum, quod sine jurisdictione exercetur, & quidem pro isto duntaxat casu, si ut loquitur Pontifex, *nos incompetenter aliquid egimus, & in subditis justæ legis tramitem non conservavimus;* non autem se subjecisse judicio Imperatoris coactivo. Imperator ergo solum est petitus ut Judex arbiter, qualem etiam inter se, & subditos suos potest petere Imperator, manens eo superior.

Ad XXVII. Conc. ant. neg. conseq. Disp. est 1. Quia in interiori foro conscientiæ Confessarius est merum instrumentum Dei, nec ipse principaliter judicat, sed Deus per ipsum. 2. Quia Confessarius non potest pænitentem omnino invitum cogere ad subeundam pænam. 3. Quia in Sacramentali confessione fertur judicium de occultissimis quoque criminibus, quæ ad solius Dei pertinent cognitionem. At vero pro foro externo homo est (quamvis sit à Deo constitutus) verus & principalis Judex etiam ut homo; ideoque tantum judicat de manifestis, & potest etiam omnino invitum cogere ad subeundam pænam.

Ad XXVIII. Dist. Imperator est Minister Dei, ast non habens jurisdictionem in Pontificem, aliasque personas, & causas Ecclesiasticas, conc. habens, neg. quia Imperator est ovis, Pontifex vero est ejus Pastor; ergo hic in illum, non ille in hunc habet jurisdictionem. Præterea Confessarius vi sui Sacerdotalis characteris habet potestatem clavium sive judicandi in omnes fideles, qui ei ab Episcopo vel à Pontifice subjiciuntur fide-

fideles, adeoque etiam in ipſum Pontificem, ſi hic illi ſe in ordine ad abſolutionem à peccatis ſubjiciat. Imperator vero in nullum fidelem, multo minus in Pontificem, habet poteſtatem judicandi in cauſis ſpiritualibus.

Ad XXIX. S. Paulum ibi non loqui determinate de poteſtate ſublimiori ſæculari, ſed generatim de omni poteſtate ſublimiori, adeo quod Eccleſiaſtici debeant ſuis ſuperioribus Eccleſiaſticis, inter quos ſummus omnium eſt Romanus Pontifex, obedire, & ſæculares ſuis Principibus ſæcularibus. Quod autem D. Paulus cit. loc. cum reſtrictione ad ſæcularem poteſtatem, quæ gladium portat, loquatur, ideo eſt, quia eum adid circumſtantia temporis adigebat; eo enim tempore Chriſtiani erant accuſati cujusdam criminis politici, ſcilicet rebellionis & ſeditionis ad forum ſæculare ſpectantis. Pulchre in hunc locum S. Bernardus epiſt. 183. ad Conradum Imperatorem ſcribit: *Legi: omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: quam ſententiam cupio vos cuſtodire in exhibenda reverentia Petri Vicario, ſicut ipſam vobis vultis ab univerſo ſervari Imperio.* Capiant hoc noſtri Proteſtantes.

Ad XXX. S. Paulum appellaſſe ad Imperatorem non tanquam ad judicem competentem, ſed tanquam ad defenſorem contra iniquas Judæorum vexationes, vel appellaſſe ad tribunal Cæſaris non tanquam ad forum judiciale, ſed tanquam ad aſylum. Vel Paulum ad Cæſarem appellaſſe *de facto*, non *de jure*, quia Cæſar etſi non de jure, de facto tamen erat ejus Judex, eo quod Judæi ejus accuſatores alium (ſcilicet Petrum) non agnoſcebant. Vel Paulum appellaſſe Cæſarem Agrippam non ſolum de facto, ſed etiam de jure, quia Paulus accuſabatur (innocens) in caſu ſeditionis & tumultus in populo excitati, quæ fuit cauſa Civilis in Civilibus autem tunc Chriſtiani ſubjiciebantur Ethnicis Principibus, qualis Agrippa erat; quia lex Chriſtiana neminem privat jure ſuo: ergo ſicut homines ante ſuſce-

ptam legem Christi subjiciebantur Imperatoribus & Principibus Ethnicis, ita & post. Quare & Petrus 1. Petri c. 2. v. 13. & Paulus ad Rom. c. 13. ac ad Titum c. 3. hortantur fideles, ut subditi & obedientes sint Principibus suis, qui tunc Ethnici erant; quibus proinde Petrus Ecclesiæ Christianæ caput nihil præcipere poterat juxta illud 1. Corinth. c. 5. v. 12. *Quid enim mihi de iis qui foris* seu extra Ecclesiam *sunt judicare?* Aliud est de Principibus Christianis, hi enim Ecclesiam per baptismum ingressi oves Christi facti sunt, adeoque subjiciuntur B. Petro, & hujus Successori Romano Pontifici ut Supremo Pastori ovium Christi, à quo Pastore debent legem acceptare, qua personæ Ecclesiasticæ immunes sunt ab eorum jurisdictione; secus erat de Cæsare Ethnico, quem proinde S. Paulus ut suum judicem agnovit, sicque jure ad eum appellavit.

Ad XXXI. Neg. ant. quod antequam per exempla probaretur, ostendi debuisset, ea esse bona, & secundum leges peracta, quia ut L. Nemo. Cod. de sent. & Interlocut. Item Can. Sana. 11. dist. 9. dicitur: *non exemplis, sed legibus judicandum est;* quia exempla sunt hominem facta, quorum aliqua sunt bona, alia vero mala & lege prohibita. Interim dico Liberium ut in epist. ad solitar. vitam agentes scribens testatur S. Athanasius, in exilium injuste fuisse pulsum: idem de Sylverio asserendum maxime, quia Justinianus Eutyhiana hæresi tinctus odium in Romanum Pontificem fovit. Quod Joannes I. à Theodorico Rege fuerit detrusus in carcerem, respondet D. Greg. lib. 4. Dial. c. 30. Theodoricum (idem asserit de Constantio) fuisse Ariana hæresi infectum, adeoque non potuisse tolerare Romanum Pontificem. De facto Joannis XII. dico, id ab Ottone ob dicti Pontificis corruptos mores fuisse factum ex nimio zelo: utrum licite fecerit an non? non est hujus temporis dicere, ait Otto Frisingensis l. 6. c. 23. Ad ultimum: Henricum non deposuisse Cregorium, sed tantum illi, eo quod videretur

retur ſimoniace ingreſſus, perſvaſerit, ut cederet: & quia Gregorius ſponte ceſſit, poſtea legitime fuit electus Clemens.

Ad XXXII. Neg. ant. ad prob. neg. conſeq. Nam Eccleſia Romana dupliciter ſumi poteſt: 1. Pro ea Eccleſia, quæ eſt Romæ, & cujus Papa eſt Epiſcopus. 2. Pro complexu omnium Eccleſiarum particularium omniumque fidelium Romano Pontifici unitorum. In primo ſenſu ſpectatam dicere, vel intelligere univerſalem, eſt error; non vero ſi intelligatur in ſecundo ſenſu; etenim Martinus V. in eadem conſtitut. quoque addit: *Error eſt, ſi* (Wicleff) *negaret primatum Summi Pontificis ſuper alias Eccleſias particulares.*

Ad XXXIII. Diſt. ant. ſucceſſio in perpetuum duratura, conc. ant. ſucceſſio ad tempus, neg. ant. Nam Jacobo in Eccleſia Jeroſolymitana ſucceſſit Simeon Cleophæ filius, ut Euſebius lib. 3. Hiſt. c. 11. refert. Quod autem perpetua ſucceſſio nulli alteri Apoſtolorum, ſed ſoli Petro ſit conceſſa, ratio diſcriminis eſt: quia illa in aliis Apoſtolis non erat ita neceſſaria, ut in Petro, utpote quem Chriſtus Joan. c. 21. omnium ſuarum ovium ſupremum Paſtorem conſtituit, & pro quo Lucæ c. 22. v. 32. rogavit, *ut non deficeret fides* ejus.

Ad XXXIV. Neg ant. Nam Agapetus Papa Anthimum CP. Præſulem exauctoravit, & per ſe ipſum Mennam conſecravit, ut refert Liberatus in Breviario c. 21. Item Gelaſius, ut habetur in epiſt. ad Epiſcopos Dardaniæ, *Dioſcorum ſecundæ ſedis Præſulem ſua auctoritate ſedes Apoſtolica damnavit.* Non quidem adeo frequentes leguntur Patriarcharum conſecrationes à Romano Pontifice peractæ; ſed loci diſtantia in cauſa eſt, non juriſdictionis defectus. Nec urget Cypriani authoritas. Univerſalis Eccleſiæ Epiſcopatus, dicit S. Martyr, cui unus præeſt, ſingulis ſua eſt portio diſtributa, quam recte adminiſtrantes Epiſcopi totius Eccleſiæ curam habere dicuntur. Itaque unus Epiſcopatus eſt, quia omnes Epiſcopi unum Epiſcopum tanquam

quam caput venerantur. Ita ſenſiſſe S. Cyprianum claret ex lib. 1. epiſt. 3. ad Cornelium.

Ad XXXV. S. Cyprianum inpræſentiarum non agere de Romano Pontifice, qui alias jure Epiſcopus Epiſcoporum valet appellari, ut legere eſt apud S. Bernardum lib. 2. de Conſid. ſed limitate loqui ad Epiſcopos in Carthaginenſi Concilio congregatos in cauſa de rebaptizandis hæreticis. Eos inter Epiſcopos nemo unus erat, qui ita aliis præeſſet, ut Epiſcopus Epiſcoporum dici deberet, aliisque præcipere poſſit; idque unum intendit Cyprianus, ut pro libito animi ſenſa quilibet panderet.

Ad. XXXVI. Loco à Novatoribus citato S. Cyprianum loqui de judicio cauſarum, quæ nonniſi dubitanter verſantur, quas inter eam credebat controverſiam de rebaptizandis hæreticis, & potiſſimum de intentione, qua quisque convenerat pro ea dirimenda: cum enim Cypriani ſententia quibusdam diſplicere cæpiſſet, dubium ſuboriri poterat ſincero animo non conveniſſe, proindeque judicio Dei - Cordis arcana perſcrutantis rem totam ducebat remittendam.

Ad XXXVII. Hoc argumentum eſſe pro nobis: ſi enim Romanus Pontifex nullam in exteros haberet jurisdictionem, nec Baſilides ad eum appellaſſet, nec Epiſcopi de Stephani ſententia ſolliciti fuiſſent. Cæterum recte hac ſuper re ſenſit Cyprianus; non enim credidit, Pontificem appellationis jure carere, ſed reſtitutionem nullam fore, cum fraudulenter Baſilides ipſum deceperit, ut palam declarat epiſt. 68. Ad additum reſpondetur, eo loci loqui Cyprianum vel de ſtatuto Fabiani Papæ, vel de alio ſimili ex eo excerpto: ubi habetur, æquum eſſe, ut reus à propriis judicibus aut abſolvatur, aut damnetur, neque permittendam eſſe appellationem iniquorum hominum in cauſis notis, atque manifeſtiſſimis criminibus; quod tamen pauci deſperati, & perditi renuebant, criminantes Epiſcopo-

coporum auctoritatem, ut beneficio appellationis facile decipi possint exteri, ad quos confugiebant, ut evenisse narrat Cyprianus in facto Basilidis. Horum itaque appellationem utpote dolosam dicit S. Cyprianus non esse admittendam.

Ad XXXVIII. In citato Canone Constantinus Petrum Christi Vicarium, ejusque Successores ut totius Ecclesiæ Principes agnovit: cur idem non sentiunt Hæretici? Cæterum ex cit. loc. non aliud evincitur, nisi Imperatorem plura temporalia dono dedisse; non vero spiritualem jurisdictionem & potestatem. Phocas ut legere est apud Bedam in lib. de sex ætatibus, non Primatum Pontifici detulit, sed Romanam Ecclesiam caput esse omnium Ecclesiarum declaravit, ut superbiam Episcoporum Ecclesiæ CP. compesceret, qui se Patriarchas universales dictitabant. Falsum deinde est, Pipinum & Carolum M. Pontifici jura dedisse supra Gallos & Germanos. Nam S. Leo, qui ante Pipinum 350. annis floruit, Pontificiam Jurisdictionem supra Gallos declarat epist. 89. ad Episcopos Galliæ. Eodem mendacii crimine laborat Lutherus; etenim Constantinus IV. Primatum neutiquam contulit Pontifici, sed jus remisit, quo contendebant Imperatores Pontificis electionem confirmare.

Ad XXXIX. Perperam afferri textum ad mentem Novatorum: siquidem Scriptura loquitur de Romano Imperio, ejusque potentia, quæ periere, in alienos translato dominationis jure.

Ad XL. Instantiam dissolvit Gelasius in epist. ad Episcopos Dardaniæ: *Mediolanum, Ravenna, Sirmium, Treveri, & Nicomedia multis temporibus sedes Imperii fuerunt, quibus cum nihil plus juris dignitatis, & prærogativæ ea de causa Ecclesiæ concessum fuerit, non immerito mendacii arguuntur, qui dicunt prædicta de causa Romanam urbem ad fastigium Apostolici muneris evectam esse.* In idem concinit S. Leo epist. ad Marcianum. Cæterum Valen-

tinianus in citata novella rem noſtram probe evincit, dum aſtruit, Petri meritum Primatum firmaſſe, ipſumque Petrum eſſe Principem Epiſcopalis coronæ, atque dignitatem Romanæ Urbis; quibus innuit Romam ſplendorem à Petro mutuaſſe; niſi quis dicere velit, Imperatorem loqui de jure Patriarchico, quod ex contextu colligi videtur.

Ad XLI. Perperam ex Schiſmate ſuffragium quærere Novatores, etenim in quolibet ſemper legitimus unus Succeſſor Petri extitit. Viginti ſex enumerantur in Eccleſia Schiſmata, verum portæ inferi licet dire vexaverint, nusquam tamen adverſus eam prævaluerunt.

Quæres: quomodo ſubſiſtet Regnum Summi Pontificis, ſeu Primatus, dum tempore Antichriſti excidium patietur? ℞. Eccleſiam nihilominus perſtituram, conſequenter & Primatum etiam ſolum in ruderibus more aliorum jurium in ſolo conſervandorum, ut tradunt Juris Conſulti, præcipue autem tunc Chriſtus proviſionem faciet ante ſuum ſecundum adventum per Enochum & Eliam in conſervanda Eccleſia ſua ſponſa unica cum ſuo capite.

Colliges: Aliud eſſe Succeſſionem, & aliud rationem Succeſſionis; nam Succeſſio Romani Pontificis in Petri Pontificatum ex inſtituto Chriſti eſt; ratio autem Succeſſionis, qua Romanus potius Pontifex, quam Antiochenus, vel aliquis alius ſuccdat, ex facto Petri initium habet. Succeſſio inquam, ipſa ex inſtituto Chriſti, & jure Divino eſt, quia Chriſtus ipſe inſtituit in Petro Pontificatum duraturum uſque ad finem mundi, ac proinde quicunque Petro ſuccedit, à Chriſto accipit velut Petrus Pontificatum. At vero ipſa ratio ſucceſſionis, quod Epiſcopus Romanus, quia Epiſcopus Romanus eſt, ſit potius Petri Succeſſor præ alio, id ex facto Petri ortum habet, non vero ex prima inſtitutione Chriſti: nam potuiſſet Petrus nullam ſedem particularem ſibi unquam eli-

gere

gere, ſicut fecit primis quinque annis, & tunc moriente Petro, non Epiſcopus Romanus, neque Antiochenus ſucceſſiſſet, ſed is, quem Eccleſia ſibi elegiſſet. Potuiſſet quoque Antiochiæ ſemper manere, & tunc Antiochenus ſine dubio ſucceſſiſſet; quia vero Romæ ſedem fixit, & tenuit uſque ad mortem, inde factum eſt, ut Romanus Pontifex ei ſuccedat. Et quoniam S. Marcellus Papa in epiſt. ad Antioch. ſcribit: *Petrum Domino jubente Romam veniſſe;* & S. Ambroſius in orat. contra Auxent. Et Athanaſius in Apol. pro ſua fuga, dicunt: *Petrum Chriſti juſſu Romæ Martyrium pertuliſſe;* non eſt improbabile, Dominum etiam aperte juſſiſſe, ut ſedem ſuam Petrus ita figeret Romæ, ut Romanus Epiſcopus abſolute ei ſuccederet. Sed quidquid de hoc ſit, ſaltem iſta ratio ſucceſſionis non eſt ex prima inſtitutione Pontificatus, quæ in Evangelio legitur, quamvis ipſa ſucceſſio ex ipſa Chriſti ſit inſtitutione.

§. VII.

Dico 7. Summus Pontifex eſt ſupremus Controverſiarum fidei Judex: adeoque & ejus eſt de vero Scripturæ ſenſu judicare.

PRobatur 1. In veteri lege Judex controverſiarum fidei & legis erat ſummus Sacerdos, Deut. c. 17. ut jam in præcedentibus dictum; atqui ſummus Sacerdos novæ legis non eſt minoris auctoritatis, quam veteris legis Pontifex, corpus namque excedit umbram, figura figuratum: ergo.

Confirmatur: Ille ſupremus conſendus eſt controverſiarum Judex, qui habet univerſaliter claves ſcientiæ & poteſtatis: atqui has habet ſummus Pontifex in Eccleſia Dei: nam Matth. c. 16. v. 19. Cum Chriſtus dixit Petro: *Tibi dabo claves Regni Cælorum*, id ipſum dixit omnibus ejus Succeſſoribus, ut etiam in præcedentibus jam probatum: ergo.

Probatur 2. ex perpetua omnium Sæculorum praxi, tum ex Græcis, latinisque Patribus, imo & Conciliis, ut ex præcedentibus conſtat. Pro majori robore adduntur ſequentes antiqui Patres, Anaſtaſius ad Felicem Papam epiſt. 2. ſcribit: *Præfatam Apoſtolicam, & ſummam expetimus juxta Canonum decreta ſedem, ut inde auxilium capiamus, unde Prædeceſſores noſtri ordinationes, & dogmata, atque ſubleuationem cæperunt.* Sophronius Patriarcha epiſt. ad Stephanum Epiſcopum ſcribit: *De finibus terræ uſque ad terminos ejus ambula, donec ad Apoſtolicam ſedem, ubi orthodoxorum dogmatum fundamentum exiſtit, pervenias.* Stephanus Dorenſis in libello ad Marinum Papam ait: *Annuntiamus hæc omnia omnium propoſitæ ſedi. Dico autem ſummæ veſtræ & principali, ad medicinale conſultum emerſi vulneris; quippe quoniam hoc poteſtative olim, & ab antiquitus facere per Apoſtolicam ſive Canonicam conſuevit auctoritatem.* Sanctus Maximianus Epiſcopus CP. epiſt. ad orientales de Petro, ejusque Succeſſoribus loquens ſcribit: *Cui Cathedram Magiſterii principaliter poſſidendam tenere perpetuo privilegii jure conceſſit, ut quisquis divinum aliquid, aut profundum noſſe deſiderat, ad hujus præceptionis oraculum, doctrinamque recurrat, nec illi humiliter referre, quod ſolvendum eſt, erubeſcat, etiamſi ipſe, quod quæritur non ignoret.* Theodorus ſtudites ad Michaelem Imperat. ſcribit: *Si aliquid dubitare, vel non credere videtur veſtra Divina Magnificentia, ejus rei explicatio à Pontifice pie eſt poſtulanda. Magna & à Deo firmata manus Veſtra, ut publicæ cupida auctoritatis, jubeat à veteri Roma petere declarationem, ut à Principio à Patribus noſtris eſt traditum.* Quid ad hæc Novatores? Certe non nova, ut perperam blaterant, hæc eſt doctrina, ſed antiqua & primitivæ Eccleſiæ. Ergo.

Confirmatur 1. ex D. Th. 2. 2. q. 1. a. 10. in ⊙ ubi quærens, an ad Pontificem ſpectet fidei Symbolum ordinare, ait: *Ad illius ergo auctoritatem pertinet editio Symboli, ad cujus auctoritatem pertinet finaliter determinare ea, quæ ſunt fidei, ut ab omnibus*

bus inconcussa fide teneantur; hæc autem pertinet ad auctoritatem summi Pontificis, ad quem majores & difficiliores Ecclesiæ quæstiones referuntur, ut dicitur in Decr. dist. 17. c. Multis. - - - Et hujus ratio est: quia una fides debet esse totius Ecclesiæ secundum illud 1. ad Corinth. c. 1. Idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis Schismata: quod servari non posset, nisi quæstio fidei de fide exorta determinetur per eum, qui toti Ecclesiæ præest, ut sic ejus sententia à tota Ecclesia firmiter teneatur. Quid Clarius? Ergo.

Confirmatur 2. Ex eodem S. Doctore 2. 2. q. 9. a. 2. in ☉. ubi habet *Certum judicium de re aliqua maxime datur ex sua causa, & ideo secundum ordinem causarum oportet esse ordinem judiciorum. Sicut enim causa prima est causa secundæ, ita per causam primam judicatur de causa secunda. De causa autem prima non potest judicari per aliam causam.* Et 4. Cont. gent. c. 76. habet: *Manifestum est autem, quod quamvis populi distinquantur per diversas Diœceses & civitates, tamen sicut est una Ecclesia, ita oportet esse unum populum Christianum. Sicut igitur in uno spirituali populo unius Ecclesiæ requiritur unus Episcopus, qui sit totius populi caput, ita in toto populo Christiano requiritur unus, qui sit totius Ecclesiæ caput.* Jam ex his tale formatur argumentum: Circa ea, quæ fidei sunt, contingit quæstiones moveri; ergo debet esse provisum, ut certum judicium fiat ex sua causa: ad hoc autem providit Deus Pastores & Doctores juxta illud ad Ephes. c. 4. v. 14. Sed in ipsis datur ordo, ita quod inferiores subordinentur primo, qui est Pontifex Romanus, sicut causæ secundæ subordinantur primæ; ergo judicium certum & perfectissimum pertinere ad summum Pontificem est necesse, ita quod ipse de aliis Doctoribus sententiam ferat; cumque inter ipsos etiam conciliariter congregatos dissensiones exoriantur, & ab aliis non judicentur, ad ejus judicium velut ad causam primam ultimate recurrendum est. Ergo.

OBJECTIONES.

I. S. Hieronymus epist. 57. scribit, solem doctrinæ fidei primum in Oriente fulsisse, dein Oriente relicto, purum resplenduisse in Occidente. ergo S. Doctor certum non agnovit locum, ubi tribunal judicii perenne foret: ideoque non solum cum Damaso, verum etiam cum Petro Alexandrino sentiebat. Ergo Pontifex non est Supremus controversiarum Judex.

II. Tertullianus de Velan. Virg. ait: *Veritas Dei non admittit præscriptionem, nec durationem temporum, nec patrocinium personarum:* ergo tribunal veritatis Dei à Tertulliano Romæ non videbatur; quare de præscript. affirmat, ex fide probandas personas, non ex personis fidem, dubiumque in fide non ad Romanum Pontificem, sed ad Fratrem doctrina insignem remittit.

III. Liberius Papa se, suamque fidem Athanasii Criterio submisit, ab eoque confirmationem petiit, ut patet ex fragmento epistolæ ad eundem; ergo circa fidei dogmata non se Judicem sentit Pontifex.

IV. S. Leo in epist. de Incarnat. ad Flavianum, vim nullam agnovit, & auctoritatem, nisi quatenus à Chalcedonensi Concilio fuit approbata, ut ipsemet fatetur. *Cum & in Apostolicæ Sedis epistola universali assensu firmata tanta Divinæ auctoritatis testimonia noverimus esse congesta, ut nullus queat ulterius dubitare.* Et Concilium Ephesinum acta conciliaria Romanæ Synodi sub cælestino contra Pelagium emanata approbat, & firma esse definit: ergo.

V. Cum Patres Chartaginensis Concilii Innocentio I. significassent, Hæreticos Pelagium & Cœlestium se damnasse, atque exquisivissent, ut ipse idem præstaret, respondens laudat (ut apud S. P. August. epist. 90.) quod *memores antiquæ traditionis, Ecclesiasticæque doctrinæ totum judicium ad ipsum deferrent,* à quo

à quo omnes discere deberent, quid probandum in doctrina fidei, quid damnandum. Ita Marcus Antonius de Dominis Apostata Spalatensis, qui dicit: hoc mirum fore Innocentii artificium, quod cæteri Pontifices imitati sunt, videlicet, ut his palpationibus ab aliis silentio extorqueant confessionem præeminentiæ, quam nullimode verbis facere voluissent. Ergo.

VI. Ideo Romanus Pontifex adstruitur Judex controversiarum fidei, quia ad ipsum undequaque confugiebant aliæ Ecclesiæ; sed hoc non evincit supremam in Pontifice auctoritatem; ergo. min. prob. Ideo aliæ Ecclesiæ ad Romanam confugiebant I. quia vel erant illius sorores, vel filiæ. 2. quia ea in urbe versabantur viri doctrina celeberrimi; porro qui instrui capiunt, ad doctiores accedunt. Nec responsa, quæ a Pontificibus dabantur, erant judiciariæ potestatis, sed potius suasoria; hinc Clemens, quæ ad Corinthios scripsit, non ut Primus Magister definiens, sed ut suasor fecit, & Hieronymus respondebat quidem Synodicis consultationibus, sed quia ipse utpote vir doctissimus consulebatur. 3. Etiam Dionysius Corinthiorum Episcopus apud Eusebium lib. 4. c. 22. Sicut & alii Episcopi alias Ecclesias suis instruebant literis. 4. Non solum Ecclesiæ Catholicæ, sed illæ etiam Hæreticorum expetebant Romanæ Ecclesiæ communionem, non quia ipsam ut Judicem venerarentur, sed quia Sapientum Virorum consilia amabant; eapropter Marcellus Ancyranus de fide suspectus non solum Julii Pontificis, sed etiam Athanasii Alexandrini communione sese tuebatur. Hæc coacervat cit. Marcus Antonius: ergo.

VII. Iniquum est illud tribunal, in quo Judex est pars controversiæ dirimendæ, insimul & testis: quia nemini in propria causa credendum est, unde ipse Christus Joan. c. 5. v. 31. ait: *Si ego testimonium perbibeo de me ipso, testimonium meum non est verum;* atqui Pontifex est Pars controversiæ dirimendæ, & est testis: ergo.

VIII.

VIII. Judex cognita cauſa judicare debet: ergo in eo præ-requiritur ſcientia; atqui non omnes Pontifies habent ſcientiam Sanctorum & fidei, cum plures nec à longe ſacram Scripturam & Theologiam ſalutaverint; ergo. Hinc compertum quisque habere poteſt, in quacunque facultate aptius ab eruditis exortas abſolvi quæſtiones, quam à Principibus Viris ea ſuper re prorſus ignaris.

IX. Illi credi nequit judicium fidei, cujus doctrina pluribus impuritatibus, pravisque referta eſt affectibus; ſed Romana Eccleſia eſt hujusmodi: ergo ibi fidei tribunal adeſſe non poteſt. min. eſt Gerſonii conſid. 5. dicentis: *Si dixerit aliquis, fiet recurſus ad ſedem, & curiam Summi Pontificis: non negabimus hoc, ſi Theologia illic habuerit ſuos Doctores non partiales, non ſeductos, non faſtuoſos, non quæſtuoſos, aut invidos, non poteſtati ſæculari, non ſpirituali plusquam veritati faventes; alioquin tolerabilius nullos habere quam tales.* Ergo.

X. Si Pontifex foret tribunal fidei, ad eum majores cauſæ eſſent deferendæ: atqui hoc falſo aſtruitur: ergo. min. prob. Majores cauſæ non eæ dicuntur, quæ de re majori agunt, puta de conſubſtantialitate Verbi, ſed quæ difficiliores. In aliqua Diæceſi quædam cauſa erit major, atque ad ſuperius tribunal dirigenda, ſecus in altera, in qua propter Theologorum ſpectatam doctrinam nullius momenti reputabitur: ergo majores cauſæ alio à Romana curia judicantur. Ergo.

XI. Donatiſtæ apud Optatum Milevitanum à Papa execrati ad Scripturas appellaverunt; ergo Papa merito non creditur Judex fidei.

XII. Fidei tribunal debet eſſe Divinum, cum fides ipſa Divina ſit: atqui Papæ tribunal non eſt Divinum: ergo. min. prob. nullum teſtimonium præter Verbum Dei eſt divinum; atqui teſtimonium Eccleſiæ ſeu Pontificis, ut Pontificis proprium non eſt teſtimonium verbi Dei, alias non foret Pontificis

pro-

proprium; quid enim est Ecclesia nisi hominum congregatio? quid Pontifex nisi homo? ergo nonnisi humanam habet potestatem; ergo. Hoc argumentum magni faciunt Hæretici. Et urgentibus Catholicis audiendam esse Ecclesiam, illico reponunt: *Obedire Deo oportet magis, quam hominibus.* Act. c. 5. v. 29. *Et sine causa colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum;* ut habent in Confessione Augustana.

XIII. Tempore Apostolorum, dum hi prædicabant, tanquam Ministri Evangelii non sua promebant sensa, aut suo, sed Christi nomine loquebantur; atqui Ecclesia nunc sua loquitur, cum suas promulget definitiones: ergo non loquitur nomine Christi.

XIV. Vox dici potest Divina, quia Divina profert, hoc est, quia dogmata à Christo revelata referebant Apostoli; eo plane modo, quo vox cujuslibet privati hominis de spiritualibus loquentis, atque Christi gesta narrantis vox Divina nuncupatur: ergo. Ita arguit Melanchtou, qui nos asinos, stolidosque vocitat, cum aliter prædicta exponimus.

XV. Ergo fides laceratur, quia partim Deo, partim homini tribuitur: Deo, quia Auctor fidei: homini, quia testimonium Pontificis, esto Divina voce loquatur, est à Dei testimonio discretum.

XVI. Tunc fides laceratur, quando duabus causis diversi ordinis non subordinati attribuitur: atqui ita est; dum enim Pontifex fidei dogma declarat, modo prorsus humano se gerit, quandoque philosophicis utendo tricis, ut verbum Dei pro libito declaret, diversarum Academiarum opiniones adoptat, atque ad earundem mentem dogmata firmat: ergo agit ut causa quaquaversum naturalis, nec Deo agenti subordinata: verbum enim ejus non est philosophicum; ergo.

XVII. Ideo fides non laceraretur, quia naturalis investigatio, media Divina assistentia, audiri præcipitur à Deo tan-

quam ipsiusmet vox: sed hoc divisionem non tollit: etenim Princeps mandat Prætoris vocem audiri, & tamen indubie alia vox est Prætoris, alia Principis, propterea à Prætore ad Principem datur appellatio; ergo.

XVIII. Quotiescunque Pontifex ut Legislator pure humanus leges condit & decreta, juxta Dei mandatum audiri debet, sicut alius quilibet ex Principibus, omnis namque potestas à Deo est; atqui hoc non obstante Pontificis vox in hoc casu non est Divina censenda; ergo similiter cum fidei decreta evulgat, vox ejus non reputabitur Divina, quamvis juxta Dei mandatum audiri debeat.

XIX. Ideo Ecclesiæ vox dicitur Divina, quia Scriptura id docet; atqui id Scriptura docet, quia Ecclesia explicat: ergo vox Ecclesiæ ideo Divina est, quia Ecclesia dicit: atqui hic intervenit petitio principii, adeoque committitur circulus vitiosus: ergo. Hoc sophimate triumphant, & exultant Hæretici tanquam Victores capta præda.

XX. Jure & juste potest à Romano Pontifice ad alium Judicem appellari: ergo Romanus Pontifex non est Supremus Judex in Ecclesia. ant. probat Calvinus lib. 4. Inst. c. 7. §. 10. ex epist. S. P. Augustini 162. in qua refertur, causam Cæciliani Episcopi, quæ prius à Pontifice fuit judicata, postea jussu Imperatoris judicatam fuisse ab Episcopo Arelatensi; imo tertio ab ipso etiam Imperatore; ergo.

XXI. Prohibitum est, ad Romanum Pontificem appellare: ergo Romanus Pontifex non est Judex controversiarum. ant. prob. ex S. Cypriano lib. 1. epist. 3. dicente: *Cum statutum sit omnibus nobis* (Episcopis in Concilio Affricano) *& æquum sit pariter ac justum, ut unius cujusque causa illic audiatur, ubi est crimen admissum - - - nisi paucis desperatis ac perditis minor videtur esse auctoritas Episcoporum in Africa constitutorum*: ubi reprehendit appellantes ad Romanum Pontificem; ergo.

XXII.

XXII. Damaſus Papa epiſt. ad Theophilum & Anyſium (quæ inter D. Ambroſii epiſtolas eſt 39.) ait: *Cum hujusmodi fuerit Concilii Capuenſis judicium, ut finitimi Bonoſo atque ejus accuſatoribus Judices tribuerentur, advertimus, quod Nobis judicandi forma in id, quod jam à Concilio judicatum fuit, competere non poteſt;* ergo ad Romanum Pontificem non datur appellatio.

XXIII. Can. 22. Concilii Milevitani ita habet: *Quod ſi ab eis* (Epiſcopis vicinis) *provocandum putaverint, non provocent, niſi ad Africana Concilia, vel ad Primates Provinciarum ſuarum. Ad transmarina autem* (ſcilicet Romana) *Concilia, qui putaverit appellandum, à nullo intra Africam in Communionem ſuſcipiatur;* ergo.

XXIV. Eccleſia eſt ultimum ac ſupremum tribunal; ergo non ad Pontificem, ſed ad Eccleſiam appellandum eſt. ant. prob. ex illo Matth. c. 18. v. 15. &c. ubi habetur: *Si peccaverit in te frater tuus vade, & corripe eum. Si te non audierit* &c. *Dic Eccleſiæ: ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus;* quibus verbis (dicunt Sectarii) Chriſtus alloquitur Apoſtolos ſuos & horum Succeſſores, quibus injungit, ut Chriſtianos incorrigibiles denuntient Eccleſiæ; à qua damnatos Chriſtus non remittit ad ulteriorem judicem: ergo.

XXV. Vel Papa eſt noſter Frater, vel non eſt? Si non ſit: ergo nec eundem nobiscum Patrem Deum habet, nec eandem Matrem Eccleſiam. Si vero ſit noſter Frater: ergo poteſt ab Eccleſia judicari, ni velit eſſe ſicut Ethnicus & publicanus: ergo Eccleſia eſt altius tribunal Pontifice:

XXVI. Concilium Conſtantienſe ante electionem Martini V. erat repræſentative Eccleſia ſine capite; atqui erat auctoritatis & quidem majoris, quam Papalis; ergo Eccleſia ſine capite eſt vera & auctoritativa Eccleſia. min. prob. Concilium iſtud exercuit jurisdictionem in Papam: ergo. ant. prob. 1. quia Seſſ. 15. excommunicat Papam, dum omnes cujuscunque etiam Papalis dignitatis, qui ad Concilium accedentes impediunt,

 ana-

anathemate percutit: ergo. 2. quia Seſſ. 17. coarctat poteſtatem Papalem, dum declarat Gregorium XII. non poſſe à futuro Pontifice privari honoribus ac privilegiis Eidem, eo quod Pontificatui ſponte renuntiaverit, ab eodem Concilio conceſſis; ergo. 3. quia Seſſ. 39. præcipit futuris Pontificibus, ut ſingulis decenniis Concilium Generale congregent, & ſi contingat duos ſimul eligi Summos Pontifices, jubet ſub divinæ maledictionis interminatione, ut ſtatim ſe tali dignitate abdicent, & niſi obediant, privat eos omni jure, quod ad Pontificiam dignitatem habebant, ac declarat eos inhabiles ad omnes dignitates in futurum. Ergo.

XXVII. Matth. c. 23. v. 8. ait Chriſtus: *Vos autem nolite vocari Rabbi, unus eſt enim Magiſter veſter*: ergo præter Chriſtum, non eſt agnoſcendus Judex.

XXVIII. Si Pontifex judicat de Scripturis, ſequitur Pontificem eſſe ſupra Scripturam, & verbum Dei accipere robur & firmitatem à verbo hominis: ſed hoc dici nequit; ergo.

XXIX. Si ſenſus Scripturæ dependet à judicio Pontificis: ergo fides noſtra dependet à judicio Pontificis: conſequenter à verbo hominis: ergo à verbo fallibili: nam juxta S. P. Auguſtinum l. 2. contra Creſconium c. 21. Chriſtus ſolus ſemper veraciter judicat: Eccleſiaſtici autem Judices, ſicut homines plerumque falluntur.

XXX. Dum Papiſtæ legitimum Scripturarum ſenſum à Romano Pontifice expectandum aſſerunt, circulum vitioſum committunt: nam infallibilitatem Pontificis per Scripturam, & viciſſim legitimum ſenſum Scripturæ per judicium Pontificis probant: ergo.

SOLU-

SOLUTIONES.

Ad I. In Oriente primo quidem effulsisse lucem fidei, quia ibi Christus suam fundavit Ecclesiam, Apostoli prædicationis ministerium initiaverunt, Petrus deferendi Evangelium gentibus mandatum habuit: dein ad occidentem transiisse, cum Idemmet Petrus Romæ evangelizavit, ibique Primatum erexit, atque per mortem perpetuo firmavit. Hieronymus porro communicabat cum Petro Alexandrino; quia Romanæ Ecclesiæ adhærebat, communicaturus etiam cum Protestante, si ejus fides Romana esset.

Ad II. Citata Tertulliani verba male assumi. Etenim dum ait, *veritatem Dei non admittere patrocinium personarum*, nil aliud innuere vult, quam id quod nos ultro fatemur, videlicet crimen cujuscunque personæ fidem non improbare, sicut pondus veritatis non acquirere ex illustrium personarum conversione, sed ex Deo revelante. Cæterum Tertullianum, antequam ad Montanum declinaret, Catholice sensisse in aperto est ex lib. de Præscript. c. 36. *Si Italiam adjaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas præsto est.* Nec urget, quod additur, nam quis prohibet dubium in fide mittere ad virum doctum, ut instruatur?

Ad III. Liberium Papam fidem suam nequaquam Athanasio subdidisse auctoritate examinandam, sed amicabili quodam communicationis modo; cum enim Ariani, ut errorem suum adversus verbi consubstantialitatem propugnarent, plures fidei formulas sub æquivocis verbis ederent, probandasque liberio tanquam judici deferrent, is ut Athanasium infensissimum Arianorum hostem tutius defendere posset, atque securius se à calumniis vindicaret, ab eodem petiit, num formula, qua consubstantialitatem profitebatur, cum sua & aliorum Episcoporum in proprietate locutionis conveniret, ut subdolæ inter-

pretationi aditus omnis adimeretur; eapropter liberius judicio usus est Athanasii tanquam eximii Theologi; quod à judicibus alienum non est.

Ad IV. Palam esse, Patres Chalcedonenses literas Leonis approbasse, non tanquam Judices, sed obsequenti animo tanquam fidei regulam: ut patet ex Epistola Synodica ad Leonem data Act. 16. Eodem modo ab Ephesina Synodo Acta consiliaria Cælestini approbata fuere.

Ad V. Patres Carthaginenses, dum confirmationem expetierunt damnationis in Pelagium & Cælestium latæ, agnovisse in Pontifice summam judicandi facultatem. Audiatur S. P. Augustinus cum aliis Episcopis laudati Concilii ad Innocentium epist. 90. *Hoc itaque gestum est Domine Frater Sancte, Charitati Tuæ intimandum duximus, ut statutis nostræ mediocritatis etiam Apostolicæ Sedis adhibeatur auctoritas pro tuenda salute multorum, & quorundam perversitate etiam corrigenda.* Nec Innocentii responsum artificium est, ut perperam dicit Spalatensis, sed quia Ecclesia Romana est controversiarum Judex, & è re Christiana est ejusdem judicium in rebus fidei expectare, ut clare evincitur ex Epistola S. Cyrilli Alexandrini ad Innocentium Papam: *Quamvis hæc ita se habeant, non prius tamen Nestorii communionem confitenter deserere ausi fuimus, quam hæc ipsa Pietati Tuæ indicaremus. Digneris proinde, quid hic sentias, declarare, quo liquido nobis constet, an communicare cum Nestorio nos oporteat, an vero libere ei denuntiare, neminem cum eo communicare, qui ejusmodi erroneam doctrinam fovet, ac prædicat.* Quid ad hæc Apostata?

Ad VI. Conc. maj. neg. min. ad 1. prob. Aliæ Ecclesiæ non in obsequium accedebant Romanam, sed tanquam ad Caput, tanquam ad Ecclesiarum Principem confugiebant: audiatur Irenæus lib. 3. contra hæreses c. 13. dicens: *Ad hanc* (supple Romanam) *Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, omnes qui sunt undique fideles,*

les, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quæ est ab Apostolis, traditio. Ad 2. prob. Extare quidem viros doctissimos Romæ: verum illuc non confluebant eruditionis causa fideles, sed, ut ait Sozomenus lib. 3. c. 7. *propter Sedis dignitatem ad ipsum* (id est Julium) *cura omnium spectabat.* Nec Clemens suasorias solum literas ad Corinthios scripsit, sed coercitivas, & *potentissimas*, ut ait Irenæus lib. 3. Contra hæreses c. 13. *ad Pacem eos congregans, & reparans fidem eorum:* sic ait S. Maximianus CP. Epist. ad Orientales. S. Hieronymus erat quidem adjutor Damaso in Synodicis consultationibus, ejusque ministerio utebatur Pontifex: sed hinc non licet inferre, Hieronymum responsa dedisse sed Damasum; quo pacto Rex in condendis legibus utitur jurisperitorum ministerio, ast non isti sed ille leges condere merito dicitur. Ad 3. prob. concedendo, plures Episcopos ad alias Ecclesias instructorias literas direxisse, solum tamen Pontificem judiciaria uti potestate, quia ut scribit S. P. August. epist. 162. ad Glorium: in Ecclesia Romana *semper Apostolicæ Cathedræ viguit Principatus.* Ad 4. prob. Expetiisse Hæreticos Romanæ Ecclesiæ communionem, quia optime noverant ipsam esse Arcam (teste Hieronymo ad Damasum epist. 57.) in qua si quis non fuerit, diluvio peribit; & licet aliarum etiam Ecclesiarum exquirerent communionem, eæ tamen erant, quæ ob adhæsionem Romanæ boni nominis erant.

Ad VII. Insto argumentum: sicut iniquum est tribunal, in quo Judex est pars, ita potiori jure iniquum erit censendum, in quo Judex infensissimus est hostis; atqui Protestantes non solum sunt partes, sed Romanæ Ecclesiæ hostes infensissimi: ergo suo privato acti spiritu non possunt, æquitatis jura servando, adversus Romanam Ecclesiam ferre sententiam. Quid ad hoc Protestantes? Deinde sicut Christus objicientibus Judæis Joan. c. 8. v. 13. *Tu de Te ipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum;* Respondit Jesus, & dixit eis: *Et ego testi-*

monium

monium perhibeo de me ipso, verum est testimonium meum, quia Scio, unde venio, & quo vado: poterit ergo similiter & Pontifex verum de se ipso, immo de fide testimonium ferre: nam & Paulus ad Galat. c. 2. & alibi, testimonium de suo Apostolatu protulit. Ad Conciliandos textus

Advertendum, Christum considerari posse ut loquentem præcise in se & ad se: vel ut loquentem, & dicta sua operibus, atque scripturarum consonantia probantem. Christus primo modo loquens, cum Deus esset, summæ erat infallibilitatis & veritatis; Judæi tamen cum nondum de ejusdem Divinitate evidentiam credibilitatis haberent, eidem non credebant. Altero vero modo loquens ejusdem erat infallibilitatis & veritatis, sed quia miraculis & scripturarum concordantia evidentia credibilitatis habebatur, jam tenebantur Judæi eum tanquam Deum venerari. Quando ergo Christus dicit: *Si testimonium perbibeo de me ipso, testimonium meum non est verum,* loquitur de testimonio secundum se, & ab operibus & Scripturis discreto, affirmans sine his non esse juridicum, id est, non habere evidentiam credibilitatis, & ideo subdit: *Alius est, qui testimonium perhibet de me:* nempe *opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me.* En testimonium signorum. Accipe nunc illud Scripturarum: *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere, & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me, & non vultis venire ad me, ut vitam habeatis.* Ex his & ex testimonio Joannis habebant Judæi evidentiam credibilitatis, propterea erant inexcusabiles.

Præterea ad argumentum dico: falsum esse, Pontificem esse partem Controversiæ insimul & testem: causa enim est Christi, totius Ecclesiæ, omniumque fidelium, cum de his agatur, quæ ad populorum salutem deserviunt. Cum ergo leges condit, fideique Pontifex declarat mysteria, non ad propriam, sed ad communem utilitatem respicit; & testes, qui afferuntur, sunt

ſunt perpetua Eccleſiæ traditio, Conciliorum ſanctiones, Sanctorum Patrum doctrina; qui teſtes ſunt omni exceptione majores, à quibus hæc omnia firmata habuimus, antequam Proteſtantes falſa dogmata ſomniaſſent; ergo legitima eſt Judiciaria poteſtas Romani Pontificis. Adde, ſupremum Judicem poſſe dicere ſententiam, etſi cauſa ad ipſum ſpectet, ut Jura, & perpetua traditio declarant, & conſuetudo oſtendit: cap. Novit. de Judiciis. Rex in cauſa fiſcali conſtituitur legitimus Judex. Quidni & Romanus Pontifex ut Supremus in Eccleſiaſtica Hierarchia Princeps?

Ad VIII. Ignorantiam Pontificis (ſi quæ eſt) non impedire aſſiſtentiam Spiritus S. quæ ad officium Pontificis in deciſione controverſiarum neceſſaria eſt. Indocti & fuere Apoſtoli, & hos inter Petrus, qui piſcator erat: & tamen infallibiliter à Spiritu S. inſtructos nemo inficiatur. In Accademiis porro facilius reſolvuntur quæſtiones doctrinaliter, verum juridice ſententia à Romano Pontifice expectanda eſt.

Ad IX. Divini Numinis aſſiſtentiam Pontifici non ratione ſanctitatis promiſſam eſſe, ſed quia eſt caput Eccleſiæ. Alias in Eccleſia Romana quoad doctrinam nulla fæditas eſt; quod ſi quid criminoſum in curia ſit invenire, fidei ſummam non attingit, aut vitiat. Immo ſi Gerſonius abſolute & univerſaliter loquatur, turpiter errat, habet enim Roma ſuos Doctores non partiales, non ſeductos, non faſtuoſos, aut quæſtuoſos, ſed candidos veritatis amatores, quæ Dei ſunt Deo, quæ Cæſaris Cæſari dantes, nec omnibus vitio verti debent, quæ ſingularia ſunt.

Ad X. Arbitrariam eſſe illam diſtinctionem à Gerſonio expoſitam; nam jura aliter ſentiunt, & majores cauſas eas vocant, quæ ad fidem, ad mores, & hujuſmodi pertinent; minores vero, quæ ad poſſeſſiones, ad privata crimina, & ad ſimilia referuntur. Concedimus, in aliqua Diæceſi, ſive Provinciali

Consilio sæpe solutam fore controversiam fidei, quæ alibi majori adhuc indagine perpenditur; verum hoc non evincit, Diæcesim illam habere judiciariam potestatem definiendi fidei dogmata, & tunc temporis Pontificia non egere sententia, qua clare veritas eluceat.

Ad XI. Concedendo, Donatistas à Papa appellasse ad Scripturas, quibus non renuit Melchiades, sciens eos propriis armis confodiendos, cum Scripturæ adversus ipsos starent, utinam Scripturis se fidere voluissent; sed rabida audacia, ut ait Constantinus Imperator, modo ad Papam, modo ad Concilium, modo ad Imperatorem provocabant: ubique damnati, quia iniquitati nullum firmum suppetit patrocinium.

Ad XII. Hominum ministerium sive ad propagationem, sive ad fidei conservationem necessariam fore clare evincitur ex Divina Providentia, quæ media ad salutem necessaria suppeditat; non esset autem satis consultum, nisi aliqua auctoritas Magistra, fideique Judex extaret; Scripturis siquidem edocemur, rectam & certam fidem requiri ad salutem, & ipsam per se, vel humanæ rationis viribus assequi nequit animalis homo, ut dicitur 1. ad Corinth. c. 2. v. 14. ergo hanc ab alio discere debet: ergo certum tribunal fidei assignari opus est, unde dubitationes solvantur. Porro vocem hujus tribunalis auctoritativi esse divinam, innumeræ pene declarant Scripturæ: sic Matth. c. 10. v. 20. *Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Joan. c. 17. v. 14. *Ego dedi eis sermonem tuum, & mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo*, id est, quia non loquuntur, quæ terrena sapiunt, *quem enim misit Deus, verba Dei loquitur.* Item 1. Joan. c. 3. v. 34. Et 1. ad Thessal. c. 2. v. 13. *Cum accepissetis à nobis Verbum auditus Dei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed Verbum Dei.* Ergo.

Ad XIII. Scripturam sæpenumero testari, verbum prædicationis Apostolorum permansurum in æternum: Deus igitur

tur nunc etiam in Successoribus Apostolorum loquitur. Clarius patet ex Joan. c. 17. v. 20. *Non pro eis rogo tantum, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint.* Hic Christus sermonem habet de his, qui usque ad consummationem sæculi credituri sunt, ut ait S. P. August. Tract. 109. in Joan. Sed verbum, per quod Credituri sunt homines, est verbum fidei Apostolorum, ergo non est humanum, sed divinum: & alias usque ad consummationem sæculi ab Apostolis non evangelizatur, utpote demortuis: ergo ab eorum successoribus, dicente Isaia c. 59. v. 21. *Spiritus meus, qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, dicit Dominus, amodo & usque in sempiternum:* en! quomodo in successorum ore permanet Dei Verbum, atque per illud loquitur Deus. Rursus Joan. c. 14. v. 16. *Et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, spiritum veritatis;* quo pacto manet in æternum in Apostolis, si non manet in Ecclesia in eorum successoribus?

Ad XIV. Ecclesiæ vocem, seu ejus Capitis esse divinam non solum ex parte objecti, quatenus de Deo loquitur, sed & ex parte subjecti, quod nonnisi ex divina motione verba promit. Unde adverte, aliud esse rem, quæ agit: aliud virtutem, per quam agit. Sic in igne aliud est Corpus, quod calefacit, aliud virtus, per quam calefacit. Si virtus, per quam quis agit, est effectui proportionata, dicitur connaturalis; si vero agens affectum sibi non proportionatum attingit, ex motione superioris agentis operatur. Pontifex itaque cum definitive loquitur, per humanum quidem organum loquitur, virtus vero, qua movetur ad definitiones, est divina, nempe specialis motio, atque peculiariter assistentis Divini Spiritus illustratio; unde ejus definitio non solum Divina est, quia dogmata profert Dei, sed etiam quia ex Divina motione procedit.

Ad XV. Quamvis Pontificis testimonium à testimonio Dei distinctum sit, tanquam operatio instrumenti ab operatione agentis principalis, nihilominus tamen non est laceratum & avulsum à Dei testimonio, sed huic subordinatum atque Conjunctum. Unde definitio ab utroque est, sicut effectus & à causa principali, & ab instrumento. Hinc dicitur Act. c. 5. v. 28. *Qui vos audit, me audit. Visum est Spiritui S. & nobis.* Item Exod. c. 14. v. 31. *Timuitque populus Dominum, & crediderunt Domino, & Moysi servo ejus.*

Ad XVI. neg. min. Deus unumquodque juxta suæ naturæ conditionem movet. Pontifex est instrumentum liberum atque humanum, proinde modo humano à Deo movetur. Quare illæ ratiocinationes Philosophorum, atque Academiarum sententiæ sunt velut dispositiones, quibus inquiritur, num hoc illudque sit contra Scripturas, congruat vel non Conciliorum Sanctionibus: hinc Deus specialiter assistit, ne quid Pontifex erroneum proferat.

Ad XVII. neg. min. nec urget proba: nam quis unquam Prætoris vocem, quoties ex imperio Principis loquitur, ejusdem vocem non censuit? quis unquam absque Principis injuria ausus fuit illam contemnere? Similiter falsum est, à Prætoris sententia semper appellari posse ad Principem. Adverte: Prætorem quandoque ut Judicem ordinarium ferre sententiam: quandoque ut delegatum; si Prætor primo modo spectetur, appellatio intervenire potest; secus si secundo modo judicet, quia tunc per ipsum Princeps judicium absolvit. Tribunal Pontificis in Ecclesia ultimum est tanquam ipsius Christi Vicarii: ideoque nulla admittitur appellatio in terris, neque ad Christum in rebus fidei, cum ejusdem judicium sit infallibile, ut inferius dicemus.

Ad XVIII. Si attendatur radicale principium legis æternæ, à qua aliæ leges dimanant, si spectetur finis ultimus, ad

quem

quem omnes referuntur, & primum principium moderativum, quod mandat cuilibet legitime præcipienti obediendum esse, leges omnes nuncupari possunt divinæ, quia lex æterna, finis ultimus, primusque moderator est Deus. Si vero lex consideretur ex parte modi ferendi, quatenus Deus ministerio Prophetarum & Angelorum illam dictat, dicitur absolute & primario Divina. Si humano utatur modo, sed specialiter, ne error subrepat, assistat, & invariabilis sit materia, dicitur similiter Divina; humana vero, licet infallibilis, si specialiter quidem assistat, sed variabilis sit materia. Si vero materia mutationi subest, nec in ferenda lege adsit peculiaris Dei assistentia, lex talis humana est & fallibilis, ut sunt leges civiles. Cum ergo Pontifex in definitionibus fidei speciali gaudeat Spiritus S. assistentia, & materia sit invariabilis utpote ad fidem spectans, nec ea decreta condantur ad has illasve contingentes circumstantias attendendo, sed inspecta immediate divina revelatione circa ea, quæ quidem quoad se, & in se revelata erant, secus quoad nos, nisi post legitimam Papæ declarationem: jam sequitur fidei sanctiones divinas esse, divinamque fore vocem definientem. Hæc porro Principi Laico, immo & ipsi Pontifici aptari nequeunt, dum leges condunt ad Politicum Regimen deservientes.

Ad XIX. Circulum vitiosum tunc in ratiociniis intervenire, quando ex uno ad aliud fit regressus secundum idem; hoc est, quando consequens illatum, nulla alia notitia probatum quam vi antecedentis, assumitur ad idem antecedens probandum; quando autem regressus fit penes diversa, nullum intervenit circulationis vitium: hinc definitum assumitnr ad probandam definitionem, causa ad ostendendum suum effectum. Hoc in præsenti verificatur, fit enim regressus in diverso genere causæ. Scriptura assumitur ut Canon divinæ revelationis, quæ est ratio formalis assensus fidei: & Ecclesia seu Pontifex affertur

ut regula Scripturæ ſenſum explanans, & ut Judex, quare eſt ſolummodo conditio aſſenſus fidei. Præterea perperam arguitur de vitioſa circulatione, quoties quis ex præſuppoſitis, vel ab Adverſario conceſſis arguit ad concludendum contra ipſum: & hoc in præſenti evenit. Hæretici admittunt Scripturas: per easdem probamus Eccleſiam ſive Pontificem eſſe tribunal fidei; eapropter nulla eſt battologia. Si vero contra Ethnicos negantes Scripturas agendum eſt, ad eoſdem revincendos utendum eſt motivis credibilitatis.

Et argumentum contra Adverſarios Proteſtantes inſtatur: inquiratur à Proteſtante, cur credis in Cæna non adeſſe reale Chriſti corpus? reſpondebit, quia Scriptura hoc docet illis verbis: *Hoc eſt corpus meum:* At quomodo ſcis hunc verum eſſe Scripturæ ſenſum, cum Lutherus refragetur? reponet, quia Spiritus S. unicuique aſſiſtens ita interpretatur. Verum unde conſtat, Spiritum S. cuilibet aſſiſtere? dicet, quia Scriptura hoc docet. Ergo Scripturam per Spiritum privatum probas, & Spiritum privatum viciſſim per Scripturam: ergo committis circulum vitioſum. Quid ad hoc mi Proteſtans? Tibi dico illud cum S. P. Auguſtino in Pſal. 139. *Ipſe eſt labor impiorum*, qui de vitioſo circulo nos criminantur, cum ipſimet *in gyrum eant erroris.*

Dices: Eccleſia in eodem genere ad ſe ipſam regreditur; nam ſe ipſam proponit tanquam fidei regulam: ergo in eodem genere habetur vitioſa circulatio. ℞. Inſtantiam urgere in Spiritu privato, qui ſe ipſum ut Judicem fidei proponit; in Chriſto, qui ſe ipſum ut verum Meſſiam declaravit; in Joanne, qui ſe ipſum verum teſtem c. 21. v. 24. deſcripſit; in Apoſtolis, qui ſe ipſos enuntiabant tanquam teſtes præordinatos à Deo. Deinde, ſicut lux ſe ipſam demonſtrat, & prima principia ſcientiarum ſuam neceſſitatem & dignitatem probant, & ſupremi Magiſtratus abſque vitioſa circulatione ſuam poteſtatem;

ita

ita Ecclesia se ipsam merito tanquam regulam proponit, accedentibus motivis credibilitatis: nam juxta Philosophos, ad unam rationem formalem non datur alia ratio formalis; & quod est ratio manifestandi alia, est etiam ratio manifestandi se ipsum: sic quia sol illuminat alia, etiam se ipsum illuminat.

Ad XX. Neg. ant. ad prob. Calvinum agere falsarium: siquidem Donatistæ causam Cæciliani judicandam non detulerunt ad Pontificem, sed immediate ad Imperatorem, à quo illa ad Pontificem tanquam ad solum Judicem competentem transmissa est. Unde S. P. August. reprehendit Donatistas, quod forum incompetens accesserint, & laudat Constantinum, quod causas ad forum Ecclesiasticum spectantes non sit ausus suscipere, nec ad judicandum cognoscere. Cæterum Pontifex, ut Donatistis satisfaceret, & illi acquiescerent, omnesque suspicionum umbræ ab illis averterentur, permisit, alios quoque ab Imperatore assignatos isti judicio, vel potius revisioni intervenire: quod, ait S. P. August. factum est non ex necessitate, sed tantum ad obstruenda ora Donatistarum. Unde Imperator nonnisi venia prius à Pontifice Romano & Episcopo Arelatensi petita, invitus cognovit Cæciliani causam, quamvis hæc ad ipsius forum non pertineret, adeoque ipsius judicium foret invalidum.

Ad XXI. Neg. ant. ad prob. neg. conseq. nam S. Cyprianus solum reprehendit eos, qui de manifestissimis criminibus à suo proprio Episcopo Judice convicti & judicati appellant ad Romanum Pontificem. Non vero reprehendit eos, qui justam causam appellandi habent, uti jam in præcedentibus dictum. Ad illud, quod Cyprianus addit, Episcopos Africæ non esse *minoris auctoritatis*, dico: istud ly *minoris* non referri per comparationem ad auctoritatem Romani Pontificis, sed ad causam, de qua agebatur, ut ita sensus sit, Episcopos Africæ non esse minoris auctoritatis, quam ad illam causam sufficiat.

Ad

Ad XXII: Illam epiſtolam nec eſſe Damaſi, neque Ambroſij, cum hujus in illa prorſus nulla fiat mentio, ſed eſſe cujusdam incerti, epiſtolisque ab Ambroſio congeſtis additam. Dato autem non conceſſo eſſe eam epiſtolam Damaſi Papæ, dico, Damaſum in ea epiſtola non dicere, ſibi abſolute non competere facultatem in ea cauſa judicandi; ſed quia Concilium omnibus mature expenſis rectiſſime jam judicavit, ideo Damaſum dicere, ſibi non competere *judicandi formam*, ſeu modum. Quid enim vel quomodo judicaret, ſi jam omnia rectiſſime judicata eſſe adverterit?

Ad XXIII. Concilij Milevitani Canonem eſſe intelligendum vel de negotiis levis momenti, vel de appellationibus Clericorum Epiſcopo minorum, ut patet ex 162. epiſtola S.P. Auguſtini, qui iſti concilio interfuit: alias Pontifex Innocentius I. illud certe non approbaſſet Concilium, ſi Apoſtolicæ ſedi in illo derogatum fuiſſet, uti tamen approbavit, prout ex ejus ad idem Concilium data litera conſtat.

Ad XXIV. Cur ergo Proteſtantes, ſi ſint fratres, & non ſicut Ethnici & Publicani, non audiunt Eccleſiam? cur hanc fallibilem, atque erroribus obnoxiam clamant? deinde ſenſus verus illius citati textus eſt: ſi frater tuus, ſive Chriſtianus coram te, vel ſciente te peccaverit, ac ſecretæ fraternæ tuæ correctioni non acquieverit, dic Eccleſiæ, hoc eſt, proprio, qui Eccleſiæ præeſt, Paſtori, ſive hic Epiſcopus ſit, ſive Parochus, vel alius delinquentis ſuperior Eccleſiaſticus, ut explicant S. Chryſoſt. hom. 16. in Matth. S. Thomas in 4. diſt. 19. Innocentius III. in cap Novit. 13. de Judiciis. Ratio hujus explicationis eſt: quia in citato textu nomine *Eccleſiæ* non poteſt intelligi corpus acephalum, ſeu cætus fidelium ſine capite, ſive ſuo Prælato Eccleſiaſtico, quorum Primas eſt Papa. Unde Sectarij turpiſſime errant, dum in cit. textu nomine *fratris* Papam, & nomine *Eccleſiæ* Concilium generale intelligunt,

cum

cum in textu nec verbulum habeatur de Papa, aut de concilio. Deinde licet Papa peccaret, ejusque delictum ad Concilium deferretur generale, ab hoc tamen non posset judicari, quia Concilium in Christi Vicarium nullam habet jurisdictionem, nullam præeminentiam. Fuerunt quidem aliqui Pontifices, qui propriæ innocentiæ tuendæ, & se ipsos à calumniis sibi inflictis purgandi causa se particularium Synodorum judicio submiserunt, ast judicio solum *discretivo* & *arbitrario*, non *coactivo*, cui se subjicere non potuerunt.

Ad XXV. Pontificem esse simul *Fratrem* nostrum sive Christianorum omnium, & *Patrem;* Frater noster est, quia nobiscum ab eodem Deo Patre per baptismum regeneratus est. Pater noster & Princeps, ac caput Ecclesiæ est, quia nos omnes ut Pastori commissi sumus. Frater ergo noster est, ast non subjectus, sed præsidens Ecclesiæ, & consequenter ab hac non judicabilis. Deinde dum dicitur, *si peccaverit in te frater tuus &c. dic Ecclesiæ:* vel Ecclesia intelligitur cum capite suo? & sic perinde est ac dicere, *si peccaverit in te Papa, dic Papæ.* Vel Ecclesia intelligitur sine capite? & tunc non est Ecclesia, sed corpus acephalum, & Schismaticum, seu discissum à capite.

Ad XXVI. Neg. maj. quia Ecclesia sine capite visibili non est Ecclesia vera, cum hæc ex D. Cypriani definitione sit *plebs adunata suo Sacerdoti:* ergo Concilium sine capite nec repræsentative est vera Ecclesia, nisi prout hæc tempore vacantis sedis dicit habitudinem ad suum caput, scilicet ad futurum Pontificem, sic enim est vera Ecclesia: sicut homo mortuus est verus homo ob habitudinem, quam dicit ad animam. Deinde transeat maj. neg. min. ad prob. Ante Martini V. electionem adhuc durasse tempus Schismatis, ad quod tollendum fuit celebratum illud concilium; tempore Schismatis autem pertinet ad Concilium generale providere necessitatibus Ecclesiæ, ade-

oque & necessaria statuta condere, quæ tamen plus roboris non habent, quam prout approbata à futuro summo Pontifice. Ad 1. prob. Istam censuram esse latam in eos, qui erant dubiæ ac incertæ dignitatis Papalis, in quos Concilium tempore durantis Schismatis habuit authoritatem. Ad 2. prob. Concilium non coarctasse potestatem Papalem futuri Pontificis, quia eum ad id non coegit, sed rogavit tantum, ne Gregorio absque nova justa causa emergente aliquid de honoribus & privilegiis illi concessis detraheretur. Ad 3. prob. Concilium id proprie non præcepisse, sed suasisse; potest autem inferior superiori aliquid ut conveniens suadere. Deinde potest etiam Concilium leges ferre, quæ Pontificem quoque quoad vim directivam obligent, præsertim si ordinentur ad conservandum bonum publicum: nam ut dicitur can. Quæ contra 2. dist. 8. *Turpis omnis pars* (præcipue caput) *est suo universo non congruens.*

Ad XXVII. Per id à Christo non prohiberi, ne Rabbi sive Magistri, qui Scripturam interpretentur, in Ecclesia habeantur, sed ambitio illius honoris tantum vetatur. Nunquid Paulus 2. ad Timoth. c. 1. v. 11. se vocat Doctorem gentium? Et nonne apud Protestantes tot fere vocantur Magistri, quot Præcones?

Ad XXVIII. Duobus modis posse intelligi Ecclesiam vel Pontificem de Scripturis judicare; uno modo ita, ut judicet, an verum sit vel falsum, quod Scripturæ docent: altero modo ita, ut præsupposita certissima & verissima doctrina Scripturæ judicet, quis verus Scripturæ sensus, & interpretatio sit. Si primo modo judicaret Ecclesia Scripturam, esset omnino Ecclesia supra Scripturam; sed hoc ne quidem cogitare possumus, quamvis Protestantes nos calumnientur, dicentes, quod Scripturam pedibus Papæ subjiciamus. Quando ergo Ecclesia judicat de Scripturis, judicat secundo modo, quod non est Ecclesiam esse supra Scripturam, sed supra judicia privatorum hominum; siquidem

hoc

hoc modo Ecclesia non de veritate Scripturæ, sed de intelligentia mea, tua, & aliorum judicat; neque hinc Verbum Dei accipit aliquod robur, sed intelligentia nostra; per hoc enim, quod Ecclesia Scripturam interpretetur, & verum ejus sensum determinet, non fit illa verior, & certior, sed mea sententia & interpretatio verior redditur, quando Ecclesiæ judicio & sententia confirmatur.

Ad XXIX. Insto argumentum: Ergo fides Protestantium dependet à judicio privato: ergo â judicio hominum, ergo debilissimo nititur fundamento. Nec dicant: judicium privatum esse â spiritu Dei dirigente, & inspirante: nam dicam & ego: si judicium privatum est â spiritu Dei, cur non etiam judicium Ecclesiæ? si spiritus privatus juxta Protestantes est spiritus Dei, cur non item spiritus Ecclesiæ est spiritus Dei? deinde dist. Fides nostra dependet à judicio Pontificis ex se loquentis, neg. Ex spiritu Dei loquentis, conc. Judicium Ecclesiæ proponentis, & determinantis verum sensum Scripturarum, non est judicium pure hominis, quia non profertur ab homine ut homine & errori obnoxio, sed ut directo & gubernato à Spiritu S. Et ita explicatur S. Pater: & habetur, quod Scriptura non authoritate hominis ex se loquentis, sed à Spiritu Sancto directi & gubernati sit intelligenda.

Ad XXX. neg. assumptum: quia tunc juxta Philosophos committitur circulus vitiosus, quando hoc probatur per illud, & vicissim illud per hoc respectu ad eum, qui neutrum concedit, non autem qui alterutrum ex illis duobus admittit, v. g. si quis Platonem & Aristotelem unquam extitisse negaret, circulum vitiosum omnino committeret, si apud eum Platonem extitisse probaret ex Aristotele, & vicissim Aristotelem extitisse probaret per Platonem, quia ipse, apud quem probat, utrumque negat, vel de utroque dubitat: probatio autem fieri debet â notis ad ignota, â certis ad incerta; si vero ille alterutrum

concedat: v. g. si Aristotelem extitisse concedat, & Platonem neget, recta erit & non vitiosa circulatio, si ei probet Platonem extitisse ex Aristotele, quia tunc procedit probatio illa â noto, certo, & concesso Aristotele, ad ignotum, incertum, & non concessum Platonem. Taliter se res habet in nostro casu; Catholicus circulum vitiosum quidem committeret, si Ethnico, qui nec Ecclesiam, nec Scripturam admittit, probare vellet Scripturam esse infallibilem, quia Ecclesia dicit: & Ecclesiam esse infallibilem, quia Scriptura dicit: quia neutrum ab Ethnico admittitur. Minime autem committit circulum vitiosum, si unum per alterum probet Protestanti, qui admittit Scripturam, & negat Ecclesiæ infallibilitatem. Recolligantur dicta ad XIX.

Quæres I. Qua ratione Christianus Romano-Catholicus aliquando sine ullo vitii circulo suam fidem resolvat in authoritatem Ecclesiæ? ℞. hac ratione; Si quis à me petat: *unde scis*, JEsum Christum esse Salvatorem mundi? ℞. quia Divinæ literæ id me docent. Si ulterius quærat: eas literas esse Divinas *unde scis?* ℞. quia Ecclesia à Spiritu S. edocta eas sua infallibili authoritate proponit. Si ulterius quærat, est *unde scis* hanc Ecclesiam esse infallibili authoritate præditam, & à Deo constitutam veritatis Magistram? ℞. Me id credere ob authoritatem Dei per eandem Ecclesiam loquentis, & sonantis. Si ulterius quærat, *unde scis* Deum per os Ecclesiæ verè loqui? ℞. Me id credere, quia volo, seu quia intellectum imperio voluntatis flecto, ac captivo in hoc fidei obscuræ obsequium. Hic jam mutatur motivi genus, transeundo ab intellectu ad voluntatem; quo tamen facto filum resolutionis nondum abrumpitur. Nam si alter ulterius quærat: *unde vero tibi* est hæc voluntas captivandi te, & acceptandi hanc Ecclesiam ut vivam fidei regulam & organum Dei? ℞. quia perspicue video, id adeo rationi, honesti, & prudentiæ legibus congruum esse, ut manifestæ sit temeritatis, impietatis, & insaniæ, in re tanti momenti

menti id non facere. Quod ſi demum alter inſtet: *unde perſpicue ſcis* creditu digniſſimum eſſe, quod hæc ſit vera & infallibilis Dei Eccleſia? ℞. quia evidentiſſimum eſt, huic Eccleſiæ eas notas ac proprietates ineſſe, quæ cætera quæcunque Dei organa reddidere hominibus credibilia, quæque jure ad hoc deſiderari queunt: evidens eſt enim, hunc hominum cœtum, ſeu hanc Romano Pontifici ut viſibili capiti junctam congregationem eſſe ab Apoſtolis plantatam; evidens eſt, eam hucusque in unius Dei & Salvatoris confeſſione perſtitiſſe, cum perpetua Paſtorum ac Doctorum ſucceſſione; evidens eſt, in ea ſemper floruiſſe plurimos ſapientia, vitæ innocentia, ſæculi contemptu, miraculorum gloria, ac ipſa ſanguinis profuſione conſpicuos; evidens eſt, vetera Prophetarum de ſplendore ac amplitudine veræ Eccleſiæ vaticinia mirifice convenire huic Eccleſiæ Romano-Catholicæ; evidens eſt, in ea ſummam eſſe doctrinæ conſenſionem, nullas ſectas: ac denique nullam in ea unquam factam eſſe doctrinæ ad fidem pertinentis mutationem, quidquid fruſtra obloquantur Novatores.

Quæres 2. Cur non Catholici, ſed Proteſtantes dicantur committere circulum vitioſum? ℞. Ideo, quia non Catholici, ſed Proteſtantes probant idem per idem. Nam quando Catholici contra Proteſtantes aliosque Hæreticos ex Scripturis probant Eccleſiæ infallibilitatem, tunc non probant viciſſim ex Eccleſiæ infallibilitate Scripturas, quia has contra Proteſtantes probare non eſt neceſſe, cum iſti Scripturas ſua ſponte aliunde admittant, ergo non probant idem per idem. Quando autem contra Gentiles aliosque, qui Scripturas non admittunt, probant Scripturarum auctoritatem, tunc eam probant ex infallibilitate Eccleſiæ, hanc vero contra iſtos probant non ex Scripturis, ſed ex motivis credibilitatis, & notis veræ Eccleſiæ; ex quibus, poſtquam iſti ſat didicerunt noſtram Eccleſiam eſſe veram, facile agnoſcent, eam in credendorum propo-

ſitione falli non poſſe; alias non eſſet vera & à Deo profecta ac gubernata Religio; ergo iterum non probant idem per idem. Econtra noſtri Proteſtantes, dum interrogantur, cur credant hanc Scripturam eſſe Divinam, & purum verbum Dei? Reſpondent, id ſibi conſtare ex interna Spiritus S. teſtificatione; & ſi rurſus interrogentur, unde ipſis conſtet, eam internam teſtificationem eſſe teſtificationem Spiritus S. & non potius dictamen Spiritus privati, atque erronei? ℟. id ſibi conſtare ex Scriptura: ergo probant idem per idem, adeoque committunt Circulum vitioſum.

QUÆSTIO SEXTA.

1. An Proteſtantes queant eſſe certi ſe habere S. Scripturam, & purum Verbum Dei?

2. An Vulgata Catholicorum S. Scriptura ſit authentica?

§. I.

Dico I. Proteſtantes nequeunt eſſe certi ſe habere S. Scripturam, & purum Verbum Dei.

Probatur I. Iſtam certitudinem nequeunt habere ex *judicio Eccleſiæ*, quia hanc Proteſtantes erroribus obnoxiam, & fallibilem reputant: non *ex traditione*, quia hanc exſibilant: non *ex ſuo*, aut ſuorum Prædicantium *judicio*, quia hoc utrumque humanum & fallax, ac ſæpiſſime diſcors eſt: non *ex afficacia ejusdem Scripturæ:* alias enim quilibet Scripturam legens, hanc efficaciam experiri deberet, & agnoſcere, quinam ſint libri Canonici, & qui apocryphi: ſi ſic, cur ergo *Lutherus* Scripturam legens, Jacobi epiſtolam irridet, ut ſtramineam? & quare *Calvinus* etiam Scripturam legens, eandem epiſtolam amplectitur

ctitur ut Divinam & Canonicam? *Si dicat Calvinus*, ſe Scripturam legere animo magis præparato: hoc ipſum quoque dicet *Lutherus* ; cui eredendum? *Neutri:* neuter enim habet quidquam de Bibliis ſuis certum atque ſecurum.

Quid igitur faciet Proteſtans diſputare volens cum Catholico ſuper aliquo inter illos articulo controverſo? ſi Catholicus illi neget dari Scripturam S. ex qua ſola Proteſtans juxta ſua principia articulum controverſum probare tenetur? quid inquam faciet? Certe probare tenetur exiſtentiam S. Scripturæ: atqui exiſtentiam S. Scripturæ probare non poterit ſufficienter: ergo min. prob. Medium ſeu motivum, quo Proteſtans probaret exiſtentiam S. Scripturæ, vel eſſet *ipſa S. Scriptura?* vel certa *Criteria* ex parte Scripturæ ſe tenentia? vel *Revelatio* ipſi Proteſtanti facta? vel *Spiritus privatus* internus, ſeu ut Calviniſtæ eum appellant, propriæ conſcientiæ ſenſus, quem (ſed falſe) dicunt eſſe internum Spiritus S. teſtimonium? atqui nullum ex his recenſitis poteſt eſſe medium, quo Proteſtans ſufficienter, ſeu infallibiliter (agitur enim de articulo fidei divinæ) probaret exiſtentiam S. Scripturæ, ſeu quo probaret dari aliquam Scripturam S. ſive Divinam: ergo exiſtentiam S. Scripturæ Proteſtans ſufficienter ſeu infallibiliter probare non poterit. maj. patet ex ſufficienti enumeratione, ultra quæ enumerata nihil reſtat, quod Proteſtans admittat: nam Traditionem, aut Eccleſiæ auctoritatem tanquam verbum Dei non ſcriptum, ex quo ſolo infallibiliter circa exiſtentiam S. Scripturæ doceri poſſet, cum ſuis aſſeclis non admittit. min. vero per partes probatur, & quidem

1mo Iſtud medium probativum non poteſt eſſe *ipſa ſacra Scriptura:* ergo prima pars minoris eſt vera. ant. prob. 1. De S. Scripturæ exiſtentia eſſet lis: ergo ſi Scriptura probaretur per Scripturam, idem probaretur per idem, atque id quod eſt in quæſtione, ſupponeretur; ergo. ant. prob. 2. Si Scripturam

eſſe

esse sacram ac Divinam, atque Verbum Dei, posset probari per Scripturam, esset vel ideo, quia tota Scriptura sibi conciliat Divinam authoritatem, & dicit se esse Verbum Dei? vel ideo, quia una Scripturæ pars, v.g. Evangelium, alteri Scripturæ parti, v.g. illis, quæ in Deuteronomio habentur, Divinam tribuit authoritatem? sed neutrum dici potest: ergo. min. prob. *non primum*, tum quia in tota Scriptura, si Prophetiæ excipiantur, vix est aliquid, quod se dicat Verbum Dei; tum etiam, quia multi nefandi libri, ut *Alcoranus* Machometis, *Thalmud* Hebræorum, & libri Pseudo-Prophetarum sæpissime repetentium: *Hæc dicit Dominus*: eandem Divinam sibi arrogant authoritatem. Tales Pseudo-Prophetarum libros duos, teste Eusebio lib. 4. Hist. c. 8. excogitavit quidam Hæreticus *Simonides*, eorumque unum esse *Barcbobam*, alterum *Barcbam*, asseruit. Ergo. *Nec secundum*: alias enim hoc ipso progrederetur in infinitum; quia illa Scripturæ pars, quæ Divinam alteri conciliaret authoritatem, eandem authoritatem non haberet à se, ergo eam habet ab alia Scripturæ parte, & de hac alia successive semper deberet quæri, à quanam Scripturæ parte ipsa suam habet auctoritatem Divinam? est enim par ratio de una Scripturæ parte ac de altera: ergo daretur processus in infinitum. Insuper ignotum probaretur per ignotius; & committeretur Circulus vitiosus, dum Scriptura probaretur per Scripturam: ergo.

Accedit: Principia Protestantium sunt 1. nihil esse credendum, nisi fide Divina & propter S. Scripturam. 2. pro obtinenda ex Bibliis notitia S. Scripturæ, & ad determinandum ex Bibliis articulum fidei, prius debere invocari Spiritum S. Jam posito casu: Protestans expandit sua Biblia, volens inter alia credenda determinare hoc, quod detur Spiritus sanctus: hic jam Protestans tenetur invocare, & invocat Spiritum S. antequam Scripturam legat: ergo jam credit Spiritum S. atque

hujus

hujus Divinitatem jam credit: quia juxta fidem Protestantis, nullus quam Deus est invocandus; atqui Protestans non credit fide Divina, seu propter Scripturam: quia hanc nondum legit: ergo credit fide humana, vel arbitraria, seu quia ita ei placet. En! quomodo Protestantes peccent contra sua propria principia.

2. Istud medium probativum non possunt esse *Criteria* seu *proprietates* (ut quidam ex Protestantibus loquuntur) *Scripturæ*: ergo 2. pars minoris etiam est vera. ant. prob. Nomine *Criteriorum* vel *proprietatum Scripturæ* ab adversariis intelliguntur *Bibliorum antiquitas*: *mirabilis* eorum inter tot casus *conservatio*: *miracula* in eorum conservationem facta: *eventus rerum*, quæ in Bibliis prædicebantur futuræ: *rerum*, quæ in iis continentur, *sanctitas* atque *Majestas*: *verborum energia* ad permovendos animos: & *mira* contentarum rerum *concordia*; atqui hæc omnia nequeunt esse sufficiens medium ad infallibiliter probandam existentiam S. Scripturæ, sive ipsorum Bibliorum; ergo. min. prob. Omnia & singula recensita possunt absolute reperiri in libro quodam mere humano unius pluriumve Auctorum; cur enim talis liber non possit esse *antiquissimus*: à Deo mirabili providentia *conservatus*; res *majestate* & *sanctitate* plenas continens: ac tanta *verborum energia* proponens, ut homines ad meliorem vitam, vel etiam, sanquinem profundendum permoveantur; cum *Plato* quoque licet Ethnicus per suum de *animæ immortalitate* librum ita legentium animos commovisse dicatur, ut sibi quidam necem consciscerent? quare Deus ejusmodi librum ab uno vel pluribus viris probis *mirabili* consensu ac *concordia* conscriptum, non possit etiam *miraculis* tueri ob utilitatem, quam Reipublicæ affert materia in tali libro contenta? cur ejusmodi liber non possit in se etiam continere *Prophetias* ac *vaticinia de eventibus futuris*: cum gentilium sybillarum libri (quos tamen Sectarij nostri utique pro sacris Bibliis non habent) pleni fuerint præ-

dictionibus rerum, quæ poſtmodum evenerunt? ergo. Hinc *Walenburchenſes* tom. 1. pag. 493. n. 12. referunt, ſe à quodam ex Proteſtantibus viro docto olim audiviſſe ſequentia: *Si libri S. Scripturæ ſeparatim compacti traderentur homini Ethnico, atque inter eos ſeparatim traderentur tres priores libelli Thomæ à Kempis, ut ex iis judicaret, quinam eſſent proprie Divini? futurum eſſe, ut facilius rejiceret librum Proverbiorum, Cantica Canticorum, & Apocalypſim, quam ullum ex libellis Thomæ pietatem undique ſpirantibus.*

Præterea: de iisdem recenſitis *Criteriis* Adverſarii non habent evidentiam, aut certitudinem: ergo ea eſſe nequeunt medium ſufficiens ad infallibiliter probandam exiſtentiam S. Scripturæ. Ant. conſtat, quia Sectariis de iſtis *Citeriis* nonniſi ex relatione humana, quam tamen ſemper fallibilem eſſe contendunt, conſtat; ſiquidem ipſi 1. ea *miracula*, ſi quæ facta ſint, non ſpectarunt præſentes. 2 Absque relatione humana ignorant, num ea ob hunc finem patrata ſint, ut oſtenderent aliquos libros, præſertim hos, quos Sectarii pro Divinis habent, eſſe Divinos. 3. Neſciunt, niſi ex fama, quod ea, quæ futura prædicebantur, *certo evenerint*, vel ſi evenerint, poſtea à nequitioſo impoſtore certis libris authoritatem Divinam machinante in his codicibus primum ſcripta ſint. Imo multi libri, quos Adverſarii pro Divinis habent, & librorum capita, non continent *Prophetias*, res *Majeſtuoſas*, *ſublimes*, *concordantes* &c. ſed aliqua potius in S. Bibliis apparent ſecundum ſpeciem vilia, falſa, aut contradictoria, & captu difficilia, ut S. P. Auguſtino, aliisque expoſitoribus laborandum fuerit in plurimis Scripturæ locis à contradictione vindicandis; ergo

Accedit: ſi iſta *Criteria* ſufficienter probarent exiſtentiam S. Scripturæ, etiam ſufficienter probarent veritatem Religionis Romano-Catholicæ, ut adeo Adverſarii non minus hanc pro vera Chriſti Eccleſia agnoſcere deberent, quam exiſtentiam S.

Scri-

Scripturæ: consequens AA. non admittunt; ergo nec antecedens admittere possunt. seq. maj. prob. Religioni Romano-Catholicæ competunt omnia ista *Criteria* recensita; quia Religio ista est *Antiquissima*; inter gravissima Judæorum, Gentilium, & Hæreticorum persecutiones semper *conservata;* non sine *miraculis* plurimis, quæ in ipsius dogmatum contestationem facta sunt à viris prodigiosa *Sanctitate* conspicuis, & *Prophetiæ* dono claris, qui numerosissimi vitam quoque ac sanquinem pro eadem Religione promptissime obtulerunt; ergo.

3. Illud probativum medium nequit esse *revelatio* Protestanti facta: ergo & 3. pars minoris est vera. Ant. prob. 1. Revelatio est via extraordinaria, qua Deus non solet uti, cum juxta Paulum ad Rom. c. 13. v. 2. *ea, quæ sunt à Deo, ordinata sint;* ergo. 2. Si à Deo fieret specialis revelatio de existentia S. Scripturæ, & de libris Canonicis, illa vel fieret omnibus fidelibus, vel aliquibus, aut uni tantum? non omnibus, ut per se patet, cum plures hucusque fuerint, qui aliquos libros Canonicos, quos etiam Lutherani defacto admittunt, repudiarunt: inter quos fuit ipse Lutherus, qui tamen utpote Reformator Ecclesiæ, pro quo se extulit, illa revelatione maxime indiguisset. Nec aliquibus: quia non est major ratio, cur his et non aliis fiat, cum omnium intersit, sacros libros nosse. Neque uni tantum: quia huic in re tanti momenti non fiditur, nisi in suæ sibi factæ revelationis contestationem Protestans miraculum faciat: quale nunquam fecit, neque faciet; ergo.

4. Illud medium probativum nequit esse *Spiritus privatus, & internus*: ergo etiam 4. pars minoris est vera. Ant. prob. tum quia talis spiritus est prorsus incertus, ac dubius, an sit à Deo: nec ne? tum quia talis spiritus est in diversis hominibus diversus ac contradictoria docens: nam Calvinistis dictat, epistolam Judæ esse librum Canonicum: Lutheranis vero dictat, eam

non esse librum Canonicum, &c. ergo nequit esse testimonium Spiritus Sancti, utpote qui falsum, & contradictoria docere nequit. Tum, quia etsi Deus, sicut Prophetas, ita quemlibet hominem possit per internam illustrationem infallibiliter docere, id tamen ordinarie non solet: quia Providentia ejus exigit, ut homines per publicum & ab omnibus perceptibile testimonium erudiantur, dari v. g. aliquam Scripturam Divinam, & quidem hanc; ita enim præsentis nostræ vitæ ratio, & hominum status requirit, ut testimonium illud sit externum ac tale, quod omnes cognoscere valeant, ne unus hoc, alter hujus contradictorium alleget, uti fieri posset, si testimonium esset mere internum, quale est spiritus privatus, & conscientiæ sensus; de hoc Spiritu privato recolligenda sunt dicta antecedentis quæstionis §. 2.

Probatur Conclusio 2. Protestantes non possunt sufficienter probare Canonem suæ Scripturæ: ergo. ant. prob. si eum possent probare, deberent eum probare vel ex S. Scriptura, quæ juxta illos sola potest parere certitudinem infallibilem: sed ex hac eum nequeunt probare: tum quia nullibi in Scriptura vel clare vel obscure dicitur, hos omnes, quos AA. pro Divinis & canonicis habent, libros & non alios etiam, quos rejiciunt, esse vere Divinos & Canonicos. Tum quia dato etiam non concesso, quod in aliquibus Scripturæ libris legeretur, eos esse Divinos, ij tamen libri non possent esse ejus infallibilis Judex, quod est in quæstione circa illos: atqui circa illos est in quæstione, an sint libri sacri & Divini? ergo hujus non possunt esse infallibilis Judex, alias supponeretur id, quod est in quæstione. Si recurrant ad sua *Criteria* Scripturæ intrinseca: frivole recurrunt, quia ista Criteria non sunt clara & evidentia: cum in tota Scriptura non videant hanc claritatem Gentiles ac Pagani, nec Judæi in libris novi testamenti: neque etiam Christiani viri Sanctissimi & doctissimi eam clare cernunt, imo de quibusdam,

quos

quos AA. pro Canonicis agnoſcunt, libris, uti eſt epiſtola 2. Petri, epiſtola 3. & 4. Joannis, etiam Patres aliqui antiquitus dubitarunt, ut AA. ipſimet fatentur, & lib. 3. c. 25. teſtatur Euſebius. Præterea cur claritas & iſta Criteria non apparent Lutheranis in epiſtola ad Hebræos, in epiſtolis SS. Jacobi & Judæ, nec in Apocalypſi? cum tamen appareant Calviniſtis, qui alias volunt eſſe Lutheranorum fratres, præſertim cum res contra Catholicos agitur? cum ergo iſta Criteria ſint obſcura, non poſſunt facere certitudinem infallibilem. Recurſus ad Spiritum privatum æque eſt inanis; cum æque vel magis incertum ſit, an ille Spiritus internus, ſeu propriæ conſcientiæ ſenſus ſit illuſtratio Divina, quam incertum ſit, quod ipſe Canon ſit Divinus. Imo quantum internus Sectariorum noſtrorum ſpiritus à veritate hucusque aberraverit, exinde conſtat, quod Lutherus & Calvinus ex S. Scripturæ Canone contra antiquiſſimam univerſalis Eccleſiæ traditionem integros veteris teſtamenti libros, nempe *Tobiæ*, *Judith*, *Sapientiæ*, *Eccleſiaſtici*, *Baruch*, *Machabæorum*, *ac additamenta ad Eſther & Danielem* per ſummam & inauditam temeritatem expunxerint, cum tamen prædicti libri in primis ſæculis, ubi etiam juxta AA. Eccleſia pura extitit, pro Canonicis habebantur. Imo Lutherus adhuc Calvino Bibliomaſtix inſolentior novo etiam teſtamento ſacrilegas manus injecit expungendo *epiſtolam B. Pauli ad Hebræos*, *epiſtolas SS. Jacobi & Judæ*, ac *Apocalypſim S. Joannis.*

Probatur Concluſio 3. Proteſtantes in ſuis principiis non poſſunt ſufficienter probare legitimam ſuorum Bibliorum verſionem, ſeu quod habeant Biblia rite & de puris fontibus in ſuas linquas translata: ergo. ant. prob. ſi hoc poſſent probare: ergo ex Scriptura: cum juxta AA. nihil ſit, quod ad aliquid infallibiliter probandum valeat, præter Scripturam; atqui ex hac id nequeunt probare, quia in Scriptura nullibi dicitur, totum vel illum Canonem eſſe ex textu fundamentali Hebraico, aut Græco legitime verſum: ergo. Ac-

Accedit: quod Bibliorum versiones, quas habent AA. sint suspectæ à suis Auctoribus, utpote hominibus privatis, adeoque erroribus obnoxiis: à suis Auctoribus votifragis, Apostatis, perfidis, odio & invidia in Romanum Pontificem inflammatis: & in has malevolas animas introisse veram sapientiam, & peculiarem ad tam grande opus Spiritus S. illustrationem quis credat?

Insuper Novatorum versiones continent manifestos errores: nam Lutherus vertens verba Gen. c. 17. v. 1. *Esto perfectus:* in Germanico sic ponit: *esto pius.* Vertens v. 5. Ps. 98. *Adorate Scabellum pedum ejus*: illi assuit præpositionem *Coram*, ut hic falsus sensus evadat: *adorate* non ipsum Scabellum, sed Deum *coram Sabello pedum ejus.* Vertens verba Matth. c. 2. v. 2. *Pœnitentiam agite*: illa in germanico ita expressit: *emendate vos.* Vertens verbum *tollit* peccatum mundi Joan. c. 1. v. 29. id ita germanice reddidit: *portat.* Vertens versum 20. ad Rom. c. 3. *Per legem enim cognitio peccati*: addidit, *tantum*: quasi lex tantum serviret ad hoc, ut in ea tanquam in speculo cognoscamus peccatum, non vero quod servanda sit, ut evitetur peccatum. Versui 28. ejusdem epistolæ: *arbitramur, justificari hominem per fidem*: Lutherus de suo apposuit ly *Solam.* Vertens id 1. Corinth. c. 9. v. 5. *Nunquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi?* de suo adjecit, *in uxorem.* Dum v. 10. 2. Petri c. 1. *Magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis:* transtulit, in eo omisit: *per bona opera.* Imo ut L. 2. de Verbo Dei. c. 11. Bellarminus habet: In novi Testamenti à Luthero facta versione fere mille errores notantur. Ad hoc

Si dicant Lutherani: Versionem Lutheri nec sibi esse authenticam, sed esse examinandam ad fontes Hebraicos ac Græcos.

Con-

Contra eſt: tum quia omnes Lutherani poſſunt, ac debent ſua Biblia non authentica, ſed quæ fallibilia eſſe fatentur, legere: ergo legendo exponunt ſe periculo addiſcendi errores. Tum quia plurimi ex Lutheranis non callent perfecte, imo nullo modo linquas Hebraicam & Græcam, ut corrigere valeant verſionem Lutheri. Tum etiam poſito, quod plures ex illis etiam perfecte calleant iſtas linquas, & in his examinent verſionem Lutheri: ergo iſti erunt Judices in textibus Scripturæ legitime vertendis? iſti inquam, qui homines, conſequenter mendaces, & fallibiles ſunt. Tum quia ipſi fontes Hebraici & Græci non ſunt puri, & eorum autographa non extant. Ergo Proteſtantes ubi purum Verbum Dei ſcriptum, cui unice inniti volunt, & juxta ſua principia debent, infallibiter invenient?

Deinde quis credat, verſiones ab uno alterove fædifrago, & rebelli Monacho, aut Sacerdote factas, quæ verſioni ab univerſali Eccleſia per mille & plures centenos annos, & quidem illis jam, quibus etiam juxta ipſos AA. Eccleſia in ſua puritate habebatur, receptæ, uſitatæ, & approbatæ repugnant, eſſe bonas, legitimas, & authenticas? atqui verſiones omnes Lutheranorum, Calviniſtarum, &c. in multis repugnant verſioni vulgatæ, quæ ab univerſali Eccleſia Romana, antequam Novatores contra eam inſurrexerunt, fuit recepta jam, jam uſitata, jam approbata: ergo.

Præterea apud Lutheranos non ſunt Biblia ejusdem verſionis, ſeu eadem Biblia: nam inter illos varia habentur, nempe *Biblia Lutheri*, *Oecolampadii*, *Theodori Bibliandri*, *Caſtalionis*, *Junii*, *Termellii*, *Mynſteri*, *Bezæ*, & tot aliorum, ut Rauchelinus, alias Capnion vocatus, enuntiaverit: *tot Scripturæ verſiones haberi, ut melius fuiſſet, ſi lucem non vidiſſent, vel exortæ mox periiſſent.* Cum igitur variorum, quæ inter ſe conſentanea eſſe nequeunt, Bibliorum tot ſint: dicant AA. quænam ex iis apud illos pro veris ac legitimis habeantur? An forte

illa,

illa, quæ Lutherus prima vice typis germanicis commisit? sed in illis circiter 1400. loca Scripturæ mutata, truncata, vel etiam falsificata reperta sunt, ut ita Bucerus quamvis Lutheri discipulus ad Philippum Melanchtonem suum Collegam stomachabundus dixerit: *Lutherus pro Deo vult haberi, cui omnia licent, & nemo contradicere debet.* Vel forsan erunt illa Biblia, quæ Lutherus secunda vice fabricavit? ast ibi in solo S. Matthæi Evangelio adusque 34. textus aliter, quam in prioribus suis Bibliis dedit. Aut fortasse erunt ista Biblia, quæ Wittebergæ impressa sunt? At vero in istis Lutherus textum: *Tres sunt, qui testimonium dant*: audacter omisit. Vel forsitan erunt Biblia Luneburgica? quibus memoratus textus iterum insutus est? Forte erunt Biblia ista, quæ circa annum 1707. Lipsiæ neo-impressa, & multis approbationibus, ac encomiis celebrata sunt? Si hæc, aut noviora Magdeburgica, quæ omnibus versionibus hucusque factis in quibusdam apud illos locis præferuntur, sint vera & legitima Biblia, manifestum est consequens, Lutheranos per 200. fere annos authentica & vera non habuisse Biblia. Posito etiam hæc nova Lipsiensia, aut his noviora Magdeburgica sola esse Biblia genuina, quomodo ostendent, quod omnes Lutherani sua antiqua Biblia Wittebergica, Luneburgica, Brandeburgica &c. abjecerint, & illa sola Lipsiensia, vel Magdeburgica statim sint cum magnis sumptibus amplexati? Certe propterea, quod Prædicantibus Wratislaviæ sint indulta corrugata collaria, horum mos mox non invaluit in aliis Lutheranorum locis; nec ideo quia Lipsiensibus vel Magdeburgicis sua placent Biblia, alii Lutherani statim post ipsos sicut canes current. Ergo.

Tandem omnes Lutherani non eadem utuntur interpretatione Scripturæ: tum quia aliqui tenent cum Luthero: alii cum Confessione Augustana: alii cum libro concordiæ: aliqui sentiunt cum Lipsiensibus: alii cum Helmstadianis: alii cum Jenensi-

nensibus: alii cum Witteberganis in eo, quod Scripturæ interpretationem concernit. Tum quia Scriptura aliter interpretatur in Saxonia: aliter in Suecia, aliter in Dania &c. Unde non immerito P. Georgius Scherer S. J. Pastores & Doctores Lutheranos comparat Vulpibus Samsonis Judic. c. 15. Sicut enim hæ quoad caudas quidem ad invicem junctæ, secundum capita autem ita discordes erant, ut una discurreret huc, alia illuc; ita illi quamdiu contra Papam, & Catholicos pugnant, tamdiu ad invicem fortiter sunt ligati, & uniti: dum vero doctrinam suam in lucem proferre debent, tunc unus eorum discurrit huc, alter illuc; & aliqui in eo, quod Scripturæ interpretationem concernit, tenent cum Luthero: alii cum Confessione Augustana: alii cum libro Concordiæ: alii sentiunt cum Lipsiensibus: alii cum Helmstadianis: alii cum Jenensibus; alii cum Witteberganis: & Scriptura aliter interpretatur in Saxonia: aliter in Suecia: aliter in Dania &c. ut merito Fridericus Saxoniæ Dux coram Convivis suis in tabula dixerit: *quod hodie credo, hoc scio: quid mihi crastina ad credendum platrabunt, & garrient, hoc scit Deus.* Et si Lutherani in interpretanda Scriptura conveniant: cur ergo inter eos aliqui ubiquitatem, seu omnipræsentiam Christi quoad humanitatem habent pro certa, alii pro falsa? Cur apud illos aliqui putant, Purgatorium esse adiaphorum, & affirmari vel negari posse; cum tamen alii id concedere absolute nolint? Ergo.

Contra hanc Conclusionem Dices I. Dari aliquam Scripturam, est principium ab utraque parte, scilicet tam à Catholicis quam à Lutheranis concessum; ergo non debet trahi in dubium, nec ab adversa parte v. gr. à Lutheranis exigi, ut probent dari aliquam Scripturam. ℞. 1. neg. conseq. quia principium, quod non est evidens, est probandum. ℞. 2. dist. ant. est principium ab utraque parte, sed non ex eodem motivo, ac fundamento concessum, conc. ant. ex eodem fundamento &

motivo conceſſum, neg. ant. & conſeq. Si Adverſarii ex eodem, quo Catholici motivo, videlicet ex traditione, ac Eccleſiæ authoritate infallibili concederent, & poſſiderent Scripturas: facile inter Catholicos & Proteſtantes foret pax: ſi enim quoad Scripturarum exiſtentiam admitterent traditionem, atque Eccleſiam judicarent infallibilem, id ipſum quoque deberent facere pro intelligendis Scripturis quoad ſenſum, & ſic in omnibus articulis Catholicis inter & Proteſtantes controverſis naſceretur concordia.

Dices 2. Hæc quæſtio, an habeamus Scripturam Divinam eſt 1. *Curioſa.* 2. Chriſtiano *indigna*, quia totam Chriſtianitatem reddit dubiam. 3. eſt *inepta*, quia prima fidei principia non probari, ſed ſupponi debent. Ergo. ℟. neg. ant. nam 1. *Curioſum* non eſt inquirere, an primum fidei principium ſit ſatis ſolidum? & licet Deus res obſcuras revelando velit, ut intellectum noſtrum captivemus in obſequium fidei, non tamen vult, nec velle poteſt, ut eas res temere & absque fundamento infallibili firmiſſime credamus. 2. Quis Chriſtiano indignum exiſtimet? Si fidei Chriſtianæ fundamenta, quæ utique infirma eſſe nequeunt, inquirere ac declarare adlaboret; quod fit per hujus quæſtionis examen. 3. Quis *ineptum* pronuntiet indagare principium, quod per ſe notum non eſt? Quamdiu igitur AA. S. Scripturæ exiſtentiam infallibiliter probare non poſſunt, (quod nunquam poterunt probare, niſi verbum Dei non ſcriptum, & Eccleſiam audiant) tamdiu male & imprudenter admittunt Scripturam, nec ea ad quoscunque articulos probandos uti poſſunt.

Dices 3. Scriptura ſe ipſam ſua luce ſatis prodit; ſi enim attente & devote legatur, in ea tam convincentes reperiuntur cauſæ, quod ſit Verbum Dei, ut Eccleſiæ teſtimonium, vel traditio aut omnino non requiratur, aut nonniſi ultimum locum obtineat: ergo. ℟. Si in Scriptura ſit tanta lux, qua ſe ipſam

ipſam prodat, quare hanc non omnes vident? quare Lutherani Calviniſtis, hi illis ſunt contrarii? Cur Machometani eam lucem potius in ſuo Alcorano, & Judæi in ſuo Thalmudo, quam in noſtris Bibliis vident? Jam probatum eſt in præcedentibus Scripturam in multis valde obſcuram eſſe.

Dices 4. Eccleſiæ de exiſtentia Scripturæ teſtimonium eo fere modo ſe habet, quo tabellarius nobis adferens literas Regis: ſicut ergo dum has literas aperimus, & legimus; non propter tabellarii teſtimonium, ſed propter manum, ſigillum, & negotium Principis certo credimus, eas eſſe literas Regis; ita dum legimus S. Scripturas ab Eccleſia nobis oblatas, non propter Eccleſiæ teſtimonium, ſed propter certa *Criteria* ſeu indicia Scripturis intrinſeca certo credimus, eas Scripturas eſſe Divinas & literas Dei. Porro talia Criteria ſunt *ſublimitas* rerum, quæ in Scripturis tractantur: *talis* ad vitam recte inſtituendam *inſtructio*, qualis in nullo alio libro reperitur: *tanta* ad animos permovendos *efficacia*, quantam in alio libro nullo quis inveniet: *Vaticinia* de rebus futuris, quas modo ita eveniſſe ſcimus, &c. ℞. 1. neg. ant. nam eſt grandis diſparitas hæc, quod Eccleſia in proponendis rebus fidei ſit infallibilis, ut ſuo loco probabimus, tabellarius vero fallibilis, & ſæpe mendax. ℞. 2. tranſ. ant. neg. conſeq. nam quod manus ſeu character, ſigillum, aliaque indicia probent, eas eſſe literas Regis, ideo eſt, quia ea indicia cernimus oculis noſtris: at vero in S. Scripturis nulla habentur evidentia indicia, quæ probent, eas eſſe Divinas ſive literas Dei. Cur enim à S. P. Auguſtino vel D. Hieronymo, vel alio Sancto & ſapiente Viro non potuiſſet ſcribi liber, in quo contenta fuiſſent omnia enarrata Criteria? quin tamen talis liber eſſet Canonicus. Et quid? ſi quis diceret Evangelia SS. Bartholomæi, Thomæ, & Nicodemi, quæ nec ab AA. pro Canonicis agnoſcuntur, eſſe Scripturas divinas, eo quod in iis memorata legantur *Criteria*. Imo

in Scripturis etiam ab AA. pro Divinis habitis plurima repeeriuntur capita, & ſententiæ, in quibus nulla apparet vel *ſublimitas* rerum, vel *inſtructio* morum, vel *efficacia* ſeu energia verborum, aut *prædictio* futurorum; Cur ergo eas AA. agnoſcunt pro Divinis?

Dices 5. In 1. Joan. c. 5. v. 6. habetur: *Spiritus eſt, qui teſtificatur*, hoc eſt, Spiritus ſancti teſtimonium eſt quaſi viva ſenſatio apud eos, qui Scripturam pie legunt, ut eam agnoſcant; *ipſe enim Spiritus reddit teſtimonium Spiritui noſtro.* Rom. c. 8. v. 16. Et Spiritus S. *vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia.* Joan. c. 14. v. 26. Ergo per Spiritum internum ſatis cognoſci poteſt exiſtentia S. Scripturæ. ℟. hoc argumentum, in quo AA. plurimum confidunt, nihil probare: tum quia adducit textus Scripturæ ad probandam exiſtentiam Scripturæ, & ſic ſupponit id, de quo quæritur; tum, quia ex citatis textibus non probatur, quod ille Spiritus privatus, ſeu illud dictamen internum, quo AA. judicant dari Scripturam, ſit Spiritus S. illuſtratio, & non potius fallax perſuaſio, & erroneum proprii intellectus judicium: tum denique, quia Gentiles, pagani, aliique Scripturam negantes, eodem jure dicere poſſunt, ſe eam negare ex interno ſpiritus Divini teſtimonio.

Dices 6. Scriptum eſt 2. Pet. c. 1. v. 21. *Spiritu S. inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines*: ergo S. Scriptura probat Canonem ſui infallibiliter. ℟. neg. conſeq. Unde enim (niſi traditio admittatur, aut Eccleſiæ vox audiatur) infallibiliter quis certus eſt, iſtum D. Petri textum eſſe S. Scripturam, ſive Verbum Dei?

Dices 7. In quibusdam Scripturæ locis additur. *Dominus locutus eſt: dixit Deus* &c. Ergo ibi Divinus Canon ſe ipſum prodit. ℟. Talia verba non reperiri in omnibus Scripturæ libris, capitibus, & ſententiis: de quibus proinde redit quæſtio, unde infallibiliter cognoſcantur eſſe Verbum Dei. ℟. 2. neg.

con-

conseq. Nam certus quis non est, an ea verba Spiritus S. addiderit, an autem ab aliquo impostore per malitiam, aut ab alio per infirmitatem humanam fuerint apposita. Et quid si similia verba invenirentur in Alcorano Turcico, vel in Thalmudo Hebraico, nunquid Turcæ vel Hebræi propterea infallibiliter certi erunt, se habere veram Scripturam Divinam?

§. II.

Dico 2. Vulgata Catholicorum S. Scriptura est Authentica. Aliqua Prænotanda

UT conclusio statuta debite intelligatur, Notandum 1. Linquam Hebræam fuisse primam, & à Deo Protoparenti nostro Adamo infusam. Ratio est 1. quia ante ædificationem turris Babel Gen. c. 11. v. 1. *Erat terra labij unius, & sermonum eorundem:* atqui illud labium erat Hebræa linqua: ergo. min. prob. ex S. Hieron. epist. 142. ad Damasum, ubi ait: hoc esse commune antiquorum placitum: *Initium oris & communis eloquii, & hoc omne quod loquimur, Hebræam esse linquam, qua vetus testamentum scriptum est, universa antiquitas tradidit;* ergo. Ratio est 2. quia sancti in cœlo loquentur linqua Hebræa, ergo & Adam in Paradyso eadem linqua fuit locutus. Conseq. patet: congruum enim est, ut illa linqua loquantur Beati in cœlo, qua Adam locutus est in Paradyso, cum illa sine dubio fuerit perfectissima. Ant. prob. Beati in cælo loquentur voce articulata, ut docet D. Th. in 4. dist. 44. q. 2. a 1. q. 4. ad. 4. ubi dicit: *Laus etiam vocalis erit in Patria, unde August. dicit Psal. 149. Exultationes Dei in gutture eorum: quod corda & linquæ non desinent laudare Deum. Et idem etiam habetur per glossam super illud: in cymbalis bene sonantibus.* Hæc autem laus erit linqua Hebræa: quia Tobiæ c. 13. v. 22. de cælesti Jerusalem dicitur: *per vicos*

ejus alleluja cantabitur. Et Apocalyp. c. 15. v. 3. Joannes dicit, se vidisse Beatos cantantes Canticum Moysi; atqui Alleluja est vox Hebræa; & non est verosimile, Canticum Moysi pro Beatis in aliam linquam vertendum: ergo.

Ratio est 3. quia nomina propria sive hominum, sive locorum, quæ ab orbe condito usque ad confusionem linquarum in historia Moysis leguntur, in Hebraica linqua suas habent origines: sic *Adam* Hebraica vox est, idem significans ac *homo*, & homo ideo vocatur Adam ab Hebræo nomine *Adamach* significante humum, quia homo de humo sive terra à Deo formatus est. *Heva* pariter *Chava* Hebraicæ linquæ vox est, idem significans ac *vivens* aut potius *vivificans* à radice *Chaja*, id est *vixit:* sic enim vocata est uxor Adæ, eo quod futura esset Mater cunctorum viventium, ut Gen. c. 3. v. 30. dicitur. *Cain* Hebraice idem est ac latine *possessio*, & ideo sic dictus à radice *Kanach*, id est, *possedit*, quia postquam Heva concepit, & peperit Cain, dixit Gen. c. 4. v. 1. *possedi hominem*: quasi diceret, natus est mihi filius quasi possessio una; est enim filius quasi parentum possessio, unde jure naturæ sub patris potestate est. Sic pariter *Abel* suam derivationem habet ab Hebraica voce *Habel*, quæ idem significat ac *vanitas*, per quod Heva celerem ejus mortem, seu eum cito transiturum, & vanitati similem præsagire voluit. *Seth* similis vox Hebræa est, idem significans ac latine *positio*, seu fundamentum à radice *Schuth* significante *posuit, locavit*, sicque dictus iste Hevæ filius, quia eum post occisum Abelem à Caino genuit Heva, eumque *Seth* quasi futurum suæ sobolis & posteritatis fundamentum vocavit Adam dicens Gen. c. 4. v. 25. *posuit mihi Deus semen aliud pro Abel*, quem occidit Cain. *Babel* Hebraice idem est ac latine confusio, sic dictus locus ille à radice *Balal*, id est, confundit, sive commiscuit, quia ibi ita ædificantium linquas Deus confudit, & commiscuit, ut pro una omnibus communi linqua singulis singulas,

&

& ſingulis proprias indiderit juxta illud Gen. c. 11. v. 9. *Vocatum eſt nomen ejus Babel, quia ibi confuſum eſt labium univerſæ terræ.*

Dices 1. Adam, Cain, Abel, & varia ſimilia nomina propria ſunt nomina linquæ *Syriacæ*: ergo. ℞. Hæc nomina in linqua Syriaca inveniri, quia derivata eſt ab Hebræa.

Dices 2. Convenientius fuit, ut eadem linqua uteretur novus Adam ſcilicet Chriſtus, qua locutus eſt primus Adam: atqui ille nempe Chriſtus uſus eſt linqua Syriaca, quia illa poſt captivitatem communis fuit Hebræis: ergo. ℞. Chriſtum non fuiſſe uſum linqua Syriaca pura, ſed Syro-Chaldaica, id eſt, Hebræa corrupta, quæ tunc apud Hebræos erat vernacula.

Dices 3. Deus promiſit populo reddere primævam linquam: atqui linqua, quam ipſis reddidit, fuit Syriaca: ergo primæva linqua fuit Syriaca, non Hebræa. maj. prob. ex Sophonia c. 3. v. 9. ubi dicitur: *Reddam populis labium electum:* ergo. ℞. Hæc verba non intelligi de redditione linquæ primævæ, ſed confeſſionis veri Dei: quod ſcilicet ſicut in Paradyſo primi homines ore uno Deum laudabant, & colebant, ſic per Chriſtum omnes gentes Deum agnoſcerent, & ideo additur: *ut invocent omnes in nomine Domini* &c.

Dices 4. Linqua Hebræa plus quam ſexcentis annis poſt diluvium tantum data eſt Moyſi, ut eruitur ex Pſal. 80. v. 6. *Linquam, quam non noverat, audivit*, id eſt, populus Israeliticus, cum exiret de Ægypto, audivit novam linquam divinitus Moyſi revelatam; ergo. ℞. Populum in Ægypto oblitum fuiſſe linquæ Hebræ, & ſolum Ægyptio idiomate fuiſſe uſum: poſtea vero in egreſſu Israel de Ægypto, cum nulla ibidem addiſcendi literas eſſet opportunitas, divinitus Moyſi Hebræam linquam fuiſſe infuſam, & datam hebræis, quibus inaudita, & nova viſa eſt, licet Atavi eorum ea locuti fuerant.

Notan-

Notandum 2. Hanc linquam Hebræam mundo coævam, Adamo & Patriarchis prioribus usitatam, â Deo in tabulis lapideis, & Moyse usam, usque ad constructionem turris Babelicæ permansisse; post Babelicam autem linquarum confusionem in Abnepote *Semi* Patriarcha, nempe *Heber*, ejusque familia, usque ad Abrahamum & in tota gente Israelitica integram perseverasse, idque forte in præmium, quod *Sem* aut *Heber* Babelicæ conspirationis particeps non fuerit. Ita tenet S. P. Augustinus lib. 16. de Civit. Dei. c. 11. expresse dicens; facta linquarum divisione, *Non defuit domus Heber, ubi ea, quæ antea fuit omnium linqua, maneret.* Et infra: *quia ergo in ejus familia remansit hæc linqua, divisis per alias linquas cæteris gentibus, quæ linqua prius humano generi non immerito creditur esse communis, ideo deinceps Hebræa est nuncupata. Tunc enim opus erat eam distinqui ab aliis linquis nomine proprio, sicut aliæ quoque vocatæ sunt nominibus propriis. Quando autem erat una, nihil aliud quam humana linqua vel humana locutio vocabatur, qua sola universum genus humanum loquebatur.* Quibus verbis S. Pater clare indicat, linquam illam, quæ ante communis erat, ideoque linqua humana dicebatur, secuta linquarum divisione dictam Hebræam ab Hebero, in cujus familia mansit, & per quam descendit ad Abraham, inde per Jacob ad Israelitas dictos vulgo Hebræos. Hinc videtur etiam velle S. Pater, Hebræos sic dictos ab Hebero abnepote Semi quinto post Semum, quem jam natum censet quando linquarum facta est multitudo.

Ratio autem est 1. quia familia Patriarchæ Heberi nullo pacto consentit in impium & flagitiosum fabrorum turris Babylonicæ consilium. Scriptura enim expresse dicit, urbem & turrim Babylonicam fuisse extructam â filiis hominum, per quos juxta interpretes intelligit homines impios & profanos; cum igitur familia Patriarchæ Heberi, quæ per Semum filium Noemi descendebat, ñ consenserit in flagitiosum istud extruendæ

turris

turris Babylonicæ consilium, credibile non est, hanc familiam in eadem illorum pæna, confusione videlicet linquarum jacuisse, quorum culpæ se participem non reddidit. Hinc est, quod Familia Patriarchæ Heberi, tempore, quo homines per linquarum confusionem per omnes terras dispersi sunt, non fuerit ipsa dispersa, sed inconcussa tunc sedibus suis permanserit, donec Abrahamus ex familia Patriarchæ Heberi descendens, speciali vocatione inde fuerit à Deo evocatus; ergo sicut pænam dispersionis non subiit familia Patriarchæ Heberi, ita verosimile est, eam nec linquæ suæ confusionem esse passam, sed potius avitam linquam Hebræam conservasse puram & incorruptam.

Ratio est 2. Quia familia Semi, filii Noemi, ex qua Patriarcha Heber propagatus est, semper in vera Religione, seu in sincero unius & veri Dei cultu constanter perstitit: econtrario familia Chami alterius filii Noemi à Deo & à vera Religione descivit; quo factum est, ut familiam Patriarchæ Heberi singulari favore, gratia, ac benedictione Deus prosecutus fuerit, cum econtra familia Chami, ex qua Chanaam prognatus est, à Deo sit maledicta. Prababile itaque est 1. Deum in familia Patriarchæ Heberi, quæ fuit familia sancta & benedicta, maluisse conservare linquam sanctam, seu Hebræam, per quam religionem, & legem suam propagare, & promulgare voluit magis, quam in familia profana & maledicta. Probabile etiam est 2. Linquam Hebræam sic dictam fuisse à Patriarcha Heber, eo quod apud ipsum, & in ejus familia fuerit tempore confusionis linquarum conservata, & postea ad ejus posteros transfusa.

Dices 1. Scriptura indicat linquam Heberi & familiæ ejus fuisse Chaldaicam non primigeniam Hebræam: ergo hæc tanquam primigenia non permansit in Heber ejusque familia. ant. prob. Filij Heber progenitores Abrahæ, ac linquæ Heberi hæredes commorati sunt in Chaldæa, ibique servierunt diis alienis:

nis: sic Josue c. 24. v. 2. dicitur: *Trans fluvium habitaverunt Patres vestri ab initio, Thare Pater Abraham & Nachor. Servieruntque diis alienis.* Atqui Religio ista trans fluvium Ephratem, fuit Chaldæa, ut habetur expresse Gen. c. 11. v. 28. ubi describitur mors Aran filii Thare, & Fratris Abraham *in terra nativitatis suæ in Ur Chaldæorum* Et v. 31. describitur egressus Thare cum Abraham filio & Loth nepote de Ur Chaldæorum, ut irent in terram Chanaan: ergo successores Heber, & Abrahæ Progenitores incolatu & Religione 70. circiter annis permixti cum Chaldæis, & demum 100. annis permixti cum Chananæis una eademque linqua cum cæteris Chaldææ & Cananææ incolis usi sunt, quam postea transmiserunt ad posteros, quibus facta connaturalis, & postea Hebræa dicta est. Ergo. ℞. neg. ant. ad prob. dico: licet familia Heber morata sit in Chaldæa, & demum Abraham in Chanaan, exinde non sequitur linquam familiæ Heber tantum fuisse Chaldæam, nec linquam Abrahæ tantum Chaldaicam & Chananæam: potuit enim familia Heber linqua Chaldaica, & Abraham linqua quoque uti Chananæa ut linqua Regionis, & præterea tamen in familia sua servare linquam propriam ac primigeniam, id est, Hebræam, eamque ad posteros traducere. Quæ an postea Hebræa dicta sit ab Heber? uti probabilius, an ab Abraham? uti alij sentiunt, parum refert. ℞. 2. Duplicem esse linquam Chaldæam, unam primævam, quæ eadem est ac Hebræa: aliam decursu temporis corruptam, quæ ab Hebræa originem ducit; cum enim finito diluvio Noe in montibus Armeniæ, ubi Arca resedit Gen. c. 8. v. 4. cum filiis suis per 100. annos habitasset, profecti ab his partibus venerunt in terram Sennear, quæ in Caldæa est, ibique ab incæpta turri linquarum divisione desistentes in varias Regiones dispersi sunt: sed cum familia Heber ab hac pæna libera fuerit, antiquum idioma & locum retinuit: postea tamen descendentes Heber, cum multiplicarentur, habitationem dilata-

latarunt, & Syriam Chaldææ finitimam occuparunt, & Hebræa linqua apud illos mansit incorrupta usque ad Captivitatem Babylonicam, quæ ratione loci etiam dicitur Chaldæa.

Dices 2. Sine fundamento asseritur, quod Sem aut Heber Babelicæ conspirationis particeps non fuerit, & in præmium pietatis in illis primigenia linqua permanserit: nam contrarium indicare videtur Scriptura Gen. c. 11. v. 1. & 6. ubi postquam Moyses dixisset terram primò fuisse laby unius, subjunxit v. 9. confusum fuisse labium *universæ* terræ: ergo si labium *universæ* terræ confusum est, etiam labium ipsius Sem aut Heber confusum est; ergo primigenia linqua non mansit penes ipsos. ℞. Quod hæc verba Genesis non ita universaliter & sine omni exceptione accipienda sint; quod patet ex illo Gen. c. 6. v. 12. ubi dicitur: *omnis caro corruperat viam suam;* ubi hæc verba non cum omni universalitate accipiuntur, sed Noe cum tota sua familia excipitur: ergo pariter cum dicitur, *confusum est labium universæ terræ*, non debet hoc accipi pro omnibus omnino hominibus, sed pro iis tantum, qui conspiraverunt in ædificationem turris, in hanc autem nec Noe, nec Semum, nec Heberum credibile est conspirasse.

Dices 3. Si in præmium pietatis primigenia linqua mansit in Heber, nec Judæi post captivitatem, nec Christus, nec Apostoli, nec Esdras vir sanctus prærogativa linquæ sanctæ fraudari debuissent; cum interim Samaritani impij ac rebelles ea fruerentur: atqui illi sunt fraudati; ergo. ℞. Hoc non evincere linquam Hebraicam debuisse restitui Hebræis post captivitatem Babylonicam, quin potius, quod sicut linqua hæc fuit conservata in Heber ejusque posteritate quia fidelis in præmium fidei illius, ita populo Judæorum captivo ob infidelitatem decuerit, ut in pænam auferretur, vel saltem cum linqua alienigena confunderetur; quapropter Christum & Apostolos loqui oportuit linqua tunc temporis ustata: quia si Hebraice

locuti fuiſſent, vix quisquam eos intellexiſſet. Nec refert, quod apud Samaritanos manſerit; hoc enim ad Dei judicia referendum eſt, quæ ſua dona ſæpe à populo electo ſed ingrato ad hoſtes ſuos in pænam transferre conſuevit.

Notandum 3. Quæ de antiquitate linquæ Hebraicæ mox dicta ſunt, etiam de ipſis literis Hebraicis (quæ ſunt viginti dûæ) intelligi debere; nam non ſolum linquam Hebraicam, ſed etiam literas fuiſſe ante linquarum diviſionem, adeoque diu ante Moyſen docet S. P. Auguſtinus lib. 18. de civit. Dei. c. 12. *Non itaque credendum eſt, quod nonnulli arbitrantur, Hebræam tantum linguam per illum, qui vocatur Heber, unde Hebræorum vocabulum eſt, fuiſſe ſervatam, atque inde perveniſſe ad Abrabam: Hebræas autem literas à lege cæpiſſe, quæ data eſt per Moyſem, ſed potius per illam ſucceſſionem Patrum memoratam linquam cum ſuis literis cuſtoditam. Denique Moyſes in populo Dei conſtituit, qui docendis literis præeſſent, priusquam Divinæ legis ullas literas noſſent. Hos appellat Scriptura Gramatoi Sagogeis, qui latine dici poſſunt literarum inductores, vel introductores, eo quod eas inducant, id eſt, introducant quodammodo in corda diſcentium, vel in eos potius ipſos, quos docent.* Imo veroſimilius eſt literas quoque Adami tempore extitiſſe, illumque artem ſcribendi à Deo fuiſſe edoctum. Nec obſtat, quod S. P. Auguſt. q. 69. ſuper Exod. de hac re dicat: *Neſcio, utrum valeat indagari. Nonnullis enim videtur, à primis hominibus eas* (nempe literas) *cæpiſſe, & perductas eſſe ad Noe, atque inde ad parentes Abrabæ, & inde ad populum Israel: ſed unde probari poſſit, ignoro*. Non inquam obſtat: nam S. Pater hic tantum fatetur ſe ignorare rationem certam & evidentém, non vero probabilem.

Notandum 4. Licet ab initio extiterint vocales ad literarum pronuntiationem neceſſariæ, notæ tamen (quarum nomine intelliguntur puncta. quæ in Scriptura Hebraica conſonantibus modo vocalium loco apponuntur, quia Hebræi in ſcribendo

do ſolent nonniſi literas conſonantes propria figura exprimere, vocales autem per puncta) quibus hæ literæ in ſacris codicibus deſignantur, nec à Moyſe appoſitæ, neque ab Esdra, virisque Synagogæ magnæ inventæ & additæ ſunt, ſed probabilius à Maſorethis Tyberienſibus, hoc eſt, Magiſtris Traditionis acceptæ per manus Esdræ, Gamalielis &c. adſcriptæ ſunt, qui Magiſtri ſub ſæculum V. ab ortu Chriſti in Tyberiade urbe Paleſtinæ vitam egerant. Verum quidem eſt, à principio cum conſonantibus inſtitutas fuiſſe in linqua Hebraica vocales, easque fuiſſe ſemper expreſſas in pronuntiatione, aſt non in ſcriptione; non enim eadem eſt ratio pro ſcriptione, quæ pro pronuntiatione, ſiquidem voces ſine vocalibus pronuntiari non poſſunt, ſcribi tamen poſſunt, ut patet in linquis orientalibus Chaldaica, Syriaca, Arabica. Neque puncta vocalia pertinent ad integritatem & perfectionem S. Scripturæ ſubſtantialem, ſed ſolum accidentalem, & ex parte legentium, ut ſcilicet à legentibus facilius ejus ſenſus poſſit intelligi. Et dum Chriſtus Matth. c. 5. v. 18. dixit: *Jota unum aut unus apex non præteribit* &c. per *apicem* non punctum vocale intelligitur, ſed literarum quamvis minimæ particulæ & ductus, ſicut per *Jota* minima literarum hebraicarum *Jod* intelligitur: quaſi Chriſtus dixiſſet nec literarum minima, imo nec minima pars, ſeu ductus literæ legis præteribit, ſeu peribit. Præterea non obſtat, quod in Thalmud Tract. Mephilla c. 1. & alibi fiat mentio diſtinctæ lectionis, accentuum, ac verſiculorum, adeoque puncta vocalia Maſorethis Tiberienſibus videantur antiquiora. Non inquam obſtat, nam ibi tantum fit mentio diſtinctæ lectionis, accentuum, commatorum, & verſiculorum in pronuntiando, ſiquidem nemo eſt, qui cum intelligentia legere volens, periodos, ac periodorum commata, nec non accentus non diſtinquit: non autem fit mentio de accentibus, & punctis vocalibus in ſcribendo: quia nullum punctum vocale in Scriptura

Thalmudica reperitur, ut testantur tum liber legis in Judæorum synagogis legi solitus, tum libri Rabbinici. Nec inferri potest, quod, si puncta vocalia sunt à Masorethis Tiberiensibus, sensus, quem vocales referunt, authoritatem solum habeat humanam & non divinam: ac puncta à quolibet pro libitu mutari, aliisque alia substitui possint: nam hæc illatio negatur, quia idem sensus, quem Scriptura à principio tempore Moysis & aliorum sacrorum Scriptorum habuit, continua traditione usque ad Masorethas Tiberienses pervenit, qui addendo puncta vocalia nihil in sensu divino immutarunt, sed tantum lectionem contextus facilitarunt. Nec cuique puncta immutare, & aliis alia substituere licet, quia puncta vocalia eundem sensum Scripturæ, quem sine his habuit, exprimunt.

Notandum 5. Tribus linquis, quæ propterea *Sacræ* vocantur, sacra Biblia originaliter conscripta, seu edita fuisse, scilicet Hebraica, Græca & Latina.

Notandum 6. Omnes libros veteris testamenti, quos Judæi in suo Canone referunt, Hebraice scriptos esse: quod cum sit quid facti, alia probatione non eget, quam quod ferme omnes interpretes in hoc conveniant. Excipiuntur *Danielis & Esdræ libri*, qui hinc inde Chaldaico idiomate usi sunt, quod ipsis familiate erat. Ita S. Hieron. in præfat. ad dictos libros: idem est dicendum de *una Jeremiæ pericope*, ut notat S. Bonavent. Præfat. in Threnos cap. 10. v. 11. ut etiam affirmat D. Hier. Præfat. in Dan. Libri vero Canoni Judæorum adjecti partim Hebraice, partim Chaldaice, partim græce exarati feruntur; sic libros *Tobiæ* & *Judith* chaldaice scriptos dicit S. Hier. in præf. ad dictos libros. *Librum 1. Machabæorum* probabiliter primitus Hebraice scriptum esse, licet textus Hebraicus amplius non extet, observat S. Hier. in prologo Galeato: *alterum* vero *Machabæorum* græce exaratum esse dicit. Librum *Ecclesiastici* pariter Hebraice scriptum esse à Jesu filio Sirach, & in græcum idio-

idioma tranflatum ab ejus Nepote, non obfcure conftat ex prologo, quem Jefus Junior libro Avi fui præfixit. Librum *Sapientiæ* græce exaratum afferit rurfus S. Hier. Præf. in lib. Salom. ubi expreffe dicit, quod ipfe ftylus libri hujus græcam eloquentiam redoleat. De libro *Job* dicit S. Hieron. præf. in Dan. *Job quoque cum Arabica linqua plurimam habere Societatem.*

Notandum 7. Teftamentum novum fere totum fuiffe græce confcriptum, in quo fere omnes Interpretes conveniunt: qui communiter excipiunt Evangelium S. Matthæi, & Epiftolam ad Hebræos, quæ linqua hebræa non pura, fed corrupta, quæ nunc eadem eft ac Syriaca, & literis hebraicis confcripta funt: cum illa tempore Chrifti & Apoftolorum erat in ufu. De Evangelio Marci aliqui dicunt, illud Romæ linqua latina fuiffe editum: alii vero & fors probabilius dicunt, illud fuiffe græce confcriptum, inter quos eft S. Hieron. epift. 123. ad Damafum. Et S. P. Auguft. lib. 1. de confenfu Evangel. c. 2. Favet etiam non levis conjectura: quia Romani, apud quos Marcus fcripfit, tunc maxime ftudiofi erant linquæ græcæ: quod etiam probat, Epiftolam ad Romanos non latine fed græce fuiffe fcriptam, idque frequentes indiotifmi Græcanici, qui in his reperiuntur, fatis confirmant.

Notandum 8. Iftas originales, primas, & ab ipfis facris Scriptoribus profectas editiones, five authographa non amplius extare, fed haberi transfumpta, & verfiones in alias linquas.

Notandum 9. Verfiones Bibliorum fuiffe, & etiamnum effe plurimas. Ex græcis verfionibus, per quas antiquum teftamentum ex Hebraico in græcum idioma tranflatum eft, celebres funt verfiones *Origenis*, *S. Luciani*, *M. Theodotionis*, *Aquilæ*, *Symmachi*, *Jerichuntina*, *Nicopolitana* anonymæ, *Hefichy*, & LXX. *Interpretum*: univerfim proinde funt novem verfiones græcæ.

No-

Notandum 10. Verſionem LXX. Interpretum fuiſſe omnium verſionum primam, ante quam nulla alia Sacrorum codicum verſio extitit, quæ opinio probabilior eſt: licet ſint, qui id negant, ita ut aliqui Syrorum ſub Salomone ad petitionem Regis Tyry Hirami *Pentatevchum*, *Joſue*, *Judices*, aliosque libros in linquam Syram, alii cum Rabino Azaria tempore Eſdræ in Chaldaicam, & ex hac Chaldaica verſione LXX. Interpretes ſuam translationem græcam hauſiſſe dicant.

Nec contra hoc obſtat I. Quod Chaldaica linqua tempore Eſdræ vulgaris fuerit: item quod Chriſtus & Apoſtoli verſantes in terra Iſrael, dum aliquem verſum Scripturæ citarunt, indubie eum linqua vulgari ſive Chaldaica, ſive Syriaca citaverint. Non inquam obſtat: quia ex primo ſolum ſequitur, quod Judæi in diebus Eſdræ conſueverint quidem Interpretres habere, qui Scripturam hebraice conſcriptam populo linqua tunc vernacula interpretarentur, non autem quod tunc jam Scriptura in vernaculam ſeu Chaldaicam, ſeu Syriacam translata ſit; Chriſtus igitur & Apoſtoli locuti quidem ſunt linqua tunc Judæis vulgari, nempe Syriaca, vel Syro-Chaldaica, in eaque linqua textus Scripturæ citarunt: non autem ex verſione Chaldaica, quæ nulla tunc erat, ſed ex fonte Hebraico aut ex verſione LXX. quæ apud Judæos Helleniſtas, hoc eſt, tunc maxime Græcizantes communis erat.

Nec obſtat 2. Quod Plato ſacrorum codicum notitiam habuerit, multaque ex iisdem ſuis inſeruerit libris. Non inquam obſtat: nam ex hoc necdum ſequitur, quod illa ex græca quadam verſione hauſerit, ſed quod Plato ipſe ſibi, ut ſacros Codices legere, & verborum ſenſum aliquatenus percipere poſſet, ſufficientem Hebraicæ linquæ notitiam à Judæis tunc temporis teſte Philone per totam Ægyptum diſperſis comparaverit, ſicut linquam ægyptiacam, ut diſciplinas ægyptiacas capeſſeret, intra breviſſimum tempus didiciſſe fertur: cum juxta S. P. Auguſt.

guſt. lib. 2. Retract. c. 4. Plato vir acerrimi ſtudii ſicut ægyptiacas, ita & literas hebraicas per interpretem didicerit.

Nec obſtat 3. Auctoritas Clementis Alexandrini lib. 1. Stromat. aſſerentis ex Ariſtobolo Philoſopho, quod ante Demetrium Phalereum Promotorem verſionis LXX. geſta Hebræorum & inſignia facta verſa ſint. Non inquam obſtat: quia hoc de aliqua vera verſione vix intelligi poteſt, quia ſi aliqua verſio anterior extitiſſet, eam profecto Demetrius ſciviſſet, & indicaſſet, quod tamen ab eo factum non eſt: ergo dum Ariſtobolus Philoſophus ait, ea, quæ Judæorum geſta & inſignia ſpectant, in græcum fuiſſe converſa, non loquitur de verſione ſtricta & in rigore ſumpta, qualis eſt ea, quæ verba aut ſenſum in aliam linquam transfert, ſed de verſione late ſumpta, & minus proprie tali, in quantum ſcilicet ea, quæ Hebræi in ſuis codicibus habent, etiam â græcis Hiſtoricis enarrata fuerant, & ex eorum libris decerpta ſuis hiſtoriis inſeruerint.

Notandum 11. Suaſu Demetrii Phalerei, quem Philadelphus Ptolomæus Ægypti Rex Regiæ Bibliothecæ præfecerat, hanc verſionem procuratam eſſe. Nam Ariſtæas Philadelphi Conſiliarius hujus verſionis hiſtoriam deſcribit: inter alia, quod Demetrius Phalereus hos viros ſeptuaginta Hebræos â ſummo Sacerdote Eleazaro conſilio ſeniorum ſenes ex ſingulis tribubus ſapientia & doctrina præſtantes ſubmiſſos duxerit in inſulam Pharon per pontem ſeptem ſtadiorum: ibique opus inceperunt, & ſpatio 70 ſive 72. dierum verſionem confecerunt. Unde quod ſinguli ſingulis cellulis, vel bini & bini ſingulis cellulis furint incluſi ad hanc verſionem perficiendam, S. Hieronymus lib. 2. contra Ruffinum inter fabulas rejicit.

Notandum 12. Ex verſionibus Latinis præ omnibus eminere illam, quæ communiter appellatur *Vulgata*, *Vetus*, *Communis*, utpote cujus uſus erat frequentiſſimus, quamque S. P. Auguſtinus *Italam* vocat. Hæc verſio, ſeu editio vulgata quo-

ad vetus teſtamentum exceptis libris *Sapientiæ*, *Eccleſiaſtici*, *Pſalmorum*, *Baruch*, &c. tribuitur S. Hieronymo: novi autem teſtamenti verſio non eſt D. Hieronymi, ſed ignoti cujusdam antiquioris Auctoris, attamen à S. Hieronymo emendata. Alias verſiones latinas in multis à *vulgata* diſſentientes cudere auſi ſunt Recentiores Sectarii, ut *Münſterus*, *Oecolampadius*, *Beza* & alii. *Leo Juda* factus *Zwinglianus* inchoavit: *Bibliander* vero adjuvantibus *Pelicano*, & *Cholino* poſtea anno 1544. complevit Biblia, quæ vocantur *Tigurina*, quia *Tiguri* edita.

Notandum 13. Alias verſiones vocari *Vulgares*, per quas nimirum Biblia verſa ſunt in aliquam linquam vulgarem. *Vulgares* autem linquæ cenſentur omnes, quæ non ſunt Hebraica, Græca, vel Latina, utpote à vulgo uſitatæ, quales ſunt Germanica, Gallica, Italica, Hiſpanica, Boëmica, Carniolica &c. & in has linquas vulgares ſeu vernaculas S. Scripturam varii traduxerunt. Lutherus & Tigurini Biblia Germanica, Genevenſes Gallica, Londinenſes Anglica effecere, ſed ſicut temerario auſu, ita infelici eventu: nam ipſimet ſuas mutuo carpunt verſiones, easque errorum inſimulant.

Notandum 14. Dum in Concluſione noſtra dicimus, *Vulgatam noſtram Catholicam eſſe Authenticam*: per ly *authenticum* ſignificare, nihil in hac noſtra vulgata contineri, quod fidei repugnet, aut bonis moribus, vel ex quo pernitioſus aliquis error naſci poſſit, ſitque infallibilis regula fidei, nullo prætextu rejicibilis: quamvis leviores etiam interpretis errores contineat, qui tamen nec fidei, nec bonis moribus præjudicent; quos tamen leviores interpretis errores propria authoritate corrigere, vel immutare non licet, *niſi aliquid occurrat, quod typographicæ incuriæ manifeſte adſcribendum ſit*, ut dicit Clemens VIII. in Bulla Bibliis præfixa.

His

His jam prænotatis.

Probatur Conclusio I. Veram Christi Ecclesiam, quam Deus utpote volens conservare veram & divinam fidem in mundo, necessario debet reddere infallibilem in declarandis fidei articulis, & vel maxime in proponenda Scriptura sacra, ita definitum est in Concilio Trident. sess. 4. *Sacrosancta Synodus - - - statuit, & declarat, ut hæc ipsa vetus & vulgata editio, quæ longo tot sæculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, & expositionibus pro authentica habeatur, & ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat, vel præsumat,* Ergo.

Confirmatur: Illa Biblia sunt authentica in omnibus ad fidem & mores spectantibus, quibus Ecclesia semper usa fuit in confirmandis dogmatibus, & hæresibus refutandis: nam divinæ providentiæ & promissionibus Ecclesiæ factis consentaneum certe non est, ut eam per mille & amplius annos permisisset errare in receptione authentica Scripturæ: Columnam siquidem & firmamentum veritatis eam esse voluit, contra quam portæ inferi non prævalebunt; atqui Ecclesia à mille & amplius annis usa est Bibliis latinis vulgatæ editionis, ut patet tum ex Conciliis, tum Patribus, qui vel ad propaganda fidei dogmata, vel ad refutandas hæreses, ex illa editione desumpserunt testimonia: ergo Biblia latina vulgatæ editionis sunt authentica.

Probatur Conclusio 2. Jurisconsulti, sumpto ex Græcis vocabulo, ea Scripta dicunt authentica, quæ licet leves aliquos habeant errores, fidem tamen in judiciis faciunt, ac publicam & certam habent authoritatem; atqui vulgata nostra admissis etiam levibus erroribus in judicio fidem facit, ac certam & publicam authoritatem habet ita, ut illam nullus rejicere quovis prætextu audeat, & præsumat: ergo. maj. est certa, quis enim in judicio instrumentum aliquod ut non authenti-

cum rejiciet, quia in eo levis aliquis error habetur, & qui nihil facit ad rei substantiam? min. etiam patet tum ex Concil. Trid. cit. tum quia in omnibus Conciliis ut dictum, vulgata nostra etiam ante Clementis VIII. correctionem fidem fecit, & publicam authoritatem habuit, cum Ecclesia jam plus quam à mille annis aliam non habuerit, & toto illo tempore in Ecclesia fuerit in usu pro decidendis rebus fidei, & morum: si enim aliam habuisset, jam illam in Concilio Tridentino pro authentica proposuisset. Ergo.

OBJECTIONES.

I. PLura sunt in vulgata Catholica, quæ denotant illam non esse authenticam: ergo. ant. prob. Sixtus V. anno 1589. vetustissimis & castigatissimis collectis manuscriptis Biblia jussit excudi, & multis in eis repertis mendis rursum Clemens VIII. ea jussit emendari, & imprimi, in quibus tamen adhuc 1. multi errores: 2. antilogiæ: & 3. male latine expressa inveniuntur; ergo.

II. Illa versio non est authentica, quæ non est in omnibus conformis suo Originali: atqui vulgata Catholica non est in omnibus conformis suo Originali: ergo. min. prob. In multis non convenit cum fontibus Hebræis & Græcis: ergo.

III. Ut Copia aliqua sit authentica debet in omnibus cum suo originali convenire: ergo si etiam in levioribus vulgata Catholica non conveniat cum suo Originali, non est authentica.

IV. In Scriptura S. authentica prout à Spiritu S. dictata non potest admitti error vel levissimus: ergo etiam ut translatio ejus sit authentica, non potest in ea admitti levis error.

V. Translatio illa declaratur authentica, ut sit infallibilis fidei regula: atqui ut sit infallibilis fidei regula, non potest in

ea

ea esse error etiam levis: ergo. min. prob. fidei non potest subesse falsum: ergo si vulgata Catholica est infallibilis fidei regula: in ea error etiam levis esse nequit. Unde S. P. August. epist. 8. ad Hieron. c. 3. ait: *Admisso enim semel in tantum authoritatis fastigium officiosò aliquo mendacio, vel etiam errore, nulla illorum librorum particula remanebit, quæ non, ut cuique videbitur, vel ad mores difficilis, vel ad fidem incredibilis, eadem pernitiosissima regula ad mentientis, vel errantis Authoris consilium, officiumque referatur.* Et epist. 9. *Si enim ad Scripturas S. admissa fuerint officiosa mendacia, vel errores - - - quid in eis remanebit authoritatis?* Quæ verba ad vulgatam Catholicam sic applicantur: quoniam si in illa inveniretur aliquod mendacium etiam in levibus rebus, non maneret ejus authoritas firma in reliquis; nam sicut deceptus fuit in illo levi, potuit etiam decipi in alio gravi; ergo.

VI. Editio vulgata continet multos barbarismos, & solæcismos: ergo non potest dici vulgata nostra Catholica authentica.

VII. Clemens VIII. in multis locis lectionem vulgatæ à Sixto V. editam correxit: ergo ea authentica esse non potest.

VIII. Vulgata jussu Clementis VIII. correcta editio nec hodie est purgatissima, ut ipse Clemens in præfatione Bibliis præfixa fatetur: ergo.

IX. Si Concilium Tridentinum *vulgatam*, quæ hodie extat, pro authentica declaraverit, pro authentica declaravit editionem non existentem, sed futuram; quia editio tam Sixtina, quam Clementina primo emanata est post Concilium Tridentinum: ergo.

SOLUTIONES.

AD I. Dist. ant. & illi errores sunt contra fidem, & bonos mores, neg. ant. & sunt in rebus levioribus, quæ nihil ad fidem vel mores faciunt, conc. ant. ad 2. dist. ant. Et illæ anti-

antilogiæ ſunt veræ & reales, neg. ant. ſunt tantum apparentes, conc. ant. ad 3. Interpretem vulgatæ magis ad myſteria in Scripturis contenta, & vitandam obſcuritatem attendiſſe, quam ad orationis venuſtatem: unde S. P. Auguſt. in Pſal. 148. ait: *melius eſſe, ut nos reprehendant Grammatici, quam non intelligant populi.* Siquidem Scriptura potius res, quam verba ſpectat.

Ad II. Conc. maj. neg. min. ad prob. diſt. ant. in multis non convenit cum fontibus Hebræis & Græcis integris & incorruptis, neg. ant. corruptis, conc. ant. & neg. conſeq.

Ad III. Diſt. ant. ut copia ſit authentica, debet in omnibus cum ſuo originali convenire, quando originale & copia ſunt in eadem linqua, tranſeat ant. quando copia eſt translata in aliam linquam ſubdiſt. ant. omnibus etiam minimis debet cum ſuo originali convenire, neg. ant. in ſubſtantialibus, & quantum hic & nunc patitur natura verſionis, conc. ant. neg. conſeq. Quandoque enim non eſt poſſibilis verſio de verbo ad verbum: & ipſi correctores fatentur ſe non omnia correxiſſe. Dixi *tranſeat ant.* quia concluſio noſtra dicit tantum vulgatam eſſe authenticam in hoc ſenſu, quod in ea nihil ſit, quod fidei repugnat & bonis moribus, & ex quibus pernitioſus error ſequi poſſit idque ſciente, & non contradicente Eccleſia: non autem in hoc ſenſu, quod nullos leviores interpretis errores contineat.

Dices: Ergo vulgata Catholicorum nihil amplius ex decreto Tridentini habet, quam opera S. Thomæ: nam & hæc ab Eccleſia ſunt approbata ut nullum errorem in ſe continentia: cum dicat Clemens VIII. *ſine ullo errore conſcripſit:* ergo. ℟. Quod licet Summi Pontifices variis prærogativis doctrinam S. Thomæ adornaverint, illa tamen Innocentius VI. hoc modo limitat: *Hujus doctrina præ cæteris, excepta Canonica, habet* &c. Unde quandoque in diſputationibus audimus, tranſeat S. Thomas, quod nullus de vulgata noſtra etiam minimis dicet: ex quo clare patet, quod vulgatæ noſtræ plus authoritatis ex decreto

creto

creto Concilii Tridentini accesserit, quam doctrinæ S. Thomæ: cum illa maneat certa regula fidei, quamvis in ea sint leves errores, non vero doctrina S. Thomæ.

Ad IV. Conc. ant. neg. conseq. In Scriptura enim, prout est à Spiritu S. dictata, non potest admitti vel minimus error, quia ille reduceretur in Spiritum S. tanquam illius primarium Authorem; in translatione autem, licet in ea sit error, & Ecclesia illam approbet ut authenticam, error ille non reducitur in Ecclesiam, nec in Spiritum S. à quo dirigitur: unde errorum, qui sunt, Ecclesia non est causa, sed permissio, quia quæ mutanda videbantur, consulto immutata relicta sunt.

Ad V. Nostram vulgatam esse infallibilem fidei regulam in illis, in quibus relictus est levis error, neg. in illis quæ pertinent ad fidem & mores, conc. sic v. g. quid alteratur fidei regula, quam ex verbo Dei scripto habemus, sive in loco, ubi Jonas sedit, legatur cum nostra vulgata fuisse hederam, sive ut ex Hebræo deduci potest, cucurbitam. Ad rationem ex S. P. August. deductam ℞. Ecclesiam huic inconvenienti obviasse; licet enim in vulgata nostra, quæ mutanda videbantur, consulto immutata reliquerit, tamen districte Concilium prohibet: *ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat, vel præsumat.* Unde quamvis Ecclesia decursu temporis errores corrigere possit, nullus tamen particularis potest vulgatam nostram rejicere, & sic authoritas ejus manet firma.

Ad VI. ℞. Uti ad I. objectionis ant. probam. 3.

Ad VII. Dist. ant. correxit quoad verba quædam, & majorem textus expressionem, conc. ant. correxit quoad sensum, neg. ant. & conseq. Nam Lectio Clementina à Sixtina non differt formaliter & quoad sensum à Spiritu S. principaliter intentum, sed solum materialiter, & quoad verba quædam.

Ad VIII. Dist. ant. non est purgatissima à mendis accidentalibus, conc. ant. non est purgatissima sic, ut errorem contineat substantialem, neg. ant. & conseq.

Ad

Ad IX. Neg. ſeq. Nam Tridentinum pro authentica declaravit illam editionem, quæ jam olim *vetus*, ac *vulgata* dicebatur, & quæ longo tot ſæculorum uſu in ipſa Eccleſia, adeoque uſu tali, qui juxta Eccleſiæ ſenſum mediante vivo fidei verbo per traditiones Apoſtolicas ſit propagatus, probata eſt: ergo pro authentica declaravit editionem jam exiſtentem, quæ poſtea de novo eſt edita à Sixto V. Clemente VIII. nihil in ea quoad ſubſtantiam mutantibus, ſed errores accidentales præli, vel deſcribentium vitium corrigentibus.

Quæſtiunculæ ad hanc materiam pertinentes.

Quæres I. An textus Originarius Hebraicus (ut antiquis temporibus erat) quoad ſubſtantiam, ſeu in illis, quæ ad fidem & mores ſpectant, per Judæos de induſtria corruptus ſit? ℟. negative. Ratio eſt: quia Joſephus lib. 1. Contra Appionem: & Philo apud Euſebium l. 8. c. 6. & 8. teſtantur, tantum fuiſſe Judæorum zelum pro lege & libris ſacris, ut mortem potius, omniaque tormenta ſubirent, quam vel unum legis apicem mutare, aut adulterare vellent; quin & tanta ſuperſtitione colunt ſacros Codices, ut in libro legis, ſi vel unum erratum deprehendant, pro illegitimo habeant, & abjiciant, nec ullos libros non correctos ſervari velint ultra 30. dies: ſi vero ultra quatuor errores habeat, ſepeliendos velint cum probis hominibus; ergo veroſimile non eſt, quod Judæi corruperint textum Hebraicum originarium, ut antiquis temporibus erat. Ratio eſt 2. quia ſi corrupiſſent, tunc vel ante Chriſti tempora, vel poſt corrupiſſent? atqui neutrum dici poteſt: non ante, quia Chriſtus, qui alia Judæis exprobrabat crimina, hujus eos nunquam redarguit, quin potius Joan. c. 5. v. 39. ad ſcrutandas Scripturas Auditores ſuos remiſit. Non etiam poſt Chriſti tempora: quia in Codicibus Hebræis nunc extant teſtimonia, quæ in iis à Chri-

ſto

ſto & Apoſtolis citata ſunt: ridiculum autem eſt dicere, ea ſic à Chriſto & Apoſtolis citata eſſe, ut ea poſtea falſaturi erant Judæi: ergo. Inde eſt, quod jam olim S. Hieron. c. 6. Commentarii in Iſaiam hanc corruptionem incredibilem ſenſerit dicens: *Si aliquis dixerit hebræos libros poſtea à Judæis eſſe falſatos, audiat Originem, quid in octavo volumine explanationum Iſaiæ huic reſponderit quæſtiunculæ, quod nunquam Dominus & Apoſtoli, qui cætera crimina arguunt in ſcribis, & Phariſæis, de hoc crimine, quod erat maximum, reticuiſſent, ſin autem dixerint, poſt adventum Domini Salvatoris, & prædicationem Apoſtolorum libros Hebræos eſſe falſatos: cachinnum tenere non potero, ut Salvator, & Evangeliſtæ, & Apoſtoli ita teſtimonia protulerint, ut Judæi poſtea falſaturi erant.* Etiam S. P. Auguſt. L. 15. de Civit. c. 13. ait: *Abſit, ut prudens quiſpiam - - - Judæos cujuslibet perverſitatis atque malitiæ tantum potuiſſe credat in codicibus tam multis & tam longe lateque diſperſis.*

Dixi: Textus Hebraicus Originarius, *ut antiquis temporibus erat*, quoad ſubſtantiam corruptus non eſt de induſtria; ad inſinuandum, quod fors hic textus hodiernis temporibus quoad ſubſtantiam etiam corrumpi ex malitia, vel induſtria potuerit: nam poſtquam puncta vocalia ſenſum determinantia ab Hebræis Tiberienſibus poſt tempora Hieronymi addita ſunt, jam adeo certum non eſt, quod ſignificationes ad intentum Spiritus S. & legitimæ ſint, cum unicum ſæpe punctum perperam appoſitum ſufficiat, ut integrum ſenſum ad ſiniſtrum intellectum detorqueat. Accedit diverſarum lectionum numerus, ex quibus quandoque in textu Hebræo aliqua lectio ſenſui in verſione vulgata expreſſo videtur contraria: Sic c. 9. Iſaiæ ſenſum v. 6. non quidem verba mutando, ſed male interpretando detorquere conati ſunt: ubi enim legendum eſt de Meſſia & *vocabitur*, ſeu & *vocabunt* eum Deus fortis &c. referendo hæc verba ad Meſſiam; Hebræi moderni legunt: *& vocabit Eum Deus*

Bbb *fortis,*

fortis, referendo verba ad Deum Patrem, verbum enim Hebraicum ſecundum variam punctationem recipere poteſt tum activam tum paſſivam ſignificationem, & verti tum *vocabit*, tum *vocabitur*. Paſſive legunt LXX. Chaldæus, Symmachus, & Aquila: at Maſorethæ punctarunt active, & hanc potius lectionem ſecuti ſunt: quod indubie ab illis intuitu obſcurandæ gloriæ Chriſti factum cenſetur. Jam contra quæres

Dices I. S. Juſtinus M. Dialogo cum Triphone accuſat Judæos, quod S. Scripturam depravaverint. Idem ſcelus exprobrant Judæis S. Irenæus l. 3. c. 24. & l. 4. c. 25. Item Tertullianus l. de habitu muliebri. Ergo textus originarius non eſt quoad ſubſtantiam incorruptus. ℞. Quod S. Juſtinus non arguat Judæos ob depravationem textus Hebraici, ſed quod verſionem LXX. depravaverint, dum enim hi in cap. 7. Iſaiæ hanc vocem Hebraicam *Almah* græce verterunt *Parthenos*, id eſt, *virgo*: *ecce virgo concipiet*: illi græce verterunt *Neanis*, hoc eſt, puella, ſeu *Adoleſcentula concipiet*, ut in verſionibus Aquilæ, Theodotionis, & Symmachi interpretum Judaizantium legebatur. Dum idem Juſtinus Judæos accuſat, quod ex Jeremiæ c. 11. v. 19. illa verba reſecuerint: *& ego quaſi Agnus manſuetus, qui portatur ad victimam*: ipſemet ſubjungit hoc factum tantum fuiſſe in quibusdam exemplaribus, non in omnibus, unde etiam verba hæc in textu Hebræo antiquo reperiuntur. S. Irenæus loc. cit. loquitur expreſſe contra Theodotionem & Aquilam, qui prave interpretantes locum Iſaiæ c. 7. dum vertere debuiſſent, *Ecce virgo concipiet*, verterunt, *Ecce adoleſcentula in ventre habebit*: quare Judæorum falſam lectionem, non vero Scripturarum corruptionem ab eis factam reprehendit. Dum idem S. Irenæus lib. 4. c. 25. de Judæis conqueritur, quod illi in lege quædam auferant, quædam addant, quædam autem ut volunt, interpretentur: intelligi debet de lege Phariſæorum, quam hi contra legem Dei ſtatuerunt, non legem ſcriptam cor-

rum-

rumpentes, sed legi scriptæ contrariam legem suarum traditionum opponentes. Tertullianus pariter intelligi debet, non quod Judæos de depravatione Scripturæ redarguat, sed quod hi vel de industria vel inscitia variantes codices, variantes & discordes interpretationes & lectiones habuerint, ex iisque relictis illis, quæ Religioni Christianæ magis favebant, alteras secuti sint. Vel ad hos Patres dicatur, quod crimen depravationis Scripturæ tantum quibusdam Judæis in aliqua orbis parte degentibus objiciant, nunquam tamen affirment, universim toto orbe Codices sacros antiquos ab illis vitiatos esse: de quo tamen responsio nostra ad Quæres est intelligenda.

Dices 2. Judæi, ne cogerentur fateri Christum Jesum esse Messiam, Chronologiam textus Hebræi de industria falsarunt, & annos bis mille detraxerunt; ergo. ℞. neg. ant. quia prisci Ecclesiæ Patres Origenes, Eusebius, Hieronymus, S. P. Augustinus & alii, qui textus hebræi dissonantias à græcorum seu LXX. virorum versione in rebus Chronologicis diligenter inspexerunt, de hac depravatione Judæis objicienda nunquam cogitarunt. Quare Graveson hanc textus hebræi Chronologiæ depravationem purum commentum ab Isaaco Vossio & Peczronio excogitatum appellat, ut Judæis invidiam conflarent, & versioni LXX. interpretum majorem conciliarent authoritatem.

Dices 3. Sunt aliqua, quæ habentur in textu nostro, & non reperiuntur in Hebræo: Sic 1. in Psalm. 13. tres versiculos, nempe *Sepulchrum patens est guttur eorum*, & duos sequentes nos habemus, quos Hebraicus textus non habet. 2. aliqua sunt adeo imminuta, ut diversum omnino sensum faciant ab eo, quem habent apud Patres antiquos, sic S. Justinus testatur, quod Psalm. 95. v. 10. olim lectum fuerit: *Dicite in nationibus, quia Dominus regnavit à ligno*: postea autem in odium Christi hæc particula *à ligno* detracta sit; ergo. ℞. ad 1. hos tres versiculos in textu Hebræo probabilius nunquam fuisse,

cum neque in Chaldæo, neque in Syro, neque in versione S. Hieronymi ex hebræo textu concinnata habeantur: unde sequitur, quod Ecclesia eos retinuerit, quia versio antiqua latina, quæ antiquior est lectione S. Hieronymi, & inter manuscripta Vaticana asservatur, eosdem versiculos exhibet. Et dum S. Paulus in epist. ad Rom. verba eorundem versiculorum adducit, non adducit ex corpore Psalmi 13. sed ex aliis Psalmis, & ex Isaia, ubi eadem verba reperiuntur, vel ex quodam exemplari versionis græcæ LXX. Interpretum, quæ tempore Apostolorum maximæ erat in Ecclesia authoritatis. Ad 2. ℟. quod hæc particula *à ligno* nunquam in exemplaribus Hebraicis fuisse videatur. Cum non reperiatur in illo psalterio, quod S. Hieronymus ex hebræo vertit: licet habeatur in psalterio, quod Hieron. ex LXX. emendavit. Probabilius ergo hæc particula olim illi psalmo secundum versionem 70. quæ in primitiva Ecclesia usitata erat, addita fuit ab aliquibus viris piis, ut explicarent Regnum Christi exordium à ligno, id est, à Cruce habuisse. Cæterum solus Justinus est, qui conqueritur, quod Judæi particulam hanc ex invidia expunxerint, deceptus forte ex eo, quod particulam hanc *à ligno* in Codice suo Græco invenerit, in Codicibus vero hebræis deesse repererit.

Dices 4. Judæi in odium Christi videntur plura loca S. Scripturæ corrupisse: ergo. ant. prob. 1. Deut. c. 21. v. 23. legitur: *maledictus à Deo est omnis, qui pendet in ligno:* hoc additum *à Deo* in textu puro non videtur adfuisse, cum Paulus ad Galat. c. 3. referens hæc verba dicat: *maledictus omnis qui pendet in ligno*: omittat ly *à Deo;* ergo.

2. Gen. c. 8. legitur in textu Hebræo: *Corvus egrediebatur, & revertebatur*: in vulgata vero legitur, *egrediebatur, & non vertebatur*: ergo.

3. In textu hebræo Psalm. 21. v. 17. legitur: *Caari* id est, *sicut Leo:* in vulgata autem legitur *Caru*, id est, *foderunt manus meas:*

meas: ergo Hebræi literam unam interposuerunt, & *Vau* in *Jod* commutarunt; ergo.

4. Gen. c. 3. v. 15. nostra vulgata habet, *Ipsa conteret caput tuum:* in textu hebræo habetur, *Hu jeschuphecha rosch veatta teschuphennu bakebh*, id est, *ipsum* (scilicet semen) *conteret tibi caput*, *& tu insidiaberis ipsi calcaneum:* ergo.

5. Gen. c. 49. v. 10. ubi pro *Schaluah*, id est, *Missus* vel *Mittendus*, ut videtur legisse Hieronymus, vel pro *Schello*, uti videntur legisse 70. optimo utrique sensu, pro quo & Chaldæus Paraphrastes habet: *Messias cujus est regnum:* Judæi posuerunt *Schilo*, nullo sensu, idque ut ex eo loco revinci non possent, jam *Messiam* advenisse. Ergo.

6. Psalm. 18. v. 5. pro *sonus eorum:* quod habent 70. & Hieron. qui sine dubio in hebræo legerunt *Kolam*, quam lectionem, versionemque probat Apostolus ad Rom. c. 10. v. 18. Judæi sublata una litera substituerunt *Kauuam*, id est, *linea*, vel *regula eorum*, nullo fere sensu, ne ex hoc loco possent convinci, ex Evangelii per totum orbem prædicatione, Messiæ adventum, ejusque regnum advenisse.

7. Isaiæ c. 9. v. 6. habetur: *& vocabitur nomen ejus admirabilis:* ubi tam 70. quam Hieron. habent, *vocabitur*: ut plane videantur in Hebræo legisse *jikkare*, vocabitur in passiva conjugatione; hoc tamen tempore legitur: *jikra*, *vocabit*: quod videntur Judæi substituisse alienis additis punctis: quia ex hoc loco manifeste probatur Divinitas Messiæ; legendo autem *vocabit*, omnes illos dignitatis titulos, quos Messiæ à Propheta datos agnoscimus, ipsi referunt ad Deum tanquam suppositum verbi *vocabit* præter ultimum *Princeps pacis:* hoc modo: *& vocabit nomen ejus admirabilis*, *Consiliarius*, *Deus*, *fortis*, *Pater futuri sæculi*, *Principem pacis:* & vere Calvinus in hoc loco agnoscit hebraici textus depravationem: ergo.

8. Jerem. cap. 23. v. 6. In textu Hebræo nunc habetur, *jikreo, vocabit eum*: ubi tamen Hieron. legit manifeste *jikreuhus, vocabunt eum Dominus justus noster.* quomodo & sese legere in Hebræo manifeste indicat Hieron. in Comment. in Isaiam; & magis videtur hoc loco subolere Judæorum depravatio, ut verosimile sit, eos vel detraxisse affixum pronomen *hu*, & ex *jikreu vocabunt*, fecisse *jikreo vocabit eum*: vel pro *jikra vocabit* passive acceptum ut in Isaia, addito pronomine affixo fecisse *jikreo vocabit eum*, cum quo pronomine necessario active sumi debet; ergo.

9. Isaiæ c. 53. v. 8. habetur: *propter Scelus populi mei percussi eum*: ubi in Hebræo legitur: *plega eis*, & pro *lo*, hoc est, *ei*, videntur substituisse *lamo*; id est, *eis*, ut non ad Christum, sed ad populum hæc percussio referatur; ergo.

10. Zachar. c. 9. v. 9. habetur: *Ecce Rex tuus veniet tibi justus, & Salvator:* ubi & 70. habent: *Salvans ipse*, sic & Chaldæus Paraphrastes active *Pharek*; cum tamen hebræa habeant *Noschah*, id est, *salvatus*, quod videntur substituisse pro *Moschah*, *Salvans*; ergo.

11. Num. c. ult. v. 7. & 8. præcipitur: *omnes viri ducent uxores de tribu & cognatione sua, & cunctæ feminæ de eadem tribu maritos accipient:* quod tamen præceptum est fidei Scripturæ manifeste contrarium, siquidem Moyses primus illud neglexit accepta uxore Sephora filia Sacerdotis Madian, Exod. c. 2. Et Aaron duxit uxorem Elisabeth de tribu Juda Exod. c. 6. David duxit Michol filiam Saulis de tribu Benjamin. Ergo.

12. Hebræ c. 6. v. 4. legitur: *Impossibile est enim eos, qui semel sunt illuminati - - - & prolapsi sunt, rursus renovari ad pænitentiam;* cui tamen repugnat hodierna Ecclesiæ consuetudo. Item Hebr. c. 9. v. 4. habetur, in Arca fuisse manna, virgam Aaron, & tabulas lapideas: econtra 3. Reg. c. 8. v. 9. dicitur: *In arca autem non erat aliud, nisi duæ tabulæ lapideæ*: ergo.

℞. Neg-

℞. Neg. ant. ad 1. prob. neg. ant. quia ly *à Deo* legitur cit. loc. tam in versione 70. quam in vulgata, quod sufficiens signum est ly *à Deo* non fuisse additum à Judæis. Nec mirum, quod Paulus referens hoc deuteronomii dictum omittat ly *à Deo*, quia loquitur de Christo, qui non propter peccatum suum pependit in cruce: dum interim in Deuteron. dicitur maledictus à Deo, qui propter peccatum suum in ligno pendet.

Ad 2. Utramque lectionem veram esse, & quod Corvus revertebatur volitando circa & supra Arcam, & quod non revertebatur, scilicet intrando in Arcam.

Ad 3. Judæos de industria sacrum textum non corrupisse: fecisse tamen hoc, ut, si duplex potuit esse lectio, quarum una magis altera minus favens erat Christianis, illam minus faventem ex odio Christianorum amplexi sint. Et sic forte contigit circa Psal. cit. loc. *foderunt manus meas*: Hebraice enim illic duplex est lectio, *Caru*, id est, *foderunt*: & *Caari*, id est, *sicut Leo*; ubi Judæi priore lectione relicta, quæ magis favebat Christianis, posteriorem forte secuti sunt, quæ propter obscuritatem Christianis minus favet.

Ad 4. Dico SS. Ambrosium, Augustinum, Chrysostomum & plerosque legisse *ipsa* in fœminino: neque satis constare, quomodo legendum sit in Hebraico. Utut autem legi debeat, nullus est error, & redit in idem: cum enim Deus ibi mulierem cum semine suo opponat serpenti cum suo semine, verissime dici potest, quod tam ipsa mulier, quam ipsum semen illius caput serpentis conteret.

Dices: verbum *conteret* in Hebræo est masculinum *Jeschuph*, non fœmininum, & totus Hebræus contextus genere masculino exprimitur: ergo non bene legitur *ipsa*. ℞. Hebræum *hu* licet idem sit ac *ipse*, sæpe ponitur pro *ipsa*, Hebraice *hi*, ut ex ipso objecto capite Genesis v. 12. constat: *Mulier, quam dedisti mihi, ipsa* (Hebraice *hu*) *dedit mihi.* Item v. 20. Item Gen. c. 17.

v. 14.

v. 14. Item Gen. c. 24. v. 4. Item Gen. c. 38. v. 21. & 23. Præterea licet *conteret* in Hebræo ponatur genere maſculino, circumſtantiæ (nempe quod de muliere egerat) ſatis determinant verbum maſculinum ad ſignificationem fœmininam: eſtque uſus Scripturæ in textu Hebræo, quod ſæpe fœminæ verbum tribuat maſculinum: præſertim ubi de fœmina narratur aliquis actus heroicus, qualis hic eſt, quod ipſa conteret caput ſerpentis; ſicut ubi vulgata Eſth. c. 1. v. 20. dicit: *Uxores - - - deferant maritis ſuis honorem:* in Hebræo habetur *Ittenu* in maſculino, pro fœminino *titenna*, hoc eſt, *dabunt.* Idem habetur Eccleſ. c. 12. v. 4.

Ad 5. Si ly *Schilo* deducatur à radice *Schala*, quod ſignificat *pacificum eſſe*, habebitur periphraſis *Meſſiæ* ſatis commoda, ipſe enim plurimis in locis prædicitur futurus *pacificus*, maxime Iſa. c. 9. v. 6. Hanc derivationem ſecutus eſt Oleaſter, quaſi per matarcheſin *Schilò* poſitum ſit per *Scallach.* Retenta eadem radice, ſi dicatur *chirick* magnum pro *kamets* ſubſtitui, ly *Schilò* erit infinitivum verbi: *Schala:* variato puncto, quæ punctorum variatio & unius pro altero ſubſtitutio ſatis Hebræis eſt familiaris, eritque ſenſus: *Pax*, cum infinitivus ſæpe loco ſubſtantivi accipiatur. R. David Kimhi, Aben-Ezra. R. Beihai & alij vocem *Schilò* vertunt *beno*, id eſt, *filius ejus*, ut ſit affixum, *Scil* vero ſignificat *filium*: nam quia *Schala* Hebræis eſt eſſe *tranquillum*, hinc puerperarum ſecunda, ſeu pellicula, in qua proles involuta eſt, *Schilja* dicitur, quia in ea fœtus tranquille quieſcit. Extat hujus vocis uſus Deuteron. c. 28. v. 57. Quod autem ponatur *he* pro cholem, non obſtat: eſt enim uſitata converſio, qua literæ quieſcentes inter ſe commutantur. Porro ſpeciatim *Meſſias* potius dicitur *Schilò* quam beno, quia *Schilò* dicitur filius reſpectu matris ſuæ, & reſpectu ſecundæ, in qua quievit: & ita Meſſias homo filius fuit reſpectu matris ſuæ tantum. Adde etiam, Judæos ex hoc loco, inter varia Meſſiæ nomina,

hoc

hoc nomen *Shilô* posuisse; unde in Sanhedrin c. 11. fol. 98. legimus: Rabbi Johannam, dixit, quod est nomen Messiæ? qui de schola Rabbi scela responderunt: (Schilô) juxta illud, donec veniat *Scilo*. Similiter pro *Scilo* hic Messiam intellexerunt omnes tres Paraphraste Chaldæi, Onkelus, Jonathan, & Jerosolymitanus, qui omnes habent pro *Scilo*, *Rex Messias*. Et Judæi antiquiores in Breschieth Rabba scribunt: *Schilô hu Melech Maschiah*, id est, *scilo ipse est Rex Messias*. Quod attinet nostrum interpretem, dico, ipsum ly *Schilô* transtulisse paraphrastice per ly *Mittendus*, sive *Messias*, idque ideo, quia sciebat ex communi judæorum traditione ly *Schilô* nomen esse Messiæ: & sane melius & intelligibilius exponere non potuit.

Ad 6. 70. legisse *kaunam*, id est, *lineam* & *normam*, sicut nunc in Hebræo legimus, & vertendo attendisse potius ad sensum, quam ad verba; nam ipsa cælorum linea, norma, structura, ædificatio, & compositio est *vox eorum*, qua Dei sapientiam, potentiam, & alia attributa enarrant. Si autem Psalmus ille literaliter non de notitia Dei, quæ tum ex cœli contemplatione, tum ex lege divina habetur, sed de Christo & Apostolis legem Dei per totum orbem annuntiantibus intelligatur: etiam hæc optime congruere Apostolis: nam sono suo velut architectonico instrumento, & norma orbem percurrendo, Ecclesiam Dei docuerunt, & ædificaverunt. Fieri quoque potuit, ut ad sensum respiciendo, etsi legerint 70. *kaffam*, maluerint reddere *sonum*.

Ad 7. Errores, qui ex additione punctorum acciderunt, nihil omnino veritati officere: puncta enim extrinsecus addita sunt, nec textum in se antiquum mutant: ergo tota corruptio se tenet ex parte punctorum extrinsecorum. Etiam *kara* non semel legitur in Scriptura in activa quidem conjugatione, habens tamen significationem passivam, cujus generis plura loca

annotantur à Forſtero in ſuo Dictionario. Etiam Pagninus illud *jikra* paſſive vertit, *vocabitur*, uti & Tigurini.

Ad 8. Ly *jikreo* referri ad Judam & Iſrael, de quibus præceſſit ſermo. Nec obſtat, ſi ad utrumque referatur, debere eſſe in plurali; ſciendum namque eſt, frequenter in Hebræo nomen numeri ſingularis reperiri cum verbo plurali, & econtra; ſic Gen. c. 1. v. 14. *Febi mecroth*, *ſit luminaria.* Secundum Grammaticam Hebræam id fieri ſolet, quando nomen pluralis numeri diſtributive exponi poteſt, ut Gen. c. 27. v. 29. *Benedicentes te benedictus ſit*, id eſt, *unusquisque benedicens.* Ita & hoc loco. Item cenſeo Catholice *legi* poſſe cum Judæis: *vocabit eum*: prout tunc legerunt 70. juxta de la Haye, non tamen cum iis Catholice *exponi*, cum referant ly *vocabit* non ad Judam & Iſraelem, ſed ad ly *Dominus.* Attenta proinde linquæ latinæ proprietate, in qua hujusmodi verborum non ita eſt uſus, bene tranſtulit S. Hieronymus. Præterea forte legi deberet iisdem literis *jikru*, *vocabunt*, & tunc ſequitur explicationis gratia à D. Hieron. additum fuiſſe pronomen *eum*: & ita tota corruptio erit à punctis textui extrinſecis.

Ad 9. Ly *Lamo*, id eſt, *eis*, pro *lo*, id eſt, *eum* ſæpius poni. Et ita ponitur in Job, præſertim c. 27. v. 23. In Iſa. c. 44. v. 15. Ita & in hoc loco.

Ad 10. Licet *Noſchah* ſit participium conjugationis *Niphal*, radix enim eſt *ſalvavit*, ſciendum tamen, conjugationem *Niphal* quandoque ſumi tranſitive, ut Gramatica Hebræa notat. Deinde Hebræi quandoque paſſivo utuntur pro activo, ut Prov. c. 29. v. 9. *Vir ſapiens, ſi cum ſtulto contenderit:* in Hebræo eſt: *vir ſapiens judicatur cum viro ſtulto.* Sic ergo hic *ſalvatus* poſitum eſt pro *ſalvans* aut Salvator. Exempla, ubi *Niphal* ſumitur tranſitive, ſunt Prov. c. 6. v. 5. Pſalm. 102. v. 14. Iſa. c. 26. v. 3. Carnel. à Lap. vult, *Noſchah* hic non eſſe participium ſed nomen, idem active ſignificans, quod *Jeſus*, id eſt, Salvator.

Ad

Ad 11. Præceptum illud esse intelligendum de solis illis fœminis, quæ ex defectu masculorum paternam hæreditatem sortiuntur. Et hinc S. Th. 1. 2. q. 105. a 2. ad 2. concedit filiabus Aaron liberum matrimonium: in quibus ratio hujus legis deerat, scilicet, ne hæreditas devolvatur ad alienam tribum, sed ut hæreditas permaneat in familiis, ut ibi additur.

Ad 12. Apostolum vel loqui de renovatione per baptismum utpote initerabilem, non autem de renovatione per pœnitentiam, ad quam passim revocat lapsos. Vel non loqui de impossibilitate absoluta, sed morali. Ad alterum Apostoli locum ℞. ibi præpositionem *in* accipiendam esse pro *cum* arca, & *juxta* arcam, cum revera in arca nonnisi tabulæ fuerint.

Quæres 2. An textus Hebræus sit liber à mendis? ℞. Textum Hebræum non esse immunem à mendis levioribus, quæ incuria exscribentium, vel oscitantia librariorum potuerunt irrepere: nam hoc quotidiana constat experientia, qua videmus vix aliquid exscribi aut imprimi sine levioribus saltem mendis, quod magis habet locum in Hebræo ob maximam similitudinem literarum.

Quæres 3. An textus hebræus sit authenticus? ℞. Licet textus Hebræus à Judæis de industria falsatus non sit, adhuc tamen à nobis positive pro authentico, & fidei nostræ regula habendus non est. Ratio est: quia ut aliquis textus Scripturæ sacræ positive à nobis habeatur pro authentico, & fidei nostræ regula, debet nobis de hoc universalis Ecclesiæ judicio constare; atqui hoc nobis non constat de textu Hebræo, sicut nec etiam de Græco, bene vero de textu vulgatæ latinæ editionis, de quo solo Ecclesia in Tridentino congregata Sess. 4. c. 2. pronuntiavit, ut pro authentico habeatur: ergo. Dictum est notanter in responsione: textum hebræum à nobis non esse *positive* pro authentico habendum, ad inuendum, nos minime contendere textum Hebræum vel Græcum non esse absolute & in

ſe authenticum, ſed de authenticitate, vel non authenticitate ejus cum Tridentino nos præſcindere, eo quod Eccleſia eum ut talem in Concil. Trid. non recognoverit, nec ſuo decreto ut talem fidelibus propoſuerit, ſed prætermiſerit, & ſolum de vulgata latina mentionem fecerit, eamque ut authenticam declaraverit.

Dices I. Textus originarius olim fuit authenticus, & à Chriſto ac Apoſtolis, qui exinde teſtimonia ſumebant, laudatus: ergo & nunc authenticus eſt, & non ſolus textus vulgatæ editionis. ℞. Conc. ant. neg. conſeq. quia ideo fuit olim authenticus textus originarius, quia purus & ut talis per Synagogam ſive Eccleſiam habitus: hodie vero authenticus poſitive à nobis haberi nequit, quia nec ut purus, nec ſuo originali conformis per Eccleſiam eſt declaratus. Præterea hoc argumentum ſolum illos urgere videtur, qui abſolute negant hodiernos textus Hebræos & Græcos eſſe revera authenticos, non autem nos, qui cum Tridentino præſcindimus, an authentici vel non authentici ſint? ſolum enim aſſerimus, non eſſe habendos ut poſitive authenticos, quia hoc ab Eccleſia non fuit ſancitum; Sicut enim libri, qui modo ut Canonici habentur, licet revera eſſent Canonici & Divini, non tamen certo ut tales habebantur, priusquam ab Eccleſia in Canonem reciperentur: ſic textus Scripturæ, quamvis revera in ſe eſſet purus, & authenticus, non tamen haberi debet à nobis ut authenticus, niſi ut talis ab Eccleſia declaretur.

Dices 2. Si authenticus & purus non eſt textus Hebræus, nec pura & authentica dici poteſt vulgata latina, cum ex Hebraico textu tanslata ſit: ergo. ℞. neg. ant. quoad 2. part. quia vulgata noſtra latina habetur quidem ex Hebræo textu translata, ſed ex Hebræo textu necdum punctorum additione, vel librariorum incuria aut ignorantia vitiato.

Dices

Dices 3. Fontes Scripturarum præferendi ſunt rivulis, quando conſtat fontes non eſſe turbatos: atqui fontes non ſunt turbati ſaltem in rebus fidei & morum, licet errata quædam leviora contineant: ergo. ℞. Divina providentia factum eſſe, ut vulgatam noſtram latinam habeamus quidem ex Hebræo textu translatam, ut diximus, ſed hic textus Hebræus antiquus quod non ſit vitiatus, & fons turbatus, conſtitit ex Synagogæ ſeu Eccleſiæ judicio, & hinc olim fuit authenticus. Unde ut editio aliqua ſit authentica non ſatis eſt, quod nihil contra fidem vel bonos mores contineat, ſed inſuper requiritur, ut hoc conſtet publico Eccleſiæ judicio: quod non conſtat de moderna Græca & Hebraica, bene tamen de ſola vulgata latina, etiam ſola hæc pro authentica à nobis eſt habenda. Unde

Quod hic dicimus de authenticitate textus Hebraici, pariformiter dicendum eſt de textu Græco.

Quæres 4. An Eccleſia permittat recurſum ad textum Hebraicum & Græcum pro corrigenda ex illis vulgata? ℞. negative contra Proteſtantes. Ratio eſt: quia ſola vulgata ab Eccleſia declarata eſt authentica, & conformis ſuo originali puro & ſincero: textus autem Hebræus, qui modo eſt, non eſt ab Eccleſia declaratus ut authenticus: neque deciſum eſt, eum eſſe fontem purum ac ſincerum; ergo pro corrigenda vulgata non poteſt fieri recurſus ad textum Hebræum. Idem eſt judicium de textu græco.

Dices I. Omnis translatio debet corrigi per originem, unde ſumpta eſt: ſed vulgata latina translata eſt ex textu Hebræo: ergo. ℞. Hoc verum eſſe, ſi origo ſupponatur pura, & ut talis ab Eccleſia ſit declarata, ſecus ſi non ſupponatur pura, nec ut talis ab Eccleſia ſit declarata, ut eſt textus Hebræus modernus; quare ſi diverſitas aliqua inter textum Hebræum & vulgatam occurrat, non vulgata per textum Hebræum, ſed potius hic per vulgatam corrigendus eſt.

Dices 2. SS. Patres Auguſtinus & Hieronymus paſſim ad Hebraicos, græcosque fontes tanquam primævos textus recurrendum eſſe docent, quoties latinæ verſiones corruptæ videntur vel obſcuræ: ergo. ℞. diſt. ant. Et fontes Hebraici & Græci tempore iſtorum Eccleſiæ Patrum erant puriores, conc. ant. Et hodie ſunt, neg. ant. & conſeq. ℞. 2. Quod hi Patres, dum ad fontes recurrendum eſſe docuerunt, locuti ſint ſuo tempore, quo Eccleſia nihil adhuc nec de Textu, nec de verſione ſtatuit, ita ut verſio & textus in hoc pares fuerint, ubi omnino, ſi diſcrepantia obſervata fuit, in verſione recurrendum ad textum erat; at vero cum modo textus & vulgata jam pares non ſint, ſed pro ſola verſione, non autem pro textu Hebræo aut Græco Eccleſiæ decretum ſtet, recurſus pro corrigenda vulgata ad textum admitti nequit.

Dices 3. Ergo Eccleſia Græca nullam habet Scripturam authenticam. ℞. diſt. illatum: ergo Eccleſia Græca nullam habet Scripturam authenticam, hoc eſt, non ut talem nobis ab Eccleſia declaratam, adeoque neque in hac ratione cum vulgata noſtra latina comparandam, conc. authenticam in ſe, neg. Eccleſia Græca (intellige unita cum latina, non ſchiſmatica) habet Scripturam, quæ *forte in ſe* eſt authentica, quia nævi, qui in illa continentur, non obſunt veræ fidei aut moribus: licet à nobis non ſit habenda ut authentica, quia Eccleſia Catholica eam talem non declaravit, juxta illud S. P. Auguſt. lib. Cont. epiſt. fund. *Ego vero Evangelio non crederem, niſi Eccleſiæ me commoveret auctoritas.*

Interim tamen Eccleſia permittit recurſum ad textum Hebraicum & Græcum ob alia motiva, & utilitates. 1. ad auferendas ambiguitates verborum, & nominum, ut an nomen ſit ſubſtantivum vel adjectivum, cujus caſus, vel generis, cujus temporis ſit verbum, ut ſic tollatur æquivocatio, ſi quandoque in vulgata emergat. 2. Ad percipiendam energiam, & proprie-

tatem,

tatem, quam dictio habet in nativa linqua, quæ in latina exprimi non potuit. 3. & præcipue, ut ex textu Hebraico aut Græco convincamus adversarios de suis erroribus: cum illi enim textui Hebræo & Græco summam tribuant auctoritatem, ineluctabile contra eos argumentum sumimus, dum ex fontibus ipsos illos impetimus.

QUÆSTIO SEPTIMA.

1. Qualis sit Canon S. Scripturæ tum Veteris, tum Novi Testamenti; tam apud Judæos, quam apud Christianos?

2. An, quales, & quo Jure Hæretici expungant è Canone S. Scripturæ libros tum Veteris, tum Novi Testamenti?

§. I.

Prænotanda.

Notandum I. Scripturam sacram prima sui divisione in Testamentum Vetus, & Novum dividi. Illud est, quod legem ante Christum à Deo datam exhibet, Christum ejusque Evangelium prænuntiat. Hoc vero, quod doctrinam à Christo sive per se, sive per Apostolos suos traditam nuntiat.

Notandum 2. Nomine Canonis in præsenti venire Catalogum librorum S. Scripturæ: & dum quæritur, quisnam sit legitimus SS. librorum Canon? idem est, ac dum quæritur, quinam libri sint vere Divini, id est, à Deo inspirati, ac formale Verbum Dei?

Notandum 3. Libros sacros alios dici *Authenticos*, alios *Canonicos*: *Authenticos* sacros libros præstat authoritate sua Spiritus sanctus; *Canonicos* vero infallibile judicium Ecclesiæ declarat, quæ definit talem librum vere à Deo esse inspiratum; cum enim

plu-

plurimi libri obtruderentur pro ſacris, de quibus merito dubitari poterat, debuit hoc judicium relinqui Eccleſiæ, quæ ſumma cura in Conciliis Oecumenicis, imprimis Florentino & Tridentino in Canonem certum ſacros libros redegit, à quo proinde Canone dicuntur Canonici. Fieri proinde poteſt, ut liber aliquis ſit *quoad ſe* Authenticus, non vero *quoad nos*: conſequenter licet omnes libri *Canonici* ſint etiam *Authentici*, non tamen viciſſim; poſſunt nihilominus omnes libri Authentici fieri etiam Canonici, ſi videlicet judicio Eccleſiæ pro talibus approbentur, ſicut in pluribus jam accidit.

Notandum 4. Ex libris Canonicis aliquos eſſe *Proto-Canonicos*, aliquos *Deutero-Canonicos*. Proto-Canonici illi dicuntur libri, de quorum Authoritate nunquam dubitatum fuit in Eccleſia. Deutero-Canonici illi dicuntur libri, de quibus aliqua ſubinde fuit controverſia, judicio tamen Eccleſiæ ſublata.

Notandum 5. Alios præterea eſſe Sacros libros, qui nunquam fuerunt, nec etiamnum ſunt publico Eccleſiæ teſtimonio pro Canonicis declarati, quantumvis à nonnullis olim in numerum S. voluminum recenſiti, veterumque aliqui teſtimoniis eorum uſi fuerint, de quibus aliqui de facto, ſed extra Canonicum Catalogum ponuntur: ut Oratio Manaſſæ, 3. & 4. liber Esdræ; qui libri & ſimiles quandoque etiam *Apocryphi* dicuntur, non quidem eo ſenſu, quo ſolet etiam in decretis Pontificum *Apocryphi* nomen ad interdicta, prorſuſque damnata Hæreticorum ſcripta interdum transferri, ſed in alia prorſus acceptione; *Apocryphum* enim ex Græco idem eſt quod *abſconditum*, & ſic etiam illi libri, quorum Author ignotus eſt, *Apocryphi* dici poſſunt: præprimis autem in præſenti acceptione libri *Apocryphi* ſumuntur, qui ſic abſconditæ, ac proinde dubiæ ſunt authoritatis, de quibus non audent affirmare Patres, eos à Scriptoribus ſuis afflatu & aſſiſtentia Spiritus S. conſcriptos eſſe; atque ita libri *Apocryphi*, prout extra libros ſacros Authenticos & canonicos

nonicos ſunt, ad duplicem reſpective claſſem reduci poſſunt, ita ut aliqui *ſimpliciter* vocentur Apocryphi, & rejiciuntur ab Eccleſia tanquam *ſuppoſititij* & *falſi*; alii dicuntur tales *ſecundum quid*, quod nimirum reſpectu noſtri adhuc maneant *Apocryphi* ſeu occulti, neque permittantur cum reliquis ſcripturis publice prælegi, ex eo quod judicium ſuum de his ſuſpenderit Eccleſia; atque ita manent intra limites authoritatis humanæ, ſubinde tamen etiam à Patribus citantur.

Notandum 6. Citari frequenter alios libros, qui vel *injuria temporum*, vel *incuria hominum*: vel etiam *Dei voluntate* erepti ſunt; ſic periculum fuit *negligentia cuſtodum*, ne periret Deuteronomium inventum ſub Joſia, ut habetur 4. Reg. c. 22. v. 8. Aut etiam *ex impietate*, quomodo Joakim librum Jeremiæ ſcalpello ſcidit, & in ignem conjecit, ut habetur Jerem. c. 36. v. 23. Et denique ex *Divina voluntate* ob peccata Judæorum, uti voluit à Moyſe Tabulas legis confringi.

Notandum 7. Interivere autem libri Sacri, de quibus in ipſis Sacris literis fit mentio: 1. *Liber Bellorum Domini* cit. Num. c. 21. v. 14. 2. *Liber Juſtorum*, ſeu *recti*, Joſue c. 10. v. 13. 3. *Liber Verborum*, ſeu rerum geſtarum *Salomonis*, 3. Reg. c. 11. v. 4. 4. *Liber verborum Regum Iſrael*, 3. Reg. c. 14. v. 19. 5. *Liber verborum Regum Juda*, 3. Reg. c. 14. 6. *Liber Samuelis*, 1. Paralip. c. ult. 7. *Liber Nathanis Prophetæ*, 1. Paralip. c. 29. v. 29. 8. *Salomonis 3000. Parabolarum*, & *Cantica 5000.* Item 9. *Phyſica* ejusdem *de plantis*, *jumento*, & *volucribus*, 3. Reg. c. 4. v. 32. 10. *Joannis Hircani liber dierum*, 1. Machab. c. ult. Hi libri, ut veroſimilius eſt, in rigore non fuerunt Canonici, alias Deus non permiſiſſet illos interire: vel certe illos reſtituiſſet, prout Deuteronomium amiſſum reſtituit tempore Joſiæ Regis, 4. Reg. c. 22. Et librum Threnorum, quem Joakim Rex ſciſſum in ignem abjecerat, reſtituit, Jerem. c. 36.

Notandum 8. Aput Hebræos ante captivitatem Babylonicam nullum Sacrorum canonem librorum extitiſſe, ſed exacta captivitate veroſimiliter ab Esdra approbante Synagoga magna confectum fuiſſe: quia ante captivitatem Babylonicam eis talis Canon neceſſarius non fuit, cum Judæis ipſa Sacrorum Scriptorum authographa ſuperfuerint: ex quorum diligenti perſcrutatione, deſcriptione, & imitatione ſatis ſuperque in fide ac moribus proficere potuerunt: qui tamen Canon poſt captivitatem neceſſarius fuit, ubi genuino Dei verbo ex multorum inſidiis periculum iminebat. In hoc Concilio præter Esdram & Nehemiam præcipui erant Haggæus, Zacharias, Malachias, Zorobabel, Mardochæus, Joſias filius Joſedech Sacerdotis. An hoc Concilium Synagoga magna appellatum idem fuerit ac ſynedrium magnum conſtans ex 72. Judicibus à Moyſe inſtitutum pro tractandis negotiis tum Reipublicæ tum Religionis? an vero aliud diverſum tribunal noviter inſtitutum? aliqui primum, aliqui ſecundum tenent, quod ad præſentem materiam parum refert.

Notandum 9. Apud Hebræos continuis temporibus unicum, eumque Esdrinum Canonem uſque ad Chriſtum natum extitiſſe, & non plures. Ratio eſt, quia tam Hebræi, quam veteres Chriſtiani nullum alium præter Canonem Esdrinum agnoverunt. Ergo. Contra hoc notandum

Dices 1. Ideo poſt ſolutam captivitatem Canonem librorum ſacrorum ab Esdra editum deducimus, quia teſte Joſepho l. 1. contra Appionem. Judaicæ gentis conſvetudo fuit, ut poſt bella libri ſacri recognoſcerentur, & inſtaurarentur, atqui etiam ſuccedentibus temporibus multa contra Judæos bella movebantur maxime ab Antiocho, ſub quo præſertim contra libros ſacros ſævitum fuit, ut legitur 1. Machab. c. 1. v. 59. Ergo credibile eſt, quod poſt Esdram nova librorum collectio facta ſit, & quidem à Nehemia, de quo 2. Machab. c. 2. v. 23. dicitur: quod conſtruxerit Bibliothecam, congregaverit de regioni-

onibus libros & Prophetarum, & David, & Epiſtolas Regum. Item à Juda Machabæo, de quo ibidem v. 14 dicitur, quod ea, quæ deciderant per bellum, quod ſub Antiocho Rege acciderat, congregaverit omnia: ergo novæ collectiones librorum poſt Esdrinam, & quidem approbante Synagoga magna factæ videntur. ℞. Neg. cauſalem maj. quia non dicimus, ideo præciſe canonem ab Esdra poſt captivitatem conditum, eo quod Hebræis mos fuerit libros ſacros poſt bella recenſere, & repurgare: ſed quia tempore captivitatis peſſumdatis authographis libri ſacri diſperſi, & ex parte adulterati fors ac corrupti ab Esdra approbante ſynagoga emendati, in unum volumen collecti, & populo ut libri Divini propoſiti fuerunt. Unde Judæi poſt Esdram novis occurrentibus bellis aliisque cauſis tempore Nehemiæ, & Judæ Machabæi authoritate Synagogæ magnæ libros ſacros tantum recognoverint, repurgaverint, & Canonem ab Esdra confectum ex veterum exemplarium fide confirmaverint: nunquam autem novum & auctiorem Esdrino Canone ediderint, ſeu libros Esdrino Canoni non inſertos inſeruerint.

Dices 2. Si Canon Esdrinus continuo clauſus manſiſſet ita, ut ſucceſſu temporis libri ſapientiæ, Tobiæ, Judith &c. (qui in Canone Esdrino non ſunt) nunquam inſerti fuiſſent, hoc erueretur ex illo, quod memorati libri à Judæis nunquam pro ſacris & canonicis habiti fuerint: ſed hæc ratio eſt nulla: ergo. min. prob. Non abs re ſuſpicari poteſt, quod Judæi Hebraizantes præfatos libros è canone ſuſtulerint, & quidem duplici ex cauſa: 1. Quod Hebraica ſeu ſacra linqua exarati. 2. Quod hi libri ab Helleniſtis, id eſt, Judæis extra Palæſtinam inter gentes natis, & græca verſione utentibus recepti fuerint, inter quos & Judæos Hebraizantes mutua æmulatio fuit: ergo. ℞. Conc. maj. neg. min. ad prob. neg. ant. quoad utrumque. Ratio negandi primum eſt: quia ſi hos libros memoratos ex illa ratione ſubduxiſſent, etiam Danielem & Esdram eadem linqua

ſcilicet Chaldaica ſcriptos, qua Eccleſiaſticus, Tobias, Judith, & ſaltem primus Machabæorum ſcriptus eſt, ſubducere debuiſſent. Ratio negandi ſecundum eſt: quia ſi præfati libri locum habuiſſent in Canone Helleniſtarum, etiam locum in canone vetuſtiſſimorum Chriſtianorum habuiſſent, utpote qui Canonem Scripturarum ab Helleniſtis Judæis acceperunt; hoc autem eſt falſum, cum prioribus Eccleſiæ ſæculis à multis ceu *Apocryphi* habiti ſint, licet eos poſtea univerſa Chriſti Eccleſia receperit, & ſuo canoni inſeruerit.

Dices 3. Joſephus lib. 2. contra Appionem citat ex c. 42. Eccleſiaſtici hæc verba: *Mulier vero in omnibus pejor viro, cujus nequitia mulierem etiam beneficam ſuperat.* Ergo Joſephus vim legis tribuit Eccleſiaſtico, quod non feciſſet niſi relatus fuiſſet in canonem: ergo alius ab Esdrino canon ſupponendus eſt, in quem Eccleſiaſticus aliique libri ſacri Esdrinis recentiores relati ſunt. ℟. Ex hoc ſolum ſequi, quod liber Eccleſiaſticus quia ex Salomonis parabolis compilatus, apud Hebræos magnæ auctoritatis fuerit, maxime apud Helleniſtas, qui Joſephi tempore iſtorum librorum, eſto non in canonem relati fuerint, magnam æſtimationem habebant. Præterea priora verba: *mulier vero in omnibus pejor viro*, in Eccleſiaſtico non reperiuntur.

Dices 4. Nehemias Canoni Esdrino ſuum librum addidit: ergo poſt Esdram novus Canon conflatus eſt. 2. Credibile eſt, quod dum mittendi eſſent codices ſacri ad Ptolomæum Philadelphum per 70. ſenes vertendi in græcum, quod ab Eleazaro congregata fuerit Synagoga magna, & ab ea vetus Canon confirmatus, eique poſteriores libri adjecti ſint: ergo. ℟. quod liber Nehemiæ cum libro 1. Esdræ tantum unicum volumen conſtituerit, cum libri primi Esdræ continuatio ſit: ergo cum Nehemiæ additione novus Canon conflatus non eſt. Ad 2. ℟. Quod tunc, dum mittendi eſſent libri ad Ptolomæum Canon quidem rurſus recenſitus & recognitus fuerit, nihil autem ei adjectum

jectum ſit, quod exinde colligitur, quod 70. ſenes illos ſolum libros verterint, quorum exemplar aureis literis ſcriptum, & forte in templo aſſervatum ab Eleazaro ad Philadelphum tranſmiſſum eſt; hoc autem exemplar ſolum libros ab Esdra collectos unica addita Nehemiæ continuatione complectebatur: ergo alii libri Canoni Esdrino adjecti non ſunt, quia alias LXX. eoſdem vertiſſent.

Notandum 10. Hebræos tot numerare libros S. Scripturæ, veteris ſcilicet teſtamenti, quot habent ipſi literas, nempe viginti duos. Ita expreſſe S. Hieron. in prol. Galle. *Viginti duo elementa ſunt, per quæ ſcribimus Hebraice omne, quod loquimur, & eorum initiis vox humana comprehenditur: ita viginti duo volumina ſupputantur, quibus quaſi literis & exordiis in Dei doctrina tenera adhuc & lactens viri juſti eruditur infantia:* ergo.

Notandum 11. Hebræos hos viginti duos libros in tres claſſes dividere, videlicet in *Thora*, id eſt, legem: *Nebiim*, id eſt, Prophetas: *Ketubim*, id eſt, Hagiographa.

Notantum 12. Communem nunc apud Authores utriuſque teſtamenti ſacrorum librorum partitionem eſſe quadruplicem, nimirum in *legales*, *Hiſtoriales*, *Sapientiales*, & *Prophetiales*. Primi *legem*, ſecundi *hiſtoriam*, tertii *dictamina ſapientiæ*, ſeu *variam doctrinam* præſertim ad rectam morum conformationem: quarti *Prophetias* & *vaticinia* potiſſimum *univerſalia*, ſeu totam Eccleſiam concernentia continent. Quamquam idem liber aliquando ſimul ſit Hiſtoricus, & legalis, ut Exodus.

Notandum 13. Non eundem ſenſum eſſe modernorum Hæreticorum circa numerum librorum divinorum, qui eſt Romano-Catholicis. Illi enim è codice ſacro, quem modo pro S. Scriptura legimus, & reveremur, deletos volunt ex veteri teſtamento tanquam apocryphos, *Tobiam*, *Judith*, *Sapientiam*, *Eccleſiaſticum*, *ambos Machabæorum*, & *Baruch*: Ex novo teſta-

mento vero expungunt *Epistolam ad Hebræos*, *Epistolas Jacobi*, *Judæ*, *2. Petri*, *2. & 3. Joannis*, & *Appocalypsim*. His prænotatis.

§ II.

Dico 1. Canon Hebræorum cum sua divisione est iste: *Genesis*, *Exodus*, *Leviticus*, *Numeri*, *Deuteronomium*: & hi quinque sunt legales. *Josue*, *Judices & Ruth*, *Samuel 2.* *Regum 2.* Et hi quatuor sunt Prophetæ anteriores. *Isaias*, *Jeremias & threni*, *Ezechiel*, Prophetæ minores. Et hi quatuor sunt Prophetæ posteriores. *Psalmi*, *Proverbia*, *Job*, *Canticum Canticorum*, *Ecclesiastes*, *Esther*, *Daniel*, *Esdras & Nehemias*, *Chronica*. Et hi novem sunt Hagiographa.

Universim ergo Canon Hebræorum constat viginti duobus libris: cujus ratio constat ex Superiori Notando 10. Solum superest explicatio horum librorum.

PRimus liber est *Genesis*, quod nomen ex græco idem est ac *origo*: quia enarrat mundi Creationem, originem, & natales. Ab Hebræis vero hic liber dicitur *Bereschith*, hoc est in principio, à prima nempe hujus libri dictione, & initialibus verbis, mos enim Hebræis est libros suos ab initialibus verbis denominare.

Secundus liber secundum græcam nominationem *Exodus*, latine vero *Exitus* vocatur ex eo, quod præcipua ejus pars de Israelitici populi exitu de Ægypto tractet, quem librum Hebræi *Veelle Schemoth*, hoc est., & *hæc nomina*, à primis ipsiusmet libris dictionibus compellant.

Tertius liber Græcis & latinis à materia, quam pertractat (tractat autem de sacrificiis aliisque muniis Levitarum) dicitur

Le-

Leviticus: ab Hebræis autem vocatur *Torath Haccobanim*, id eſt, lex Sacerdotum; vel etiam *Vaiicra*, hoc eſt, *vocavit*, ab exordio libri appellatur; nam Levitæ, id eſt, qui erant prognati ex Patre & tribu *Levi*, electi fuerunt à Deo ad munus Sacerdotale, & miniſtrandum ei in tabernaculo, ſed hac partitione, ut *Amramitæ* ſive poſteri *Amram*, hoc eſt, *Aaron*, ejusque filii Sacerdotio fungerentur, ſolique ſacrificarent: cæteri nempe poſteri *Caath*, *Merari*, & *Gerſon* (qui omnes fuerunt filii *Levi*) hiſce ſubſervirent, ut *Sacerdotibus* noſtris Diaconi. Unde factum eſt, ut priores *Sacerdotes*; poſteriores vero *Levitæ* nomine vocarentur; hic tamen contrarium accidit, & per *Levitas* in præſenti Sacerdotes intelliguntur, ita ut *Leviticus* idem ſit quod *Sacerdotalis* aut *Sacrificatorius*.

Quartus liber tum à Græcis, tum à Latinis *Numerorum* dicitur: Hebræi vero de more ſuo *Vagedahber* à primis vocibus *locutus eſt:* compellant; inſcribitur autem ſub titulo *Numerorum*, eo quod liber hic à cenſu, & numeratione populi ſuum ſumat exordium.

Quintus liber ad Hebræis ex conſvetudine à primis dictionibus *Ellebaddebarim*, ſeu *iſta ſunt verba*, & quandoque à Rabbinis *Miſne*, hoc eſt, *iteratio legis* vocatur, prout & ex Græco liber hic *Deuteronomium*, ſeu ſecunda lex inſcribitur. Vocatur autem *ſecunda lex*, & *iteratio legis*, non quaſi novam & aliam legem à præcedentibus contineat, ſed quod legis in Sina à Deo ante 38. annos latæ, & tribus ſuperioribus libris, ſcilicet *Exodo*, *Levitico*, & *Numeris* deſcriptæ ſit *repetitio*, & *explicatio*. Porro repetitio hæc legis à Moyſe jamjam morituro facta eſt anno 40. exitus de Ægypto, paulo antequam Hebræi tranſirent Jordanem, & ingrederentur in Chanaan in campeſtribus *Moab*, nempe in *Abelsatim*, quæ fuit 42. & ultima manſio Hebræorum in deſerto. Duplex autem hujus repetitionis cauſa aſſignari poteſt: 1. Quod ſenes, qui ex Ægypto egreſſi erant, & primam legem

legem in *Sina* audierant, ob murmur exploratorum Num. c. 14. jam mortui erant: & populus præſens erat novus, qui priorem legem promulgari non audierat; unde hac ſecunda legis promulgatione iterato Deus novum cum Hebræis fœdus iniit, ut habetur c. 29. v. 1. 2. Cauſa eſt: quia Moyſes jamjam moriturus, ultimumque ſuis ſibi commiſſis Hebræis, quos præ vita ſua diligebat, valedicturus, hac repetitione legem profundius, atque tenacius imprimere voluit; eaque de cauſa Moyſes c. 17. v. 18. juſſit, ut novi Reges eligendi deſcribant ſibi Deuteronomium. Ex qua etiam ratione c. 31. v. 10. præcepit, ut Deuteronomium toti populo quolibet ſeptimo anno remiſſionis legatur.

Notandum Hos omnes libros quinque vocari *Pentateuchum*, qui apud Hebræos unus tantum fuit liber legis, & Hebraice *Thora*, latine *Lex* vocatur.

Sextus liber dicitur *Joſue* non tam ex certitudine Authoris, quod nempe libri hujus Author ſit *Joſue*: hoc enim ex divina revelatione non conſtat, quamvis communiter Patres ita ſentiant: quam ex infallibilitate geſtorum, quæ liber hic continet.

Septimus liber eſt *Judicum*, quem Hebræi *Sophetim*, id eſt, Judices *compellant*, à Judicibus nomen ſuum accipit, qui erant tunc Magiſtratus ſummus. Magna proinde Judicum fuit poteſtas, & quidem ſecundum quid Monarchica: unus enim ſolus Judex, isque vel à Deo præpoſitus, vel à populo electus ſuo tempore præerat; non tamen erat Regia, nam nec leges novas condere, nec tributa populo imponere poterat, uti poſſunt Reges; nec diademate nec ſceptro, nec ſatellitio Regio utebatur, nec ungebatur, nec hæreditario jure ſuccedebat: electus tamen per omnem vitam manebat. Monarchiæ tamen judicum mixta fuit Ariſtocratia, nam in rebus difficilioribus ſupremi Concilii, quod *Sanhedrim* dicebatur, ſententiam exquirere, ejusque decretis ſtare tenebatur, in cæteris vero legem Dei

ſequi

sequi, ac juxta eam populum gubernare, hinc non tam *Judex* quam *Dei Lex* populum gubernabat. Officia vero Judicum erant 1. Populum à servitute liberare. 2. Bellis præesse. 3. proprie judicare, id est, Jus populo dicere, eorumque lites justa sententia dirimere.

Libris Judicum annectitur liber *Ruth*, qui liber eximiæ pietatis, & Divinæ providentiæ singulare ostendit exemplum; Ruth enim Moabitis socrum suam in patriam revertentem pie subsecuta Boozo prædiviti secundis nuptiis jungitur, cui parit *Obed* Davidis Avum, unde Christus Dominus genus suum secundum carnem ducere dignatus est. Est autem liber hic appendix quædam libri Judicum, unde ab Hebræis illis annectitur: hujus enim historia contigit sub Judicibus.

Octavus liber sunt *libri Regum*, qui Judicibus (quorum ante Heli ultimus fuit Judex Samson) successerunt. Hisce quatuor libris Regum Spiritus S. prosequitur historiam gentis Judaicæ, & Ecclesiæ, sive Synagogæ veteris à Judicum exitu, quorum ultimus fuit Samuel, cujus gesta hic præmittuntur, quia ab eo facta est mutatio Regiminis quasi Aristocratici in Monarchicum & Regale, unde Regum nomine hi libri inscribuntur. Hebræi & Syri duos primos libros Regum vocant *Prophetiam Samuelis*: & duos posteriores vocant *libros Regum*, seu *Regnorum*.

Nonus liber ab Hebræis *Dibsèbajamim*, *verba dierum*, seu Chronicon, à Græcis vero *Paralipomenon*, à Latinis autem *Supplementum*, aut etiam *relictorum*, aut *residuorum*, & à S. Hieron. epist. ad Domnionem præteritorum vocatur, quia supplet ea, quæ in libris Regum de Regibus Juda (nam gesta Regum Israel vix attinguntur in lib. Paralip.) prætermissa sunt. Paralipomenon Hebræis est liber unicus, Latinis duo sunt.

Decimus est *Liber Esdræ*, ab Authore suo nomen sortitus, 10. Capitibus historiam 82. annorum comprehendit. Liber

Nehemiæ ab Hebræis à libro *Esdræ* non proponitur tanquam distinctus, quia historiam ab Esdra cœptam continuat 30. circiter annorum lapsu.

Undecimus est *Liber Esther*, cui nomen dedit cœli favore, & Providentia Dei electa Regina *Esther*.

Duodecimus est *Liber Job*, qui vel ab Actore Tragœdiæ, vel Scriptore Historiæ sic dictus est.

Decimus tertius est *Liber Psalmorum*, qui ab Hebræis *Sepher-Tehillim*, seu liber *Hymnorum*, ac laudis Divinæ compellatur.

Decimus quartus est *Liber Proverbiorum*, quia continet sententias graves, sublimes, atque Divinas, quas Græci *Proverbia*, Hebræi *Misle*, *Parabolas* & *similitudines* appellant.

Decimus quintus est *Liber Ecclesiastæ*, seu *Prædicatoris*, quem Hebræi *Coheleth* vocant, titulum hunc præsefert, quod munus hic subeat Salomon pœnitens Salutaris adhortatoris: toti enim orbi vanitatem mundi à se ad satietatem, vel potius ad nauseam cognitam deprædicat.

Decimus sextus est *Canticum Canticorum* ab Hebræis *Sir-hasirim* quasi nobilissimum Carmen & excellentissimum Canticum dictus ob eminentiam, qua reliquis canticis præcellit.

Decimus septimus est *Liber Danielis*: Decimus octavus *Isaias*: Decimus nonus *Jeremias & Threni*: Vigesimus est *Ezechiel*: Vigesimus primus sunt Prophetæ minores. Notandum quod liber octavns, nempe *Libri Regum:* duos libros sub se contineant: quia dictum, quod primi duo libri Regum sint *Prophetia Samuelis.* & reliqui duo sint *libri Regum:* ergo duos libros faciunt: consequenter sunt 22. libri in Canone Hebræorum.

§. III.

§. III.

Dico 2. Canon hodiernus librorum Veteris Teſtamenti apud Catholicos conſtat 5. libris legalibus, nempe *Geneſi*, *Exodo*, *Levitico*, *Numerorum*, & *Deuteronomio*. 17. libris Hiſtorialibus, nempe *Joſue*, *Judicum*, *Ruth*, 4. *Regum*, 2. *Paralipomenon*, 2. *Eſdræ*, *Tobia*, *Judith*, *Eſther*, *Job*, 2. *Machabæorum*. 5. libris Sapientialibus, nempe *Proverbiis*, *Eccleſiaſte*, *Canticis*, *Sapientia*, & *Eccleſiaſtico*. 18. Prophetalibus, nempe *Pſalterio*, *Iſaia*, *Jeremia cum Threnis*, *Baruch*, *Ezechiel*, *Daniel*, *Oſee*, *Joel*, *Amos*, *Abdia*, *Jona*, *Michæa*, *Nahum*, *Habacuc*, *Sophonia*, *Aggæo*, *Zacharia*, *Malachia*.

Univerſim ergo in Canone Catholicorum S. Scripturæ Veteris Teſtamenti ſunt libri 45.

Proto Canonici ſunt omnes exceptis *Tobia*, *Judith*, *Sapientia*, *Eccleſiaſtico*, *Baruch*, & 2. *Machabæorum*, qui ſeptem libri ſunt *Deutero-Canonici*.

Dico 3. Canon hodiernus librorum Novi Teſtamenti apud Catholicos conſtat ex 27. libris. Ex quibus 4. ſunt *legales*, in quibus lex nova à Chriſto tradita continetur: nempe quatuor Evangelia, *Matthæi*, *Marci*, *Lucæ*, *Joannis*. Unus eſt *Hiſtorialis*, qui res per Chriſti Apoſtolos bene geſtas commemorat, & vocatur *Actus Apoſtolorum*. *Sapientiales* ſunt 21. In quibus Sapientia novæ legis per exempla & præcepta beate juxta Chriſtum vivendi pleniſſime traditur: nempe I. Epiſtola *Pauli ad Romanos*. II. duæ Epiſtolæ ejusdem *ad Corinthios*. 3. Epiſtola *ad Galatas*. 4. *Ad Epheſios*. 5. *Ad Philippenſes*. 6. *Ad Coloſſenſes*. 7. II. *ad Theſſalonicenſes*. 8. II. *ad Timotheum*. 9. *Ad Titum*. 10.

Ad Philemonem. 11. *Ad Hebræos.* 12. Epiſtola *S. Jacobi.* 13. II. *S. Petri.* 14. III. *S. Joannis* : & hæ, videlicet S. Jacobi, S. Petri, & Joannis Epiſtolæ ſex vocantur Epiſtolæ Catholicæ; uti & 15. Epiſtola *S. Judæ.* Unus eſt *Propbetalis*, in quo ſtatus Eccleſiæ Chriſti futurus prædicitur, nempe *Apocalypſis Joannis.*

Libri ex Novo Teſtamento in Canone Catholicorum *Proto-Canonici* ſunt ſequentes: videlicet *Evangelia* Matthæi, Marci, Lucæ, Joannis. Acta Apoſtolorum. Omnes Pauli Epiſtolæ excepta illa ad Hebræos. Item duæ Epiſtolæ Catholicæ nempe una Petri, & altera Joannis.

Deutero-Canonici ſunt ſequentes: *Marci* caput ultimum. *Lucæ* hiſtoria de Sudore Chriſti ſanquineo cap. 22. *Joannis* hiſtoria de muliere adultera, c. 8. Epiſtola Pauli ad Hebræos. Epiſtola *Jacobi*, *Judæ.* *Petri* Epiſtola ſecunda. *Joannis* Epiſtola ſecunda & tertia. Denique Apocalypſis.

Jam hæ duæ in hoc Paragrapho poſitæ Concluſiones Catholicæ.

PRobantur argumento hoc Theologico: non poſſumus Certius, infallibiliusque cognoſcere, quinam libri ſint certo Divini, aut quis ſit legitimus SS. librorum canon, quam ex judicio & ſententia univerſalis Eccleſiæ: huic enim dictum fuit, quod ſit columna & firmamentum veritatis, adverſus quod firmamentum portæ inferi nunquam ſunt prævalituræ, eo quod Chriſtus omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi cum hac ſua Eccleſia ſit, illique poſt glorioſam ſuam in cœlo aſcenſionem miſerit Spiritum veritatis, qui eam omnem veritatem doceat. Hæc propoſitio tam firma eſt, tamque inconcuſſa, ut jam ſuo tempore S. P. Auguſtinus, cujus auctoritatem ipſi refractarij revereri debent, intrepide aſſeruerit lib. Cont. Epiſt.

fun-

fundament. c. 5. *Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ commoveret auctoritas.* Atqui universalis Ecclesia in Concilio Tridentino sancte congregata judicavit, omnes eos libros, quos in prima & secunda conclusione præsenti enumeravimus, esse vere Divinos, adeo ut etiam anathematis fulmine percutiat, qui eosdem non ita susceperint sess. 4. in Decreto de can. scripturis. Ergo certo & infallibiliter scimus, omnes eos libros esse vere & certo Divinos, proin Canonem SS. librorum esse eum ipsum, quem S. Tridentina Synodus statuit, & determinavit, præcipue quia in eo statuendo non processit temere, sed orthodoxorum Patrum exempla secutam se disertis verbis asseverat.

Confirmatur. Quodcunque S. Synodus hac in re statuit, determinavit, & decidit, hoc decidit, determinavit, statuit, prouti in Spiritu S. legitime erat congregata, & per orthodoxorum Patrum doctrinam ita instructa & edocta. Ergo quidquid S Synodus inpræsentiarum statuit, hoc statuit assistente Spiritu S. & perpetua traditione veritatis facem præferente. Cui autem major fides adhibenda? num Spiritui S. & perpetuæ traditioni? num Spiritui privato, & doctrinæ Lutheri, Calvini, aliorumque modernorum Sectariorum?

Si vero requiratur, quinam illi orthodoxi Patres? quorum doctrinam S. Synodus est secuta? quænam ea traditio? En! illos antiquissimos,& hanc perpetuam. Ut de versione antiqua Itala, & nova Hieronymiana Ecclesiæ usitata nil comemorem, Concilium Carthaginense III.cui 44. Episcopi interfuere, Anno 397. celebratum, c. 47 SS. Scripturarum pene eundem catalogum tenuit protestando, eum à Patribus in Ecclesia legendum accepisse, utique à Romanis Pontificibus, quibus Ecclesia Affricana in acceptis referat oportet prædicationis suæ initia. S.P. Augstinus hunc ipsum SS. librorum canonem veluti legitimum agnovit, & veneratus est: lib. 2. de Doct. Christ. c. 8. Innocentius I. in epist. ad S. Exuperium Episcopum Tolosanum Ka-

lendas Martij anno 405. data cap. ult. Eosdem libros omnes ut Divinos secundum traditionem ab Apostolicis temporibus in Ecclesia Romana conservatam suscipiendos esse gravibus asserit verbis. Gelasius hos libros in Synodo Romana I. de anno 496. eodem modo recensuit. Hos omnes secutum est Concilium Florentinum de anno 1441. sub Eugenio IV. in instructione Armenorum, ubi Jacobitis idem cum suis partibus Canon consignatus fuerat. Divinitatem hujus nostri Canonis agnovere plurimi ex aliis Patribus, ut Melito apud Euseb. l. 4. c. 28. Orig. in Ps. 1. Concilium Laodicense can. ult. Athansius in Synopsi. Cyrillus Hieros. Catech. 4. Hilarius præfat. in Psal. Nazianz. Carm. 3. Damasc. l. 4. de fide c. 18. Hæc ergo sunt exempla Patrum, quæ S. Tridentina Synodus jure est secuta. Hæc est traditio, quæ ipsi facem prætulit in condendo vel potius declarando Canone SS. Librorum. Inexcusabiles sunt idcirco hæretici, qui tantam jam à tot sæculis habentes impositam nubem testium, post Ecclesiæ universalis judicium aliquos ex his libris è Canone expungunt.

Canon hodiernorum Heterodoxorum veteris Testamenti cum sua divisione est sequens

Legales sunt 5. nempe *Genesis*, *Exodus*, *Leviticus*, *Numeri*, *Deuteronomium*. *Historici* sunt 12. nempe *Josue*, *Judicum*, *Ruth*, *Samuelis duo*, *Regum duo*, *Chronicorum duo*, *Esdras*, *Nehemias*, *Esther*. *Doctrinales* sive *Poetici* sunt 5. nempe *Job*, *Psalmi*, *Proverbia*, *Ecclesiastes*, *Canticum Canticorum*. *Prophetici* sunt 6. nempe *Isaias*, *Jeremias*, *Threni*, *Ezechiel*, *Daniel*, *duodecim Prophetæ minores*.

Ergo Heterodoxi expungunt ex Canone veteris Testamenti libros *Tobiæ*, *Judith*, *Sapientiæ*, *Ecclesiastici*, *duos Machabæorum*, & *Baruch*. Imo & Lutherus librum *Job*.

Canon

Canon hodiernorum Heterodoxorum novi teſtamenti cum ſua diviſione eſt ſequens.

Canon Calvini.

Hiſtoria 4. Evangelia, Acta Apoſtolorum. *Doctrina* & *Dogmata*, *Pauli* & cæterorum *Epiſtolæ 21*. *Prophetia* Apocalyſis. Ergo Calvinus ex novo teſtamento nullum librum expungit.

Canon Lutheri.

Hiſtoria 4. Evangelia, Acta Apoſtolorum. *Doctrina*, *Pauli* Epiſtolæ 13. Excepta ad *Hebræos*. Prima Petri, & Prima Joannis.

Ergo Lutherus ex novi Teſtamenti Canone expungit Epiſtolam *Pauli* ad Hebræos. Epiſtolam 2. *Petri*. Epiſtolam 2. & 3. *Joannis*. Epiſtolam *Jacobi*. Epiſtolam *Judæ*. *Apocalypſim*.

OBJECTIONES.

Contra Canonem â Tridentino determinatum in Communi V. T.

I. SI libri Deutero-Canonici eſſent vere Divini, & ut tales ex Apoſtolica traditione deſcenderent, tunc illos Chriſtus aut Apoſtoli quandoque allegaſſent: atqui nunquam allegarunt; ergo.

II. Patres, qui floruerunt ante IV. ſæculum non texuerunt Catalogum librorum: ergo hic Canon non deſcendit ex traditione Apoſtolica.

III. Liber *Baruch* nec in Canone Esdrino, nec â Conciliis Laodiceno, Carthaginenſi, nec â Gelaſio in ſynodo Romana, nec ab Origine, S. P. Auguſtino &c. refertur; ergo.

IV. S. Hieronymus ejusmodi libros, quos Tridentinum Canoni inſeruit, veluti apocryphos rejecit: ergo non ſunt Canonici.

V.

V. Libri *Tobiæ*, *Judith*, *Sapientiæ*, *Ecclesiastici*, & *Machabæorum* nunquam fuerunt libri Divini: ergo à Concilio Tridentino pessime declarantur ut Divini, eo quod ipsi neutiquam competat potestas faciendi libros Divinos. Ant. prob. Isti libri non tantum non fuerunt in Canone Judæorum, sed neque primis Ecclesiæ sæculis unquam fuerunt ut Divini à Patribus recepti. Unicus præ cæteris sufficiat S. Hieronymus in Epist. ad Chromaticum & Heliodorum Episcopos ait: *Sicut ergo Judith & Tobiæ & Machabæorum libros legit quidem Ecclesia, sed eos inter Canonicas scripturas non recipit, sic & hæc duo volumina (Sapientiam & Ecclesiasticum) legit ad ædificationem plebis, non ad authoritatem Ecclesiasticorum Dogmatum confirmandam.* Ergo.

VI. In tantum illi libri forent, aut essent certo Divini, in quantum Concilium Tridentinum eos ut Divinos determinavit: atqui Concilium Tridentinum non potuit eos ut Divinos determinare, quia liber Divinus suam Divinitatem debet habere à Deo, quem auctorem agnoscit: ergo.

VII. Ex veteris testamenti libris illi tantum sunt Canonici, qui fuerunt in Canone Judæorum: atqui prædicti libri non erant in Canone Judæorum: ergo. maj. prob. Concilium Tridentinum non potuit libros, qui non erant in Canone Judæorum, declarare canonicos, nisi eos cognosceret esse Divinos ex traditione: atqui per traditionem non potuit hoc cognoscere nisi ex Canone Judæorum: ergo.

VIII. Canonem illum Ecclesia debuit habuisse à Judæis: ergo. ant. prob. Apost. ad Rom. c. 3. v. 2. dicit: *credita sunt illis*, scilicet Judæis, *eloquia Dei*: ergo.

IX. SS. Patres præsertim Hilarius præfat. in Ps. Hieron. in prol. gal. Nazianz. imo & Synodus Leodicena omnem veteris testamenti librorum certitudinem repetunt ex Synagogæ judicio: non enim alium sacrorum veteris testamenti librornm canonem, quam ex Synagogæ judicio ratum habuerunt: ergo censent non

ex

ex sola Ecclesiæ sententia dignosci, quinam libri ut Canonici admittendi sint, & quinam ut spurii rejiciendi.

X. S. P. Augustinus non alia ratione Judæos appellat Christianorum *Librarios* in Ps. 89. *Capsarios* in Psal. 40. & *Scrinarios* lib. 12. Contra Faustum c. 23. quam quia ex eorum judicio Christiani genuinos veteris testamenti libros spuriis relictis habuerunt; ergo.

XI. S. P. Augustinus concedit, ea, quæ in canone judæorum sunt, magis firma esse quam cætera: ergo omnem certitudinem librorum veteris testamenti repetit à canone Judæorum.

XII. Canon 85. Apostolorum recensens libros Divinos omittit *Tobiam*, *Judith*, *Ecclesiasticum*, & *Apocalypsim*, imo *Sapientiæ* librum positive excludit: ergo nec temporibus Apostolorum fuerunt isti libri habiti pro Divinis. Neque potest dici, quod Canones isti sint spurii, aut fictitii. Nam isti Canones ab orientalibus Ecclesiis recepti, & approbati fuerunt. Ergo.

XIII. Pontifex Gelasius in Conc. Rom. contexens sacrorum librorum Canonem, omittit secundum librum Esdræ, dicit enim: *Esdræ liber unus*; ergo.

SOLUTIONES.

Ad I. neg. maj. Quia Christus & Apostoli non ideo hos libros non allegarunt, quod Divini non essent, sed quia ad expugnandos Judæos minus idonei ab illis visi sunt, cum in Canone Judæorum non extiterint.

Ad II. Licet Patres ante IV. sæculum canonem non condiderint, laudaverunt tamen libros Deutero-Canonicos tanquam Divinos, ut S. Clemens Romanus, S. Ignatius, S. Justinus, S. Clemens Alexandrinus, S. Irenæus, Tertullianus, S. Cyprianus, quin & Origenes contra Julium Africanum vindicavit historiam Susannæ.

Ad III. Licet Veteres Prophetiam *Baruch* non reduxerint in Canonem ſub ejus nomine, ſed tanquam appendicem Jeremiæ ſpectaverint, eo quod Baruch ſuæ Prophetiæ multa inſeruerit, quæ ex Jeremia audierat, & tanquam ſcriba ejus ex ſcriptis ab eo dictatis collegerat, nihilominus inter libros Canonicos recenſetur à S. Athanaſio in epiſt. Feſtali, & ex eo ut libro Canonico nedum ad ædificationem plebis, ſed ad confirmanda Dogmata proferuntur teſtimonia à S. Baſilio l. 4. contra Eunomium, à S. Joanne Chryſoſt. orat. quod Chriſtus ſit Deus. & aliis pluribus.

Ad IV. Quod S. Doctor locutus fuerit, non ut ipſe, ſed ſicut ſentiunt Hebræi, qui illos libros non recipiunt, ita enim S. Doctor in Apologia ſua contra Ruffinum ſeſe explicat.

Ad V. neg. ant. ad prob. diſt. ant. Non fuerant in Canone Judæorum Eſdrino, conc. ant. in Canone Judæorum ab Eleazaro & 70. interpretibus facto, neg. ant. & conſeq. Libri *Tobiæ* & *Judith* cum primitus in linqua Chaldaica exarati fuerint, ab Eſdra & Synagoga SS. librorum Canoni non fuerunt inſerti, quia Hebræi alias eos tantum libros divinos agnoverunt, qui Hebraice ſcripti ſunt. Libri *Eccleſiaſtici*, *Sapientiæ*, & *ambo Machabæorum* tempore Eſdræ nondum prodierunt. ℞. 2. Et melius juxta dicta, quod unicus tantum fuerit Canon Hebræorum Eſdrinus: nos ſemper magis revereri debere judicium infallibile Eccleſiæ, cui adpromiſſa eſt aſſiſtentia Spiritus S. de cujus veritate prudenter dubitare non poſſumus: unde dicit Oſius Cardinalis: *Non Canon Hebræorum, ſed Eccleſia canonicas facit Scripturas.* Ad D. Hieron. dico: S. Doctorem hoc ſcribendo reſpexiſſe ad Canonem Judæorum Eſdrinum, in quo cum illi libri non extarent, eo ipſo à quibusdam dubitatum fuit, an ſint libri vere Divini? & hoc quidem impune, quia nulla adhuc Eccleſiæ definitio aderat, utpote quæ primo poſtea acceſſit Spiritu S. Eccleſiam ſuam ita dirigente. Et dum traditionem alle-

allegamus, non est necesse, ut ea sit mathematice uniformis, sed sufficit, quod potior & nobilior pars Ecclesiæ (quæ est latina) eos libros ut Divinos semper custodierit.

Ad VI. dist. maj. In tantum forent Divini divinitate extrinseca & relativa, conc. maj. divinitate intrinseca & absoluta, neg. maj. & sic dist. min. neg. conseq. Quantumvis libri Divini, eo ipso quia inspirati sunt, habeant suam Divinitatem intrinsecam & absolutam, nondum tamen habent divinitatem extrinsecam & relativam ad nos, saltem omnes, & quoad singulas suas partes, nisi per judicium Ecclesiæ nobis innotescat, eos esse libros vere Divinos juxta illud S. P. August. *Ego vero Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ commoveret authoritas.*

Ad VII. transmiss. maj. dist. min. atqui per traditionem &c. nisi ex canone Judæorum solo, neg. min. nisi ex canone Judæorum, vel peculiari Spiritus S. revelatione, vel traditione habita ab Apostolis, conc. min. S. P. August. lib. 18. de Civit. Dei c. 36. ait: *Libros Machabæorum non Judæi, sed Ecclesia pro Canonicis habet.*

Ad VIII. Verum quidem esse, quod eloquia Dei, sive libri sacri crediti fuerint Judæis, non quidem ut Ecclesia Christi à Synagoga instrueretur, quinam libri sint sacri, & quinam non sint sacri & divini, sed ut illos hæc conservaret.

Ad IX. neg. assumptum: quinimo nullus eorum cum canone Hebræo consentit: nam S. Hilarius loc. cit. dicit: quosdam admittere libros *Tobiæ* & *Judith*, nec ipse contradicit: & tamen hi duo libri in Hebræo canone ab Esdra confecto (quem solum genuinum agnoscunt Hebræi hodierni & Heterodoxi) non continentur. Item Greg. Nazianz. & Athan. non habent in suo indice librum *Esther*, qui tamen à Judæis ut genuinus habitus fuit in ipsorum Canone. S. Hieron. etiam, qui in Prol. Gal. dicit librum *Judith* à Judæis reputari inter Apocryphos; nihilominus diserte affirmat illum librum à Synodo Nicæna in-

 ter

ter Canonicos computatum esse. Unde patet, quod Patres illi adferentes canonem Judæorum, illum non allegent, ut sit unica regula ad dignoscendos libros sacros.

Ad X. S. P. August. eis in locis nihil aliud significare, quam quod ex peculiari Dei Providentia factum sit, ut Judæi tametsi Christianis infensi, nihilominus cum per totum pene terrarum orbem dispersi fuere, ubique sacra etiam deportarunt Biblia, quibus Christianæ Religionis Dogmata & mysteria à Prophetis pridem vaticinata facilius persuaderentur Ethnicis & Paganis, atque Judæorum error & obfirmata cœcitas efficacius convinceretur: ut explicat S. Pater in Psal. 40. circa finem.

Ad XI. dist. ant. S. P. August. concedit, ea, quæ in canone Hebræorum sunt, esse magis firma in ordine ad convincendos Paganos & Judæos, conc. ant. concedit absolute esse firmiora, neg. ant. S. Pater enim ibidem agit de disputatione contra Judæos, & ad hoc dicit firmiorem hos libros habere authoritatem, quos ipsi recipiunt, quam quos non recipiunt: item contra Paganos, ne putent nos confinxisse Prophetias, quas in Ecclesia Christi completas cernimus.

Ad XII. Certum esse, Canonem 85. qui hic objicitur, esse subreptitium, eo quod Scripturarum canoni adjiciat libros (puta duas *Clementis* Epistolas & ordinationes, ac tertium librum *Machabæorum*) communi conciliorum ac SS. PP. sententia rejectos.

Ad XIII. Gelasium non esse contra nos, quando dicit: *Esdræ liber unus:* in sua enim enumeratione Græcos & Hebræos secutus est, apud quos teste S. Isidoro & S. Hieron. liber 1. & 2. in unum librum coarctantur, & *Esdræ* 2. apud eos est, qui jam est 3. Apocryphus.

Obje-

Objectiones contra Canonem V. T. à Tridentino determinatum in particulari contra Librum Tobiæ.

Librum Tobiæ esse Divinum, negant Recentiores Hæretici Lutherus, Zwinglius, & Calvinistæ non alio ex fine, quam ut ulcus tegant, & sua prava dogmata tenacius tueri possint: liber enim *Tobiæ* continet eximiæ pietatis, & singularis patientiæ non tantum præclara documenta, sed & ipsorum bonorum operum laudandum meritum, quod Hæretici repudiant, & explodunt.

Verum quidem est, quosdam Catholicos etiam olim de libri hujus Divinitate dubitasse, sed jam amplius de eo, præsertim post Concil. Florent. & Trident. à Catholicis dubitari nequit, siquidem inter Scripturas canonicas ab illis Conciliis sit relatus, imo Gelasius Papa, Innocentius I. & Concil. Carthag. hunc librum ut Divinum agnoverunt.

Inter Latinos Patres S. Cyprianus de orat. Domin. eum *Scripturam Divinam* vocat: & Serm. de operibus & Eleem. *Scripturam, in qua loquitur Spiritus S.* S. Ambrosius eum vocat *Scripturam & librum Propheticum.* Item S. Isidorus lib. 6. Ethimolog. c. 1. dicit librum Tobiæ *Ecclesia Christi inter divinos libros & honorat, & prædicat.* S. Basilius, item Alexander I. ex libro Tobiæ probantem Trinitatem. Item Calixtus I. in epist. 2. allegans Tobiam ait: *Bene ait S. Scriptura,* Item Anacletus &c. Contra hunc ergo librum objiciunt Hæretici.

I. Pontifex non est infallibilis in declarando, quod *Jansenius* sit Author famosi voluminis, quia est quæstio meri facti: ergo Pontifex etiam non est infallibilis in definiendo, quod liber *Tobiæ* sit scriptus ab Agiographo, id est, Scriptore sacro, quia est etiam quæstio facti.

II. Potest Ecclesia falli in eo, an Author damnati libri sit *Jansenius?* ergo etiam potest falli in eo, an libri Sacri Author sit *Tobias.*

III. Ecclesia tantum illos libros admittit ut Canonicos, quos admisit S. Hieron. eosque reprobat, quos ille à Canone rejicit, ut patet can. *S. Romana Ecclesia*. Dist. 15. atqui S. Hieron. dicit, librum *Tobiæ* non esse canonicum in Prologo Galeato his verbis: *Hic prologus Scripturarum quasi Galeatum principium, omnibus libris, quos de Hebræo vertimus in latinum, convenire potest; ut scire valeamus, quidquid extra hos est, inter Apocrypha esse ponendum - - - Tobias & Pastor non sunt in Canone.* Ergo. Ne quis vero existimaret ipsum de solo Judæorum Canone fuisse locutum, præf. in Prov. ait: *Sicut ergo Judith & Tobiæ, & Machabæorum libros legit quidem Ecclesia, sed eas inter Canonicas Scripturas non recipit: sic & hæc duo volumina, scilicet Ecclesiastici & Sapientiæ legit in ædificationem plebis, non ad authoritatem Ecclesiasticorum dogmatum confirmandam.* Ergo.

IV. Liber *Tobiæ* non est Scriptus Hebraice, sed Chaldaice teste S. Hieron. præf. in hunc librum: ergo hic liber non est Canonicus.

V. Hic liber continet varias Antilogias, & contradictiones: nam c. 3. v. 7. *Sara Raguelis* filia, quam *Tobias* junior ducturus erat in uxorem, dicitur habitasse in *Rages* civitate *Medorum*: ubi etiam dicitur habitasse *Gabelus* cap. 4. v. 21. atqui peractis *Tobiæ* nuptiis dicitur Angelus *Raphael* missus à *Tobia in Rages* civitatem *Medorum* ad *Gabelum* pecuniæ debitorem, sic enim dicitur c. 9. v. 3. *Vadas ad Gabelum in Rages civitatem Medorum.* Ex quibus omnibus hoc fit argumentum: non in eam urbem Missus est Raphael à Tobia juniore, in qua hic Saram Raguelis filiam matrimonio sibi junxit: atqui eam matrimonio sibi junxerat in Rages civitate Medorum: ergo non in Rages ad Gabelum mitti potuit Angelus, ut ab eo pecuniam creditam reciperet: vel Sara & Gabelus non erant in Rages, uti c. 3. v. 7. &c. 5. v. 8. refertur.

VI. Non eſt cenſendus Liber Canonicus, qui Angelum mendacii artificem exhibet: atqui hoc fecit hic liber *Tobiæ*: ergo. min. prob. c. 5. v. 7. interrogatus Raphael à Tobia juniore, unde eſſet? reſpondit: *ex filiis Iſrael.* Et v. 8. interrogatus an noſcat viam, *quæ ducit in regionem Medorum?* ait, *novi: & omnia itinera ejus frequenter ambulavi, & manſi apud Gabelum fratrem noſtrum.* Deinde rogatus, *de qua domo, aut de qua tribu es tu?* v. 18. ait: *Ego ſum Azarias, magni Ananiæ filius.* Et c. 7. v. 3. rogatus à Raguele: *unde eſtis juvenes?* dicit: *Ex tribu Nepthali ſumus, ex captivitate Ninive;* atqui iſta omnia ſunt mendacia, ab Angelo prorſus aliena: ergo.

VII. Cap. 6. v. 8. dixit Angelus de corde piſcis, quem Tobias jubente Angelo apprehendit branchia ejus: *Cordis ejus particulam, ſi ſuper carbones ponas, fumus ejus extricat omne genus dæmoniorum, ſive à viro, ſive à muliere, ita ut ultra non accedat ad eos.* atqui hoc fabuloſum, ſuperſtitioſum, & ſanæ Theologiæ diſſonum eſt: quippe quæ in rebus corporeis efficaciam in ſpiritus non agnoſcit: ergo.

VIII. S. Th. 1. p. q. 115. a 5. ait: *Dicendum, Dæmones eſſe ſubſtantias intellectuales, corporibus non unitas. Unde patet, non ſubdi actioni cæleſtium corporum, nec per ſe, nec per accidens, nec directe nec indirecte*: ergo.

IX. In textu 70. c. 6. v. 15. dicitur: *Septem viros Saræ à dæmone occiſos fuiſſe: quoniam dæmon eam diligebat:* atqui falſum eſt ſpiritum carnaliter dilexiſſe *Saram*, & ex zelotypia viros illius ſeptem occidiſſe; ergo.

X. Cap. 13. v. 11. Supponitur devaſtatio Jeruſalem: atqui hoc repugnat tempori: captus enim eſt Tobias in diebus Salmanazar, ut dicitur c. 1. v. 9. ac proinde ante captivitatem Babylonicam, in qua templum, & Jeruſalem tantum devaſtata ſunt; quomodo ergo potuit Tobias, qui tantum vixit centum & duobus annis, ut habetur Tobiæ c. 14. v. 2. ſupponere de-

va-

vastationem Jerusalem, quæ contigit circiter centum & triginta quatuor annis post, ut constat ex libris Regum. Deinde c. 14. v. 7. Tobias moriens filio suo dicit: *Domus Dei, quæ in ea incensâ est, iterum reædificabitur*: ubi loquitur de incendio templi tanquam præterito, quod tamen diu post contigisse certum est. Ergo.

XI. Historia Tobiæ repugnat aliis libris Canonicis: maxime 4. Reg. c. 15. v. 29. ubi legimus: *In diebus Phacee Regis Israel venit Theglatphalasar Rex Assur, & cæpit Ajon, & Abel domum, Maacha & Janue, & Cedes, & Asor, & Galaad, & Galilæam, & universam terram Nepthali, & transtulit eos in Assyrios.* Et c. 1. lib. Tobiæ, ipse dicitur esse *ex Tribu & civitate Nepthali* in captivitatem abductus *à Salmanasar* Assyriorum Rege, qui diu post *Theglatphalasar* regnavit: ex quibus tale fit argumentum: *Theglatphalasar* expugnavit, & abduxit universam Tribum Nephthali: ergo Tobias non potuit se dicere de Tribu Nephthali, & captum in diebus Salmanasar Regis Assyriorum.

XII. Falsitas hujus libri patet ex c. 14. ubi dicitur. Tobias completis 102. annis sepultus; atqui si hoc sit verum, falsificatur hic liber v. 3. ubi dicitur: quod lumen receperit anno vitæ suæ 116. si enim lumen amiserit, dum erat 56. annorum, & sexagenarius receperit, jam simul facient annos 116. ergo.

SOLUTIONES.

AD I. Conc. ant. neg. conseq. disp. est: quod Pontifex possit definire doctrinam aliquam esse damnatam, absque eo, quod definiat v. g. doctrinam illam esse *Jansenij*: definire autem non potest librum aliquem esse Scripturam S. absque eo, quod definiat esse à Deo, sive ab Agiographo, id est, Scriptore sacro Spiritu S. inspirante conscriptum.

Ad

Ad II. Conc. totum: de fide enim non est, Tobiam esse hujus libri Authorem secundarium, nec hoc definit Ecclesia, sed tantum quod sit liber Canonicus, ad quod plane indifferens est, an ab hoc vel ab illo sit conscriptus? sed sufficit, quod Deus illius sit Author primarius.

Ad III. Verba S. Hieron. esse cum distinctione accipienda: ut quando dicit libros aliquos non esse Canonicos, de priori canonicorum ordine voluminum, non vero de posteriori eum esse intelligendum; duo enim sunt voluminum Canonicorum ordines, quorum prior continet libros, de quorum fide & authoritate nulla fuit unquam inter Ecclesiæ Patres controversia: & vocantur libri Proto-Canonici; posterior vero complectitur libros, qui non statim ab exordio nascentis Ecclesiæ fuerunt recepti, sed sequentibus tantum sæculis, cum de illis dubia prius & diversa fuissent judicia, & hi vocantur Deutero-Canonici. Liber Tobiæ, Judith &c. non sunt de ordine priorum, sed posteriorum. Præterea, etsi hi libri in canone Synagogæ non sint recepti, satis est ad eis fidem & venerationem conciliandam, quod in canone Ecclesiæ à Tridentino fuerint positi: majoris siquidem authoritatis est Ecclesia quam Synagoga, utpote pleniorem & uberiorem habens Dei assistentiam.

Petes: quomodo fieri potuerit, ut Tobiæ liber ante Esdram editus, non fuerit ab eo cum aliis libris sacris in canonem Hebræorum relatus? ℟. Id forte factum ex eo, quod, cum illo tempore populus Israeliticus maximis difficultatibus in captivitate Babylonica fuerit jactatus, libris conscribendis vacare non potuerit. Unde eo tempore rarissima erant sacrorum librorum exemplaria, maxime eorum quæ erant recenter edita, nec adhuc publica Synagogæ authoritate probata, qualis erat liber Tobiæ. Hinc Esdras quantumvis studiosus ac diligens omnes gentis suæ historias, & veteris memoriæ monumenta à suis conscripta, colligere non potuit.

Ad IV. Neg. conſeq. Nec enim ſequitur inde hunc librum non eſſe Canonicum: certe Spiritus S. æque potuit dictare Chaldaice quam Hebraice. Etiam Daniel & Esdras teſte S. Hieron. in Danielem. Chaldaice ſunt ſcripti, & tamen in Canone Hebræorum ponuntur. Nec mirum hunc librum Chaldaice vel Syriace fuiſſe conſcriptum, cum hiſtoria hæc contigerit in Chaldæa, vel Aſſyria, vel Media.

Notandum: ante verſionem Hieronymi extitiſſe interpretationem Græcam libri *Tobiæ*, & latinam: illa enim uſos fuiſſe legimus Polycarpum epiſt. ad Philipp. & Clementem Alexand. lib. 1. Stromatum.

Ad V. Nullam in his locis eſſe antilogiam: nam in *Media* duæ fuerunt civitates eodem nomine *Rages*: ſicut in Palæſtina duæ urbes dicuntur *Bethleem*. Unde c. 5. v. 8. de Gabelo dicitur: *qui moratur in Rages civitate Medorum, quæ poſita eſt in monte Ecbatanis*, quod videtur additum ad differentiam alterius *Rages*. Hinc poteſt hic textus ita explicari: quod Tobias junior cum uxore ſua & comite Angelo ac Raguele ejusque conjuge ab inito matrimonio duas egerit hebdomadas, ut adjuraverat Raguel c. 8. in domo rurali: Raguel enim cum eſſet ditiſſimus, varias habuit domos, unam in civitate *Rages*, aliam ruri, in qua tunc morabatur; dicitur enim habitare Romæ, qui Tuſculi, vel in loco vicino, vel alibi in agro Romano habitat: cum ergo jam tempus urgeret in patriam redeundi, Tobias ad Gabelum in civitate Rages commorantem delegavit Azariam, ſeu Angelum Raphaelem, ut pactam pecuniam ab eo reciperet. Quando ergo Angelus Raphael, ut dicitur c. 9. v. 6. aſſumptis quatuor ſervis Raguelis perrexit in civitatem Rages, Tobias cum univerſa conjugis ſuæ familia remanſerat in domo Raguelis, in villa ſcilicet, quam in agro vicino Rages poſſidebat Raguel, ad quam invitatus à Raphaele Gabelus, cum cæteris convivium egit.

Ad

Ad VI. Omnia Raphaelis responsa nil nisi veritatem, licet verbis obscuris obvelatam, spirare. Unde ad 1. Raphaelem sine mendacio potuisse dicere, se esse ex filiis Israel, vel quia justorum gens censetur Israelitica: vel quia Israel idem est, ac videns Deum: Angeli autem semper vident Deum: vel quia ad Israelitarum custodiam tribus Nepthali specialiter erat deputatus. Ad 2. vere dixit: *mansi apud Gabelum fratrem nostrum:* Angeli enim & homines Deum Patrem habent naturæ spiritualis similitudine, gratiæ sanctificantis adoptione, & Divinæ hæreditatis scilicet felicitatis æternæ adeptione: potuit itaque Angelus Raphael Gabelum appellare fratrem suum: & cum ad ejus costodiam specialiter, uti & Israelitarum esset deputatus, vere dixit, sese viam Medorum, & Gabelum nosse, apud eum mansisse, & itinera ambulasse frequenter. Ad 3. Verissime se nominavit *Azariam Ananiæ magni filium:* 1. quia ut ait S. Athan. in Synopsi. Raphael Tobiam comitatus assumpsit effigiem & formam Azariæ, ejusque personam præseferebat. 2. Cum teste D. Greg. hom. 34. in Evang. Angeli in se non habeant nomina, sed ea sortiantur ratione ministerii, quod apud homines agunt: & Raphael idem sit quod curatio Dei, quia ipse cæcitatem Tobiæ curavit, ideo recte se vocat Azariam, id est, auxilium vel adjutorium Dei. Ergo tam ratione formæ quam effigiei Azariæ à Raphaele assumptæ, quam ratione significationis nominis Azariæ verum dixit. Ad 4. Vere respondit Ragueli pro se & Tobia: *de Tribu Nephthali sumus*, intellige, ille genere, ego protectione, ille per naturæ generationem, ego per deputationem Divinam.

Ad VII. In hoc facto nihil esse fabulosi, ut perperam volunt Hæretici: nam secundum ipsos non est fabulosum, quod 1. Reg. c. 16. v. 23. narratur de Cythara Davidis. Ipsi enim librum 1. Regum admittunt ut Divinum, consequenter dicere non possunt in eo aliqua fabulosa contineri: si ergo fabula non

ſit, Cytharam Davidis à Saule repulſaſſe ſpiritum malum, quare fabuloſum erit; fumum cordis extricare omne genus dæmoniorum. 2. Nihil hic eſſe ſuperſtitioſi, ut enim docet S. Th. 2. 2. q. 96. a 2. ſuperſtitioſum eſt uti rebus naturalibus ad aliquos effectus, ad quos certo conſtat virtutem naturalem non habere; quod hic factum non fuiſſe mox ex ſubſequenti conſtabit tertia reſponſione. 3. Nihil in hoc facto ſanæ Theologiæ diſſonum eſſe, nam cordi ſive jecori hujus piſcis infuit vis naturalis & phyſica, quæ *directe* agens in corpore Tobiæ & Saræ ſedando motus carnis effrænatos & concupiſcentiæ, qui cauſa fuere, quare diabolus ita inſidiatus fuerat viris Saræ, & illos occiderat, ut patet ex verbis Angeli c. 6. v. 16. *indirecte* ad expulſionem dæmonis cooperata fuit ſubtrahendo ei materiam & occaſionem tentandi: quem ſic devictum virtute Dei Angelus ulterius fugavit. Si enim herbis vis ineſt naturalis refrænandi libidinem, cur non & jecori piſcis. Piſcem hunc fuiſſe Callyomynum, cujus fel juxta Plinium habet virtutem naturalem ad ſanandum oculos, in quibus eſt albugo, quod etiam hic affirmat Angelus c. 6. v. 9. ſic etiam de corde & jecore hujus piſcis dicendum, quod habet virtutem naturalem directe ad ſanandos motus concupiſcentiæ, indirecte in dæmonem.

Ad VIII. S. Th. tantum velle in dæmones, cum ſint ſubſtantiæ ſpirituales, nihil à rebus corporeis poſſe imprimi; nos vero nullam hic aſſerimus qualitatem Dæmoni ab illo fumo fuiſſe impreſſam, ſed tantum fumum illum egiſſe in corpora Tobiæ & Saræ, tollendo diſpoſitionem libidinoſam, illamque moderando, qua ſicut materia utebatur dæmon ad priores Saræ maritos tentandum.

Ad IX. Textum non dicere abſolute dæmonem Saram adamaſſe, ſed ſolum Tobiam hoc dixiſſe, qui cum eſſet juvenis, facile vulgi rumoribus potuit credidiſſe, & putaſſe, dæmonem priores Saræ maritos ex Zelotypia occidiſſe.

Ad

Ad X. Tobiam c. 13. v. 11. locutum fuisse prophetice de excidio Jerusalem, & c. 14. v. 7. de incendio templi futuro tanquam præterito: sicut Isaias c. 53. v. 2. quasi Christi passio jam præteriisset, ait: *Vidimus eum*, scilicet Christum, *& non erat aspectus - - - vere lanquores nostros ipse tulit.* Idque frequentissimum est apud Prophetas. Quod vero illa Tobiæ locutio prophetica sit, colligitur ex textu græco, in quo Tobias in futuro dicit: *Jerusalem erit deserta, Domus Dei in ea comburetur.*

Ad XI. Tribum Nepthali non ita universam à Theglatphalasar expugnatam, ut omnes ad unum usque in captivitatem abduxerit, neque senibus, neque infantibus, & plebæis victori inutilibus parcitum fuerit; itaque verosimile est ab hac calamitate ereptum fuisse Tobiam adhuc Juniorem, qui forte divina sic disponente providentia eo tempore, quo facta est à Theglatphalasar in Israelitas irruptio, Jerosolymam Deum adoraturus, ut solebat, abierat.

Ad XII. Nullam in eo reperiri falsitatem, si bene intelligatur: v. enim 3. dicitur: *quinquaginta & sex annorum lumen oculorum amisit, sexagenarius vero recepit:* quæ sic intelligenda sunt, quod Tobias post 56. annos lumen oculorum amiserit, & deinde post 4. quando jam sexagenarius erat, ipsum receperit; non autem 60. anni separatim numerandi sunt ab illis 56. & sic Tobias non debuit fuisse mortuus anno vitæ suæ 116. sed dum erat 102. annorum, ut dicitur c. 14.

Objectiones contra Librum Judith.

Librum Judith esse Canonicum & antiqui Patres Clemens Romanus, Clemens Alexand. Origenes, Tertullianns, Isidorus, Hilarius & S. P. Augustinus testantur: Item in Concil. Carthag. ab Innocentio I. & in Concilio Romano sub Gelasio inter Canonicos recensitus est. Item teste S. Hieron. præf. in li-

librum Judith. eum inter Canonicos computat Synodus Nicæna. Item Concil. Trid. Seſſ. 4.

Soli Hæretici hunc librum Judith eſſe Canonicum negant. Neque alio ex fine è Canone hunc librum expungunt, niſi quia commendat caſtitatem.

Libri *Judith* radix Hebraica eſt *bodà*, *confeſſus eſt*, *celebravit*, nempe Dominum; non vero *Jadàth*, cum in linqua Hebraica non detur radix *Jadàth*. Contra hunc librum objiciunt Hæretici.

I. Falſum eſt librum Judith à Nicæna Synodo ut Canonicum receptum: ergo. ant. prob. S. Hieron. præf. in librum Judith dicit: *Hunc librum Nicæna Synodus in numero ſanctarum Scripturarum legitur computaſſe:* atqui inter ſanctas Scripturas computare non eſt definire eum eſſe Canonicum: nemo enim unquam negavit, librum Judith eſſe ſanctum, ſed Adverſarii tantum volunt, illum non eſſe plenæ authoritatis ad fidei Dogmata confirmanda; ergo.

II. Aut damnandi ſunt Patres, qui poſt Nicænam Synodum librum Judith non habuerunt ut Canonicum, aut damnandi non ſunt? Si primum: facile patiemur cum his viris damnari. Si ſecundum: cur ergo nos damnamur? quando agimus, quod tanti Patres egerunt. Ergo.

III. Jure recuſant Hęretici librum Judith agnoſcere ut Canonicum: ergo. ant. prob. Ille liber eſt merum figmentum; ergo. ant. prob. Hiſtoriæ Judith apud Joſephum aut alios, qui res eo tempore geſtas ſcripſerunt, non fit mentio: ergo.

IV. Hæc hiſtoria à Scriptoribus prætermiſſa fuit, quia fabulam ſapit: ergo. ant. prob. In præfatione hujus libri mentio fit *Bethuliæ:* atqui Bethulia nullibi extat, vel nota eſt, aut aſſignetur: ergo.

V. Hic liber inter Canonicos numerari non poteſt: ergo. ant. prob. c. 7. v. 2. dicitur: *Erant autem pedites bellatorum centum*

viginti

viginti millia, & equites viginti duo millia. Et c. 2. v. 7. nonnisi equitum duodecim millia recensentur. ergo. In Græco discrimen etiam occurrit, nam c. 7. v. 2. dicitur: *Virorum peditum centum septuaginta millia; & equitum millia duodecim.* Et c. 2. v. 7. *Myriadas* duodecim virorum electorum numerat, & equites sagittarios duodecim millia, id est, centum viginti millia electorum virorum peditum; ergo.

VI. Cap. 4. v. 3. dicitur: *Et miserunt in omnem Samariam per circuitum usque Jericho, & præoccupaverunt omnes vertices montium.* Atqui hic est error: quia filii Israel non potuerunt mittere in omnem Samariam: ergo. min. prob. verum quidem est, quod Israel discesserit à Juda paulo post mortem Salomonis, & quod tunc temporis Samaria fuerit caput Regni Israel, sed aliquibus annis ante Manassen jam venerat Samaria sub potestate Assyriorum, ut patet ex 4. Reg. c. 17. v. 6. Ergo.

VII. Omnia, quæ habentur in hoc libro, sunt incerta: ergo. ant. prob. Circa tempus, quo hæc historia contigisse dicitur, invicem opponuntur Authores Catholici, nec de Nabuchodonosore quis esset, nec de aliis in hoc libro expressis conveniunt: ergo.

VIII. Falsum est, quod Judith dicit c. 8. v. 18. *Quoniam non sumus secuti peccata patrum nostrorum, qui dereliquerunt Deum suum, & adoraverunt deos alienos, pro quo scelere dati sunt in gladium, & in rapinam, & in confusionem inimicis suis: nos autem alterum Deum nescimus præter ipsum.* ergo. ant. prob. Sive hæc historia dicatur contigisse tempore Manassis, sive postea, hæc falsa sunt: ergo. ant. prob. Tempore Manassis omnia plena erant idololatria, & immunditiis, ut traditur 4. Reg. c. 21. Et postea populus adhuc immolabat in excelsis, ut habetur 2. Paralip. c. 33. Ergo.

IX. c. 8. dicitur Judith de Tribu Ruben, sic enim v. 1. ipsius genealogia refertur: atqui hoc est falsum; quia Judith cla-

clare c. 9. afferit fe effe de Tribu Simeon dicens: *Deus Patris mei Simeon;* ergo.

X. Judith c. 9. vocat Simeonem Principem familiæ Jacob, patrem fuum: ergo Judith non erat de Tribu Ruben, fed de Tribu Simeon.

XI. Ab errore excufari non poffunt hæc verba Judith c. 9. v. 2. *Domine Deus patris mei Simeon, qui dedisti illi gladium in defensionem alienigenarum*: atqui Simeon alienigenas non defendit, fed oppugnavit, ac perdidit: ergo.

XII. Cit. loc. Judith approbat, & fummis laudibus in cœlum effert, ipfique Deo attribuit factum Simeonis: atqui illud factum Jacob Gen. 34. & 49. deteftatur, & *maledictum furorem* vocat; ergo.

XIII. Judith in fua oratione laudat Simeonem & Levi, eo quod Deus eis dederit prædam, quia zelaverunt zelum legis ejus: atqui juxta datam folutionem nullus zelus Dei fuit in illis: ergo.

SOLUTIONES.

Ad I. S. Hieronymum per *fanctas Scripturas* intelligere libros Canonicos: nam dicit ibidem: *Apud Hebræos liber Judith inter Agiographa legitur, cujus autboritas ad roboranda illa, quæ in contentionem veniunt, minus idonea judicatur.* Ubi S. Hieron. de mente Hebræorum dicit librum Judith inter *Agiographa*, id eft, *Sancta* computari, fed effe minus idoneum ad confirmandas res fidei: cui Hebræorum opinioni oponens authoritatem Nicænæ Synodi addit: *fed quia hunc librum Nicæna Synodus in numero Sanctarum Scripturarum legitur computaffe*; ergo de mente S. Hieron. Nicæna Synodus eum ita in numero Sacrarum Scripturarum computavit, ut eum idoneum effe cenfuerit ad fidei dogmata confirmanda. Unde obfervandum, quod S. Hieron poft Ni-

cæni

cæni Concilii sententiam tacite retractaverit id, quod de libro Judith in Prologo suo Galeato dixerat.

Ad II. Damnandos non esse Patres, qui post Nicœnam Synodum librum Judith non habuerunt ut canonicum, ex eo, quod certi non essent de hujus libri à Synodo Nicæna facta inter sacros relatione: si enim de ea certi fuissent: absque ullo dubio eum ut sacrum admisissent.

Ad III. neg. ant. ad prob. neg. ant. ad ejus prob. dico: rationem, cur Josephus de Historia Judith sileat, esse hanc, quia nonnisi historias libris Canonicis insertas recitare solet, & in Canone Hebræorum liber Judith non habetur. Imo Serarius observat in Judith proleg. 4. quod Josephus forte in alio libro aliquo de his egerit, cum lib. 10. Antiq. c. 3. promiserit, se de Assyriorum ac Medorum rebus acturum. Præterea dicendum: hoc argumentum nullius esse roboris, quod adversus libri Judith, ac etiam libri Tobiæ dignitatem & authoritatem ex Josephi silentio ducitur: nam & Jobi historiam, & infantium cœdem, aliaque prætermisit.

Ad IV. neg. ant. ad prob. conc. maj. neg. min. Nam *Serarius* in c. 6. q. 1. dicit: *Bethuliam* esse *Galilææ* urbem in Tribu *Zabulon* in monte sitam, non procul ab urbibus, quas antea c. 3. expresserat Scriptura. *Brocardus* & ex eo *Menochius* exponit sic: *A Nephtalim, de qua in Tobia, tres sunt Leucæ ad Dothaim castrum sub monte Bethuliæ, ubi Joseph erravit fratres quærens - - - De Abelina est una Leuca ad montem Bethuliæ, ubi Judith occidit Holofernem, qui mons per totam ferme Galilæam cernitur. A Bethulia est una Leuca ad civitatem Tiberiadis: unde inter Orientem & Austrum supra mare Galilææ, quod dictum est mare Tiberiadis.*

Ad V. neg. ant. ad prob. dicit *Serarius* in c. 7. quod initio non fuerint nisi equitum Sagittariorum duodecim millia: expectabantur tamen ex gentibus, quæ regi parebant, aut ei confœderatæ erant, plura millia, quibus advenientibus ad viginti

duo millia crevit exercitus. Ita etiam hunc locum explicat *Tirinus* c. 7. ad illa verba: *equites viginti duo millia:* dicens: *Accesserunt ergo ex Syria decem millia ad illa duodecim millia, quæ Holofernes c. 2. v. 7. ex Syria secum eduxerat.* Quantum vero ad textum Græcum attinet: conjicit *Serarius*, errorem esse in ipsis numeris.

Ad VI. dicendum, quod post reditum à captivitate Babylonica, dum ad sua cuique data est redeundi potestas, sine dubio non solum possessiones & bona eis fuerint reddita, sed & quoddam concessum Regiminis imperium sub Assyriorum tamen, seu Persarum Rege. Itaque tunc Judæi non ita arctarunt fines suos, quin miscerentur tribus: nam & *Judith* ex *Simeonis* Tribu habitasse legitur in *Bethulia*, quæ ad Tribus *Zabulonis* sortem pertinebat: adeoque *Samariam* occupabant, ac sub *Eliacim* Summi Pontificis, dum ista contigerunt, imperio vivebant, nec Assyrii in *Judæa* ac *Samaria* potiores partes obtinebant. Cumque indifferenter passim è captivitate reduces regiones illas inhabitarint, mirum non est, quod ad Summi Pontificis nutum cuncta administrarentur, adeoque ad omnes ob causam communem Pontifex miserit: illo siquidem tempore nec erat distinctio regni *Israelis* & *Judæ*, cum nulla esset regni forma, sed sub Summo Pontifice omnes tunc in his regionibus degerent.

Ad VII. Si hoc argumentum concluderet, deberet, etiam negari liber Genesis, quia circa initium mundi centum & decem recensentur opiniones. Etiam *Abrahæ* historia deberet dici conficta, quia de anno ætatis, quo eum à *Tharæo* genitum Scriptura commemorat, in varias abeunt opiniones tam Catholici quam Hetherodoxi Interpretes: incertum proinde hujus historiæ tempus veritati ejus adversari minime potest. Imo quare Heretici recipiunt *Estheris* historiam ut Canonicam? de cujus tempore, ac *Assveri* non minores extant lites.

Ad

Ad VIII. Dist. ant. Falsum est, quod Judith dicit c. 8. v. 18. Si verba illa extendantur ad universam Hebræorum gentem, transf. ant. si intelligantur de sola civitate Bethuliæ, neg. ant. & conseq. Judith ergo solum locuta fuit de sua civitate Bethulia, quæ aliis deficientibus in vera perseveravit Religione: quæ perseverantia illi erat motivum & civibus, quod spem firmam de Divino conceperint auxilio. Quod si tamen quis verba illa Judith extendere velit ad universam Judæorum gentem: tunc dicendum, quod licet populus sacrificaret in excelsis, Judith nihil falsi dixerit, cum sacrificare in excelsis non fuerit peccatum idololatriæ, sed ad summum aliud peccati genus contra determinatum locum sacrificii à Deo præscriptum: Judith autem loquitur præcise de scelere idololatriæ, à quo immunis suos concives Bethulienses, & communiter Judæos prædicat.

Ad IX. *Simeonem*, de quo Judith c. 8. non esse Principem familiæ *Jacob*, sed alium ex familia *Ruben*, cujus etiam familiæ erat *Judith*, non tamen filium *Ruben*, sed cognatum ejus; ideo dum Gen. c. 46. v. 9. Item 1. Paralip. c. 5. v. 3. referuntur filii *Ruben*, non refertur nomen *Simeonis*, quia ibidem nomen filij sumitur stricte, in genealogia autem *Judith* late, prout etiam nepotes tales dici possunt; sic *Joseph*. Gen. c. 45. v. 8. Patrem se appellat *Pharaonis*, cum tamen Pater non esset. Item Esth. c. 13. v. 6. *Aman* vocabatur pater *Assueri*, & tamen non fuit.

Ad X. Quando *Judith* c. 9. vocat *Simeonem* (qui certe erat Princeps familiæ *Jacob*, & secundus natus post *Ruben*) Patrem: non vocat eum patrem generatione, sed veneratione, aut imitatione: quia veniebat Judith in mentem, quomodo *Simeon* gladio *Sichimitas* interfecerit ulciscens raptum ac stuprum *Dinæ*, sororis suæ; sic & Ipsa contra *Holofernem* ejus pudicitiam tentaturum fortiter *Simeonis* exemplo insurgeret.

Ad XI. Ly *in defensionem* idem esse ac *in ultionem*: unde juxta *Serarium* in textu Græco habetur, *gladium in ultionem*: nam

vox illa *in defensionem*, qua utitur vulgata, id significat. Sic Paulus ad Rom. c. 12. v. 19. dicit: *Non vosmetipsos defendentes charissimi*, id est, *non ulciscentes*, *non vindictam sumentes*, quia statim additur, *mihi vindicta*.

Ad XII. dist. maj. cit. loc. *Judith* approbat, & summis laudibus effert factum *Simeonis absolute*, neg. maj. laudat factum *Simeonis*, sicut à *Jeremia* laudatur factum *Nabuchodonosoris*, conc. maj. & sic dist. min. neg. conseq. Judith ergo absolute non laudat factum Simeonis, quod *Jacob* Gen. c. 49. v. 5. *maledictum furorem*, pertinacem & indignationem duram vocat, sed solum Judith laudat hoc factum *Simeonis*, uti *Jeremias* laudat factum *Nabuchodonosoris* c. 25. v. 9. ubi dicit: *Ecce ego mittam, & assumam universas cognationes Aquilonis, ait Dominus, & Nabuchodosor Regem Babylonis servum meum*: ubi *Nabuchodonosor* aliique Gentiles à Deo potestatem, opes, vires, & arma acceperunt ad Judæorum peccata punienda, ut ibidem dicitur: ex eo tamen, quod Deus illis usus sit ad punitionem populi Judaici, & quod illi tanquam instrumenta ad hoc Deo deservierint, non censentur laudari, quamvis Propheta eos vocet *servos Dei*; sic etiam *Judith* dum *Simeonem* & *Levi* vocat *servum Dei*, quibus Deus gladium dedit ad ulciscendum, quo sensu ipsa pro defensione gentis suæ fortitudinem à Deo petit ad occidendum *Holofernem*, non censetur *Simeonem* & *Levi* velle laudare, quorum factum in libro Genesis reprobatur. Pro hujus majori notitia.

Observandum: Gen. c. 34. v. 2. historiam totam ita narrari: *Dinam cum vidisset Sichem, filius Hemor Hevæi, Princeps terræ illius, adamavit eam, & rapuit, & dormivit cum illa, opprimens virginem.* v. 7. *Auditoque quod acciderat, irati sunt valde filii Jacob, eo quod fœdam rem operatus esset in Israel, & violata filia Jacob rem illicitam perpetrasset.* Fecit ergo pater *Sichem*, quod potuit apud *Jacob*, ut filio suo *Sichem* filiam ejus *Dinam* daret in uxorem. *Responderunt filii Jacob Sichem & patri ejus in dolo*, se

ei

ei daturos ſororem ſuam, ſi ipſe & gens ſua recipere velint circumciſionem, quod & factum eſt. Jam v. 25. habetur: *Et ecce die tertio, quando graviſſimus vulnerum dolor eſt: arreptis duo filii Jacob Simeon & Levi fratres Dinæ gladiis ingreſſi ſunt urbem confidenter (nam ratione fœderis ut amici habebantur) interfectisque omnibus maſculis, Hemor & Sichem pariter necaverunt, tollentes Dinam de domo Sichem ſororem ſuam: quibus egreſſis irruerunt ſuper occiſos cæteri filii Jacob, & depopulati ſunt urbem in ultionem ſtupri: Quibus perpetratis audacter Jacob dixit ad Simeon & Levi: turbaſtis me, & odioſum feciſtis me &c.* Et c. 49. v. 5. dicitur: *Simeon & Levi fratres vaſa iniquitatis bellantia: in conſilium eorum non veniat anima mea -- maledictus furor eorum* &c. Hoc autem factum à *Jacob* maledictum ſummis laudibus extollit *Judith*, imo ipſi Deo attribuit c. 9. v. 2. dicens: *Domine Deus patris mei Simeon* &c.

Ad XIII. Diſt. maj. quia zelaverunt zelum legis ejus zelo proprio neg. maj. zelo improprio, & qualem etiam habent inimici Dei, quibus tamen Deus utitur, conc. maj. & ſic diſt. min. neg. conſeq. Etiam Zachar. c. 1. v. 14. legitur: gentes, quæ Deum adjuverunt in malum, improprie zelaſſe dicuntur zelum Dei; ita & hic *Simeon* & *Levi* improprie *Zelaverunt zelum Dei*, hoc eſt, zelum, quem Deus habebat: nec ideo majori laude digni ſunt, quam Nabuchodonoſor.

Dices: Hæc ſolutio eſt contraria textui Græco: nam in hoc c. 9. v. 3. dicitur: quod *Simeon* & *Levi* non ſolum zelaverint zelum Dei, ſed etiam *nominantur filii à Deo dilecti*: nam textus ita habet: *Dediſti uxores eorum in direptionem, & filias in captivitatem, & omnia ſpolia in diſtributionem filiorum dilectorum à te, qui etiam zelaverunt zelum tuum* &c. Atqui hæc ſunt contraria illi, quod de illis dicitur Gen. c. 49. ergo. ℞. Diſt. maj. ſed etiam nominantur filii à Deo dilecti, & ſecundum textum verba illa debent intelligi de Simeone & Levi, neg. maj. de aliis

fratribus intelligi debent, conc. maj. & sic dist. min. neg. conseq. Judith ergo c. 9. v. 2. nullam facit mentionem de fratribus Simeonis, bene tamen v. 3. ubi de singulari transivit ad plurale, ubi non agit de solo Simeone, sed de aliis filiis Jacob, de quibus hic non est conquestus: ex quo clare sequitur, quod cæteri filii Jacob præter *Simeonem* & Levi fracti fœderis & cædis non fuerint rei: & sic ex zelo Dei, & forte ex mandato Dei potuerunt urbem diripere: ergo hi non illi laudantur à Judith.

Objectiones Contra Librum Job.

LIbri hujus Authorem non esse Jobum, sed Moysen, gravissimi propugnant Authores: & merito: nam Moyses, non Job primus fuit scriptor Canonicus ex communi sensu librorum, quos saltem defacto habemus: quod non verificaretur, si Job hujus libri esset Author, cum Job ætate Moysen præcesserit. Præterea liber Job est admissus ab Hebræis in Canonem SS. Scripturarum: atqui si Job illius esset Author non fuisset admissus in Canonem Judæorum, eo quod Job non fuerit ex filiis Israel, sed Idumæus vel Arabs, qui ab Hebræis pro hostibus habebantur, adeoque Hebræi non admisissent in suum Canonem librum ab hoste gentis suæ conscriptum. Accedit, quod juxta S. Hieron. præfat. in hunc librum: liber Job sit Hebraice conscriptus, quamvis aliqua vocabula Arabica in eo legantur, præsertim quando introducuntur amici ad ipsum loquentes: atqui Job debuisset scripere Arabice vel Syriace, hæc enim fuit linqua ipsius.

Librum Job esse proto-Canonicum, apud Catholicos non est dubium: illum enim admisit antiqua Synagoga, & Ecclesia Catholica in multis Conciliis Provincialibus & Generalibus, & novissime in Concil. Trident. Et tam in veteri quam novo testamento commendatur tanquam liber divinitus inspiratus,

ut

ut Ezech. c. 14. v. 14. Item Tob. c. 2. v. 12. Item Jac c. 5. v. 11. Item 1. ad Corinth. c. 3. v. 19. Item 1. ad Timoth. c. 6. v. 7. Item S. Thom. in prologo hujus libri.

Circa hunc librum notandum, quod verba tum Dei, tum ipsius Job, Scripturæ Canonicæ authoritatem habeant, non autem verba ipsius amicorum, qui à Patribus dicuntur gessisse typum hæreticorum. Contra hunc ergo librum Job objicit Lutherus.

I. Josephus, qui historiam à primis initiis texuit, non meminit ipsius Job: ergo hic liber non est Canonicus. prob. conseq. Josephus libros suos composuit ex Scripturis Canonicis: atqui ex concessis nullam hujus libri facit mentionem: ergo.

II. Aliqua impossibilia narrantur in libro Job: ergo non est Canonicus. ant. prob. c. 2. v. 13. dicitur: quod tres amici Job *séderunt cum eo in terra septem diebus, & septem noctibus*: atqui hoc est impossibile: ergo.

III. Impossibile est, quod Job c. 19. dicit: *Orabam filios uteri mei*: ergo. ant. prob. c. 1. dicitur: omnes filii Job perierant. ergo.

IV. Historia Job est omnino fictitia: ergo. ant. prob. fictitium est, quod narratur c. 21. v. 33. ergo. ant. prob. loc. cit. dicitur: *dulcis fuit glareis cocyti:* atqui hoc est fictitium: *cocytus* enim fluvius inferorum est, ut fabulatur antiquitas, & admittit S. Th. in hunc locum, ubi dicit: *veritatem de pœnis malorum post mortem proponis sub fabula, quæ vulgariter ferebatur, quia scilicet in inferno inter alios esset quidam fluvius nomine cocytus, qui interpretatur luctus, quo animæ malorum perducuntur:* ergo.

V. C. 42. v. 14. dicitur: *Et vocavit nomen unius diem, & nomen secundæ cassiam, & nomen tertiæ cornustibii:* atqui hæc sunt nomina proprie fictitia, & parabolica: ergo.

VI. Narrandi stylus denotat Librum Job esse parabolam: ergo. ant. prob. Hic liber sic incipit: *Vir erat in terra Hus nomine*

Job:

Job: atqui hic eſt ſtylus parabolarum: nam perfecta hiſtoria loquitur in tempore præterito: ſic Liber 1. Regum incipit: *Fuit vir unus de Ramathaim Sophim*: ergo.

VII. Quod c. 1. & 2. narratur de concilio Angelorum præſidente Deo, colloquio Sathanæ, interrogationibus & reſponſionibus non poteſt hiſtorice accipi: ergo parabolice: ergo.

VIII. Hic Liber Job ſcriptus eſt metrice, ut ſcribi ſolent comœdiæ, & tragœdiæ, ergo doloroſam quamdam, & ærumnis refertam continet fabulam.

IX. Nomen Job ſignificat *dolentem*: terra Hus, terram *conſilii*: Baldat *vetuſta ſecreta*: Sophat *Speculatorem*: Eliphaz *aurum Dei*: ſed hæc nomina ſunt parabolica: ergo.

SOLUTIONES.

Ad I. Conc. ant. neg. conſeq. ad prob. diſt. maj. Joſephus libros ſuos compoſuit ex aliquibus Scripturis Canonicis, conc. maj. Ex omnibus Scripturis Canonicis, neg. maj. & conc. min. neg. conſeq. In Joſepho hiſtorico non ſola hiſtoria Job; ſed etiam aliæ hiſtoriæ ſacræ deſiderantur: multa ex ſacris Scripturis prætermiſit: multa ex ſuo addidit: in multis lapſus deprehenditur, ac reprehenditur. Præterea cum Joſephus Hebræus de rebus ſuæ gentis ſcripſerit, mirum non eſt, quod hiſtoriæ Job utpote gentilis & alienigenæ non meminerit: Job enim ex ſtripe Hus primogeniti Nachor fratris Abraham deſcendit.

Ad II. neg. ant. ad prob. conc. maj. diſt. min. Atqui hoc eſt impoſſibile phyſice loquendo, conc. min. moraliter loquendo, neg. min. & conſeq. Nam illa continuatio ſeptem dierum & noctium phyſice non eſt accipienda, ſed moraliter: unde plerumque ſolemus dicere, aliquem in quodam loco continue manſiſſe, dum majori temporis parte in eo manſit, licet ad alia peragenda breviter alio diverterit: ſic Jacob Gen. c. 31. dicit:

Die

Die nocteque æstu urebar & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis: quod physice intelligi nequit, quasi Jacob nunquam subierit tectum, neque ullam toto illo tempore quietis partem captaverit: sed intelligi debet de continuatione morali.

Ad III. Loc. cit. Filios uteri sui, non vocari illos, qui c. 1. leguntur periisse; sed illos, quos susceperat ex concubinis, sive ancillis, ut aperte colligitur ex 70. Interpretibus legentibus: *Invocabant in blanditijs filios concubinarum mearum*: qui primariis suis filiis nece sublatis facile superstites esse potuerunt, utpote nec convivia celebrantes, nec cum aliis filiis matrisfamilias communicantes.

Ad IV. Fluvium *cocytum* esse quidem fabulosum, notandum tamen in Hebræo legi Nahhal, quod non solum significat torrentem, sed etiam vallem, per quem torrentes defluere solent: Vulgatus noster interpres posuit speciem torrentis pro genere, vertendo scilicet *cocytum* pro eo, quod in Hebræo est *torrente*, aut *fluvio*, quemadmodum etiam 70. legerunt: unde ut à 70. non recederet, & ut rem, de qua agitur, clarius exprimeret, fabulosi fluvii *cocyti* nomine uti voluit.

Ad V. Nomina trium filiarum Job non esse fabulosa: D. enim Gregorius docet, illa esse desumpta à virtutibus, ac præseferre mirabilem pulchritudinem & gratiam tum internam, tum externam illarum virginum. Unde S. Th. in hunc locum ostendit nomina illa non esse fabulosa, sed cum essent pulcherrimæ, nomina earum pulchritudini convenientia esse imposita: hinc dicit: *Vocavit nomen unius diem, scilicet propter claritatem ejus: & nomen secundæ Cassiam, quæ est species aromatica, propter suavitatem ipsius: & nomen tertiæ cornustibii: est autem stibium, quo mulieres utuntur ad ornatum oculorum secundum illud. 4. Reg. c. 9. - - - Quod si deinde Poetæ gentiles tam ista, quam alia plurima nomina, & historias è divina Scriptura suffurati sunt, & ad fabulas converterunt, nihil inde sequitur absurdi.*

Ad VI. In originali voce haberi *fuit vir*, Interpres autem noster vertit in præterito imperfecto, vel quia Hebræum præteritum valet utrumque, vel quia hic liber potius vitam Job, quam mortem describit.

Ad VII. Quod licet hæc simbolice proponantur, ut benè hic explicat D. Th. nihil tamen officiunt historiæ veritati: quia secundum sensum literalem debent intelligi, ut mos est S. Scripturæ, quæ res spirituales sub figuris rerum corporalium describit: sensus enim literalis est, qui primo per verba intenditur sive proprie dicta sive figurate.

Ad VIII. dist. ant. Metrice scriptus est in capitibus, quæ varios continent dialogos, conc. ant. in capitibus quæ simplicem narrationem referunt, neg. ant. & conseq. Itaque in libro *Job* distinquenda est historia à Dialogis: simplex historia soluta oratione scripta est pro more omnium historiarum; econtra dialogi, cum affectibus pleni sint, carminibus, utpote ad varios exprimendi affectus maxime idoneis, fuere conscripti; hoc autem scribendi genus non officit rei scriptæ realitati.

Ad IX. conc. maj. neg. min. Sæpe nomina in Scriptura relata nomina habent congruentem rebus ipsis, quæ geruntur, significationem, sic Deo volente, aut præsagientibus parentibus nomina imponentibus, attamen personarum non officiunt realitati, ut constat de *Abel*, qui sic vocatus est, quod cito evanescere, & luctum parentibus afferre deberet: sic quoque *Noe* dictus est, quod consolaturus esset parentes suos ab operibus manuum suarum: nemo tamen dixerit *Abel* & *Noe* fictas esse personas.

Objectiones contra Librum Esther.

Librum Esther non solùm usquè ad caput 10. sed etiam quoad posteriora à v. 4. c. 10. usque ad finem, adeoque integrum

grum Librum esse Canonicum, tum antiqua Concilia Laod. c. 59. & Carthag. III. c. 47. tum Patres Græci Origenes, Cyrillus, Damascenus, & Chrysost. tum Latini Hilarius, Innocentius, Rufinus, S. P. August. Et Novissime Concil. Trid. Sess. 4. asseruerunt. Concil. enim Trid. loc. cit. ita ait: *Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus:* inter quos librum Esther numerat: *prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, & in veteri vulgata latina editione habentur, pro Sacris & Canonicis non susceperit - - - Anathema sit.* Atqui in veteri vulgata latina editione, etiam ultima capita habentur, & non solum usque ad cap. 10. & in Ecclesia Catholica legi consueverunt, ut inspicienti vulgatam nostram patet, & feria 4. Dominicæ 2. quadragesimæ in Missa lectio desumpta est ex c. 13. Esther. Item in lectione Missæ contra Paganos: Item in Missa 22. post Pentecosten offertorium desumptum est ex oratione, quam Esther ad Dominum Deum c. 14. habuit: Ecclesia vero nunquam in Missæ sacrificio nisi Canonicas adhibere consuevit Scripturas. Ergo. Contra hunc tamen librum objicies.

I. D. Hieron. præfat. in hunc librum licit: *Librum Esther variis translationibus constat esse vitiatum - - - quem librum editio vulgata lascinosis hinc inde verborum sinibus trahit* &c. Ergo Liber Esther quoad posteriora capita post caput 10. S. Hieron ex Albo Scripturæ delevit. Secuti sunt ante Concil. Trid. Nicolaus Lyranus, Dionysius Carth. Hugo Card. Cajetanus in Comment. hujus libri. Et post Concil. Trid. Sixtus Senensis l. 1. & 8. Bibliothecæ. Et ex Hæreticis Joannes Brentius in Apologia confessionis Wittenbergicæ, Witacherus &c.

II. Caput 10. à v. 4. incipiendo, & sex sequentia capita defacto in Hebræo non inveniuntur: ergo quoad hæc Liber Esther non est Canonicus.

III. Postrema capita libri Esther non cohærent cum prioribus: nam c. 2. narrantur insidiæ duorum Eunuchorum, &

detectio earumdem industria Mardochæi, quæ rursum narrantur c. 12. Ergo.

IV. In Libro Esther multæ reperiuntur contradictiones: ergo. ant. prob. c. 2. dicitur, conjurationem Eunuchorum accidisse anno septimo Assueri: & c. 11. significatur accidisse anno ejusdem secundo: ergo.

V. Mardochæus c. 6. dicitur nihil omnino mercedis accepisse pro delatione insidiarum: & c. 12. dicitur Regem præcepisse Mardochæo, *ut in aula palatii moraretur, datis ei pro delatione muneribus*: ergo.

VI. Aman c. 3. dicitur fuisse de stirpe *Agag* Regis Amalecitarum: & c. 16. asseritur, quod *animo* & *gente* fuerit *Macedo*. Ergo.

VII. c. 3. narratur, causam indignationis *Aman* contra *Mardochæum* & omnes Judæos fuisse, quia Mardochæus nolebat illum adorare: & c. 12. dicitur: *Aman voluit nocere Mardochæo & populo ejus pro duobus Eunuchis Regis, qui fuerant interfecti.* Ergo.

VIII. c. 3. dicitur: quod Aman fuerit exaltatus post necem Eunuchorum, indignatio autem ejus contra Mardochæum & Judæos evenit post ejus exaltationem: ergo illa indignatio non potuit esse ob delationem Eunuchorum.

IX. Chronologi discordant in assignando tempore, quo contigerit hæc historia Esther, & proinde quis fuerit Rex ille Persarum, qui nomine Assueri, & Artaxerxis hic proponitur: ergo.

SOLUTIONES.

Ad I. D. Hieron. in Præfat. cit. non loqui de nostra vulgata purgata, & emendata, sed de illa, quæ ipsius tempore circumferebatur, quam ipse ex Hebræo Codice diligentissime à mendis expurgavit, ut patet ex eadem præfat.

Ad

Ad II. Origenem Epiſtola ad Julium Africanum teſtari, capita illa aliquando in Hebræo fuiſſe, ſed caſu excidiſſe, quomodo multa alia injuria temporis exciderunt. Pariter Joſephus lib. 11. Antiq. c. 6. refert duas Epiſtolas Aſſueri, & orationem Mardochæi, quæ his poſterioribus capitibus continentur: & idem Joſephus lib. 10. Antiq. c. 12. teſtatur, ſe ſua ex textu Hebræo deſumpſiſſe: hinc patet, quod etiam poſteriora Capita libri Eſther Joſephi tempore in Hebræo extiterint.

Ad III. diſt. ant. non cohærent quantum ad ordinem rei geſtæ, conc ant. quantum ad veritatem rei geſtæ, neg. ant. & conſeq. poſtrema namque capita pertinent ad initium libri, ut patet ex annotationibus D. Hieron. quæ capitibus ultimis ſunt inſertæ in Bibliis latinis, quod nihil veritati officit, quin potius alia ex aliis confirmantur.

Ad IV. neg. ant. ad prob. ℞. Inſidiarum detectio evenit anno ſeptimo Aſſueri, non autem anno ſecundo, ſiquidem illa verba cap. 11. *anno ſecundo regnante Artaxerxe*, non debent extendi usque ad narrationem inſidiarum, quæ fit c. 12. ſed ſolum ad ea, quæ narrantur in ipſo c. 11. id eſt, ad ſomnium, quod Mardochæus vidit, antequam Eſther Aſſuero conjungeretur.

Ad V. Quod etſi Mardochæus nondum habuerit mercedem pro delatione, quando Rex juſſit ſibi prælegi annales, ut dicitur c. 6. tamen poſtea habuit ampliſſimam, quæ deſcribitur eodem c. 6. & ea eſt, quæ ſignificatur c. 12. per illa verba, datis pro delatione muneribus, & ſic per anticipationem dicitur data eſſe Mardochæo munera, quæ c. 6. deſcribuntur.

Ad VI. Aman potuiſſe eſſe de ſtirpe Agagi per aliquem eorum, qui in obſidione Amalec Saulis manus effugientes, & huc & illuc vagantes devenerunt in Macedoniam, cumque ibi diu manſiſſent, & ex iis natus eſſet Aman, ideo recte dicitur *animo & gente Macedo*: ergo verum eſt Aman de ſtirpe fuiſſe Agag, ſed non illius Agag, qui Rex erat Amalecitarum, quem cum

gente delevit Saul, sed diversæ ab eo familiæ, quæ in Macedonia morabatur: idque fundatur in textu Hebræo, qui diversis caracteribus scribit *Agag*, de cujus stirpe hic dicitur Aman, ab illo Agag, de quo 1. Reg. c. 24. loquitur.

Ad VII. Nihil vetare, quominus indignatio Aman ex diversis causis provenerit: 1. antequam exaltaretur, provenit ex detectione insidiarum, quarum forsan erat complex. 2. Ex eo, quod Mardochæus nollet ipsum adorare post ejus exaltationem.

Ad VIII. Neg. conseq. ob mox dicta: nempe indignatio Aman evenit ante & post ejus exaltationem ex causa diversa.

Ad IX. Hoc argumentum esse simile huic: sciri certo non potest, quis fuerit ille sponsus, cujus nuptiæ referuntur Joan. 2. Ergo Joannis Evangelium non est recipiendum: diversa ergo placita Authorum circa tempus, & Principes libri hujus fidem & historiam, ac veritatem non debent reddere dubiam, aut incertam. Dico tamen hanc historiam contigisse sub Artaxerxe longimano septimo Persarum Rege.

Dices 1. c. 2. v. 21. narrantur insidiæ, sive conspiratio duorum Eunuchorum in mortem Regis, & detectio earum per Mardochæum, quæ rursum c. 11. & 12. repetuntur: Ergo. ℞. ut ad III. Etiam in libris *Paralip.* repetuntur ea, quæ dicta sunt in libris *Regum*, & tamen non ideo à Canone excluduntur: ergo & hic idem dicendum.

Dices 2. c. 11. v. 3. dicitur *Mardochæus* ab anno 2. *Artaxerxis: vir magnus & inter primos aulæ regiæ*: Et c. 2. narrantur illa, quæ anno 3. Regis *Assueri*, sive *Artaxerxis* (utroque enim modo vocabatur) contigerunt, ex quibus apparet *Mardochæum* tunc Regi fuisse incognitum: quomodo ergo anno 2. Regis potuit dici: *Vir magnus, & inter primos aulæ regiæ.* ℞. Quod quando *Mardochæus* c. 11. vocatur *magnus, & inter primos aulæ Regiæ*, hoc dici per anticipationem jam c. 2. eo quod talis postea fuerit. Pro clariori intelligentia.

Sci-

Sciendum hanc esse Libri *Esther* seriem: somnium *Mardochæi*, quod c. 11. proponitur, reliquis omnibus præmittendum est capitibus. Caput 12. ubi manifestantur, & repetuntur insidiæ Eunuchorum, ponendum est post v. 20. capitis 2. Caput 13. usque ad v. 8. nectendum est v. 14. capitis 3. Reliquum autem capitis 13. cum capite 14. annectendum est fini capitis 4. caput 15. correspondet v. 1. capitis 5. caput 16. medio capitis 8. inter versum 8. ac 10. inserendum est. Denique caput 10. ad finem libri pertinet. Ita hæc testantur Codices Græci, ubi ea secundum hunc ordinem reperiuntur.

Dices 3. cap. 3. v. 13. assignatur dies 13. pro deletione Judæorum. Et c. 13. v. 6. dicitur, quod assignata fuerit dies 14. Ergo. ℟. Dies 13. quæ c. 3. assignatur deletioni Judæorum, destinata erat inchoationi cædis: & dies 14. de qua c. 13. destinata erat consummationi cædis: ut patet ex c. 9. v. 17. ubi clare habetur: *Dies autem decimus tertius mensis Adar primus apud omnes interfectionis fuit, & quarta decima die cædere desierunt.*

Dices 4. c. 16. v. 14. dicit Rex, quod *Aman* regnum *Persarum* voluerit transfere in *Macedones*: atqui Rex hoc non potuit timere: *Macedones* enim, quorum regnum usque ad Alexandrum obcurissimum fuit, illo tempore ausi non fuissent invadere *Persas*: ergo. ℟. Optime potuisse Regem timere *Aman*, cum esset gente *Macedo*, & regnum *Persarum* affectaret, eum voluisse illud in *Macedones* transferre, ut gentem suam obscuram illustrem redderet: quod facile effecisset dejecto Persico imperio.

De Libro Psalmorum.

Omnium 150. Psalmorum David est Author. Ita S. P. August. lib. 17. de civit. Dei. Cap. 14. his verbis: *Mihi autem videntur credibilius existimare, qui omnes illos 150. Psalmos ejus* (scilicet Davidis) *operi tribuunt.* Item S. Th. in Psal. 38. dicit: *Omnes*

nes

nes Psalmos fecit David, & quosdam ipse cantavit coram Arca, ut habetur 2. Reg. c. 6. quosdam dabat aliis cantandos, & ideo illi, quibus dabantur, erant quasi cantores, & eis intitulantur tum propter dignitatem, quia fuerunt Prophetæ: tum propter mysterium. Concil. Trid. sess. 4. de Canonicis scripturis habet, licet non definiat (alias esset de fide, & non sub opinione) Authorem Psalterii esse Davidem: imo Psalterium recensens ut canonicum illud appellat *Psalterium Davidicum 150. Psalmorum;* ergo supponit Davidem esse Authorem dicti Psalterii.

Dices 1. Tituli pertinent ad S. Scripturæ essentiam: atqui illi tituli aliquos Psalmos tribuunt aliis, nam in titulo Psalmi 49. 72. usque ad 82. dicitur: Psalmus Asaph, Iditum, Eman, Ethan, filiorum Core &c. Ergo. Imo S. Hieron. in præfat. lib. psalm. juxta Hebraicam veritatem dicit: *Psalmos omnes eorum testamur Authorum, qui ponuntur in titulis, David scilicet, Asaph,* & *Iditum filiorum Core, Eman, Ezechaeritæ, Moysi, & Salomonis, & reliquorum, quos Esdras primo volumine comprehendit.* Idem docet in Epistolis ad Sophronium, & Cyprianum. ℞. conc. maj. dist. min. Atqui illi tituli aliquos psalmos tribuunt aliis ut Cantoribus, conc. min. ut Authoribus, neg. min. & conseq. Hos specificatos David elegit ex tribu Levi in Duces, ac Principes chororum, eosque instruxit, ut variis organis Deum laudarent. Ita & explicandus est S. Hieron.

Dices 2. Dum in titulo dicitur Psalmus David, ille Davidi tribuitur ut Authori: ergo etiam ipsi Asaph tribui debet ut Authori, cum in titulo dicatur psalmus Asaph. &c. ℞. neg. conseq. Disp. est: quod psalmi Asaph &c. tribuantur in dativo, quæ forma locutionis non denotat Authorem libri: sed Davidi tribuuntur in genitivo, consequenter Davidem recognoscunt solum ut Authorem.

Dices 3. S. P. August. de titulo primi psalmi agens ait: *non enim omnes Psalmi à David editi sunt:* ergo. ℞. Hunc locum non

esse

esse S. Patris: alias sibi ipsi contradiceret: nam in psalmum 9. ad v. 18. habet: *Cujus* (Davidis) *nomini totum Psalterium tribuitur.*

Dices 4. In fine Psalmi 71. v. 20. dicitur: *Defecerunt laudes David filii Jesse.* Ergo. ℟. Hic psalmus ultimus fuit, prout psalmi conscripti sunt à Davide: à tempore autem Ezechiæ vel Esdræ aliter dispositi sunt.

Dices 5. Psalmus 136. est post captivitatem, 400. annis post Davidem: ergo. ℟. Davidem scripsisse spiritu prophetico, & in persona populi, ita S. P. August. lib. 17. de Civit. Dei cap. 14.

De Libris Sapientialibus.

Primus est *Liber Proverbiorum* sic dictus, quod contineat sententias graves, sublimes, atque Divinas, quas Græci *Proverbia:* Hebræi *Misle* parabolas atque similitudines appellant. Librum hunc esse Canonicum apud Hebræos, Græcos, & Latinos Orthodoxos certum est, uti & ex Concil. Trid. De fide est, libri hujus Authorem esse Salomonem, idque constat ex v. 1. ubi dicitur: *Parabolæ Salomonis filii David Regis Israel.*

Secundus est *Liber Ecclesiastis*, in quo mundi instabilitas, vitiorum contemptus, atque Dei cultus & Religio stabilitur, & prædicatur. Hic liber unanimi Hebræorum, Græcorum, & Latinorum consensu recensitus est inter libros proto-Canonicos tanquam Canonicus primæ classis. Indubitata etiam fide certum est, hujus libri Authorem esse Salomonem, ut hæc verba initialia hujus libri produnt: *Verba Ecclesiastæ filii David, Regis Jerusalem:* quis enim Ecclesiastes filius David, & Rex Jerusalem nisi Salomon?

Tertius est *Canticum Canticorum:* ita dictum ob excellentiam, & continentem materiæ dignitatem: cum enim Hebræi superlativo careant, dum alicujus rei eminentiam exprimere volunt, jungunt genitivum unius nominis cum casu recto ejusdem

nominis: ita & nos dicimus Deum Sanctum Sanctorum, Regem Regum, Dominum Dominantium. Librum hunc esse Canonicum etsi aliqui negarint tam Judæi quam hæretici existimantes, illum non spiritu Dei, sed impuri amoris afflatu esse conscriptum, nihilque continere, nisi sermones amatorios Salomonis: de fide tamen est Eum esse Canonicam Scripturam à Deo dictatam: unde hic liber tam in V. T. quam N. semper habitus est nedum sacer, sed & protocanonicus, ut patet ex Concil. Trid. Author hujus libri est Salomon, qui juxta recentiores Rabinos ab eo ut adolescente exaratus putatur, sicut proverbia à Salomone ætate jam matura, Ecclesiasten vero ab eo jam sene scriptos esse docent: de quo tamen nihil certi constat.

Quartus est *Liber Sapientiæ*: pertractat de Sapientia tum increata, tum creata, vivideque ad amorem sapientiæ excitat. Hunnc librum esse Canonicum constat ex Concil. Flor. Carthag. III. c. 47. Ex Tolet. 11. in professione fidei: & ex Nicæna Synodo II. act. 4. Tandem ex Concil. Trid. Sess. 4. Item S. P. Aug. lib. II. de Prædest. Sanct. c. 14.

Dices: Liber Sapientiæ continet falsum: nam in eo c. 14. v. 15. dicitur: primum idolum factum esse ab aliquo Patre in defuncti memoriam filii, qui *illum, qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cæpit.* Atqui juxta omnes historicos statua erecta Belo à Nino ejus filio fuit primum idolum: ergo. Hoc argumentum est Calvini lib. 1. Inst. c. 11. § 8. ubi inquit: *Constat ex Moyse, quum Rachelem narrat furatam Patris sui idola, quæ non erant mortuorum imagines.* Ergo. ℞. neg. assertum: ad prob. conc. maj. dist. min. atqui juxta omnes historicos statua erecta Belo à Nino ejus filio fuit primum idolum publice ad adorandum propositum, conc. min. fuit primum privatim honoratum, neg. min. Primum enim idolum fuit statua mortuo filio erecta à patre, quod fuit tantum privatim adoratum, ut explicat ipse sapiens, dum ita loc. cit. prosequitur: *Deinde convalescente*

lescente iniqua consuetudine, hic error tanquam lex custoditus est, & tyrannorum imperio colebantur figmenta. Præterea unde constat Calvino: Rachelem vixisse ante patrem illum lugentem filium? aut Rachelis idola non fuisse mortuorum simulacra? contrarium enim ex S. textu non obscure colligitur: Rachelis enim idola in Hebræo *Teraphim* vocantur: *Teraphim* autem vocantur etiam mortuorum imagines, quæ licitè observari poterant: sic 1. Reg. c. 19. v. 13. dicitur: *Tulit ergo Michol statuam*, Hebraice *Teraphim, & posuit eam super lectum*: ut sic Saulis servos David ad necem quærentes similitudine corporis humani deluderet.

Author libri sapientiæ est incertus: nam aliqui volunt Salomonem esse Authorem: dicit enim Author de se ipso c. 9. v. 7. *Tu elegisti me Regem populo tuo - - - & dixisti me ædificare templum.* quod alteri quam Salomoni convenire non potest. Ast S. P. Aug. lib. 17. de Civit. Dei c. 20. liber *Sapientiæ propter eloquii nonnullam similitudinem, ut Salomonis dicatur, obtinuit consvetudo, non autem esse ipsius, non dubitant doctiores.* Quod autem Author se Regem vocet, & templi ædificatorem, est, quia inducit personam Salomonis loquentis. Alii Jesum filium Sirach ponunt Authorem: inter quos fuit S. P. August. lib. 2. de doct. Christ. c. 8. sed postea lib. 2. Retract. c. 4. dicit: *de Authore libri, quem plures vocant sapientiam Salomonis, quod etiam ipsum Jesus Sirach scripserit, non ita constare, sicut à me dictum est, postea didici, & omnino probabilius comperi, non esse hunc hujus libri Authorem.* Alii opinantur fuisse Philonem Seniorem, qui vixit ante Christum annis 160. sub Onia Pontifice. Ex quibus patet Authorem hujus libri esse incertum: quisquis demum sit à Salomone accepta lumina & sententias traduxit.

Quintus est *Ecclesiasticus*, ita dictus, quod vere concionatorius & Paræneticus sit, & per præcepta instruat. Hunc librum esse Canonicum negant moderni Hæretici Lutherus & Calvinus eorumque sequaces: sed nunc de fide est Ecclesiasti-

cum esse librum Sacrum, divinitusque inspiratum post expressam Ecclesiæ difinitionem in Conc. Trid. Sess. 4. Florent. in instruct. Armenorum. Et Carthag. III. c. 43. Hic liber defectu propositionis Ecclesiæ non ab omnibus semper necessitate fidei receptus fuit, sed de ejus Authoritate aliquando dubitatum fuit inter aliquos etiam Catholicos, ideo Deutero-Canonicus vocatur: Prologus tamen hujus libri Canonicus non est.

Author hujus libri est Jesus filius Sirach, Civis Jerosolymitanus, vir Eximiæ Sapientiæ, & Propheta, qui sententias Salomonis hinc inde dispersas in unum volumen collegit. Liber hic defuncto Seniore Siracide ad filium Siracidem, deinde ad Nepotis manus pervenit, qui Hebraice conscriptum græce reddidit, ac digessit, & ordinavit; quare Jesus Avus verus Author Ecclesiastici, Jesus vero Nepos græcus tantum interpres fuit.

Objectiones Contra Libros Machabæorum.

Liber *Machabæorum* dicitur, quia Machabæorum gesta & præclara facinora narrat. Fuerunt Machabæi Illustres viri Tribus Sacerdotalis, qui zelo fidei accensi pro lege Mosaica, & tuenda Patrum suorum Religione strenue decertarunt. Illorum fuere quinque Fratres filii Mathathiæ Sacerdotis magni, scilicet *Joannes*, *Simon*, *Judas*, *Eleazarus*, & *Jonathas*, ut legitur 1. Mach. c. 2. ubi quidem sub diversis nominibus referuntur, omnes tamen dicti sunt *Machabæi* à cognomine *Judæ* tertii ex filiis Mathathiæ, qui quia cæteris zelo & fortitudine emicuit, hoc nomine hebraico *Machabæus* donatus est.

Sunt quidem quatuor libri Machabæorum, sed de tertio & quarto hic non est sermo, quia cum Apocryphi sint, non quod malam doctrinam contineant, quin potius pietatem redolent, & alicujus sunt authoritatis, sed quia iis Ecclesia tanquam fidei regula non utitur, nomine Scripturæ S. non veniunt.

Du-

Duos libros priores, nempe 1. & 2. Machabæorum esse Canonicos, probat non solum Concil. Trid. sed etiam Florent. Carthag. III. Gelasius in Concil. Rom. Innocentius epistola ad Exuperium: & ex SS. PP. præcipue S. P. August. lib. 18. de Civit. Dei c. 36. Authores sunt incerti. Lutherus, Zwinglius, aliique hæretici hos duos primos libros Machabæorum ut Canonicos rejiciunt, non alia ratione, quam quia evidenter ostendunt falsa esse eorum dogmata: nam in libris istis stabilitur invocatio Sanctorum, probantur suffragia pro mortuis, & celebrantur dedicationes Altarium, quæ omnia negant hi hæretici. Unde ita contra hos libros arguunt.

I. S. Hieron. præfat. in Libros Salomonis dicit: *Judith & Tobiæ, & Machabæorum libros legit quidem Ecclesia, sed inter Canonicas Scripturas non recipit:* ergo.

II. Lib. 1. c. 1. dicitur, Alexandrum magnum regnasse primum in Græcia: atqui hoc est falsum: siquidem ante ipsum multi fuerunt Reges Lacedæmoniorum, Macedonum, Atheniensium, Corinthiorum: ergo.

III. Eodem cap. v. 7. dicitur de Alexandro: *vocavit pueros suos nobiles, qui secum erant à juventute nutriti, & divisit illis regnum suum:* atqui juxta Curtium lib. 10. c. 7. Justinum lib. 12. Diodorum lib. 7. & Orosium lib. 3. c. 23. hoc est falsum: nam isti Authores referunt divisionem factam esse post mortem Alexandri: ergo.

IV. Alexandri Regnum dicitur divisum in Provincias & earum Præfectos 22. 29. vel secundum Curtium 10. Atqui hoc contrariatur Prophetiæ Danielis: ergo. min. prob. Prophetia Danielis Alexandri regnum tantum in quatuor partes dividendum prædicit c. 11. v. 4. ubi dicitur: *Conteretur regnum ejus, & dividetur in quatuor ventos cœli:* ergo.

V. Lib. 1. c. 2. affirmatur vaticinium Danielis de abominatione desolationis impletum esse, quando Antiochus Epiphanes

nes idolum in templo Domini collocavit: atqui Christus Matth. c. 24. asserit vaticinium illud implendum in novissimis diebus; ergo.

VI. Lib. 1. c. 1. v. 11. dicitur, Antiochum illustrem, seu Epiphanem regnasse anno 137. regni Græcorum: atqui hoc est falsum: ergo. min. prob. Ex annalibus Græcorum, & Chronologia Eusebii constat illum regnasse anno Græcorum 156. & ex serie Regum anno 155. ergo.

VII. Eodem cap. v. 8. dicitur: *Regnavit Alexander annis 12. & mortuus est*: atqui juxta computum libri illi tantum tribuuntur 6. anni: ergo.

VIII. Lib. 1. c. 6. commendatur factum Eleazari, qui se ipsum occidit: atqui se ipsum occidere est grande crimen, non commendatione dignum: ergo.

IX. Lib. 1. c. 4. Judas dicitur mundasse templum anno 148. id est, uno anno ante mortem Antiochi, siquidem anno 149. obiit: atqui c. 10. lib. 2. dicitur Judam purgasse templum post biennium à morte Antiochi, ergo.

X. In libro 1. illa templi mundatio narratur ante mortem Antiochi: & in lib. 2. narratur post ejus mortem: ergo est contradictio.

XI. Eodem die lib. 1. c. 4. v. 52. & lib. 2. c. 1. v. 18. dicitur templum mundatum, quo die fuit prophanatum: atqui prophanatum est die 15. ut habetur l. 1. c. 1. v. 57. & mundatum dicitur die 25. ut habetur lib. 1. c. 4. v. 52. ergo.

XII. Lib. 2. c. 1. v. 7. refertur Epistola, in qua fit mentio alterius Epistolæ, quæ statim in contextu additur, & scripta dicitur anno 169. his verbis: *Regnante Demetrio anno 169. Nos Judæi scripsimus vobis.* Et tamen v. 10. scripta notatur anno 188. his verbis: *Anno 188. populus, qui est Jerosolymis, & in Judæa, senatusque, & Judas Aristobolo Magistro Ptolomæi Regis*: atqui hoc implicat: ergo.

XIII.

XIII. Si annus 188. pertineret ad finem præcedentis epistolæ, post illa verba: *Anno centesimo octuagesimo octavo*, deberet poni punctum, atqui non ponitur punctum, sed tantum coma: ergo.

XIV. Lib. 2. c. 9. narratur Judas occisus anno 152. & tamen lib. 2. c. 1. refertur Epistola ab eo scripta anno 188. quæ si etiam pertineret ad finem præcedentis epistolæ 169. etiam jam tunc Judas fuit mortuus: ergo.

XV. Lib. 1. c. 6. v. 16. Antiochus in lecto suo in Babylonia moritur anno 149. atqui lib. 2. c. 1. v. 13. in templo *Naneæ*, quod erat *Persæpoli*, quæ etiam in Scriptura vocatur *Elymaides*, dicitur occisus; quæ omnia sibi contradicunt: ergo.

XVI. L. 1. c. 6 v. 4. dicitur: *Antiochus repulsus à civitate Elymaide fugit inde, & abiit cum tristitia magna, & reversus est in Babylonem*: & v. 16. *& mortuus est illic*: atqui non est mortuus in Babylone; ergo.

XVII. Lib. 2. c. 1. v. 13. dicitur: *Cum in Perside esset Dux ipse, & cum ipso immensus exercitus, cecidit in templo Naneæ:* ergo est mortuus in Templo *Naneæ*, non in montibus.

XVIII. Verbum *cecidit* loc. mox cit. intelligitur pro mortuus est: nam v. 16. habetur: *percusserunt Ducem, & eos, qui cum eo erant, & diviserunt membratim, & capitibus amputatis foras projecerunt*: ergo.

XIX. Lib. 1. c. 6. v. 16. dicitur: Antiochum Epiphanem mortuum esse anno 149. Regni Græcorum: & lib. 2. c. 11. v. 33. legitur mortuus anno 148. cum ipsius filius Antiochus Eupator tanquam Rex scripserit epistolam ad Judæos tanquam ejus successor anno 148. Ergo.

XX. Lib. 1. c. 6. v. 20. narratur, Antiochum Eupatorem cum ingenti exercitu invasisse Judæam anno 150. & lib. 2. c. 13. v. 1. hoc factum refertur anno 149. Item lib. 1. c. 7. v. 1. dicitur: Demetrium ab urbe Roma exiisse anno 151. Et lib. 2. c. 14. v. 4. ille exitus refertur contigisse anno 150. Ergo.

XXI.

XXI. Lib. 2. c. 1. v. 19. dicitur: *Cum in Persidem captivi ducerentur Patres nostri*: atqui Judæi non in Persidem sed in Babyloniam fuerunt abducti: ergo.

XXII. Lib. 2. c. 2. quædam Apocrypha referuntur de Arca Domini, quæ probantur ex descriptionibus Jeremiæ: atqui hæc apocrypha non dixit Jeremias, sed opposita affirmavit c. 3. v. 16. ubi ait: *Non dicent ultra: Arca testamenti Domini*: ergo.

XXIII. Lib. 2. c. 2. narratur 1. Jeremiam tempore, quo Jerusalem obsidiebatur à Nabuchodonosore, abscondisse Arcam testamenti, & Altare incensi in monte, quem Moyses ascenderat, qui fuit mons *Nebo*, ut habetur Deut. c. 34. 2. Ipsum Jeremiam dixisse, locum fore ignotum, donec Deus congregaret congregationem populi sui, & propitius fieret: atqui hic duo falsa adstruuntur: 1mum quia Jeremias non potuit hoc facere tempore obsidionis, cum tunc fuerit in carcere: nec postea, cum omnia pretiosa fuerint ablata, & Jeremias (ut habetur Jerem. c. 37. & 38.) omnibus tam Sacerdotibus, quam Nobilibus esset infensus. 2. Quæ enim fuerunt abscondita, postea à populo à captivitate Babylonica reverso nunquam fuerunt inventa: ergo.

XXIV. Lib. 1. c. 8. v. 16. dicitur de Romanis: *Committunt uni homini Magistratum suum per singulos annos dominari universæ terræ suæ, & omnes obediunt ei*: atqui hoc est falsum, quia apud Romanos duo creabantur consules: ergo.

XXV. Lib. 2. c. 3. v. 4. habetur: *Simon autem de Tribu Benjamin Præpositus templi constitutus*: atqui si fuit de Tribu Benjamin, non poterat esse Templi Præpositus, hic enim debuit esse de Tribu Levitica: ergo.

XXVI. Lib. 2. c. 8. v. 22. narratur de Juda: *Constituit itaque fratres suos Duces utrique ordini Simonem & Josephum*: atqui nullus ex fratribus Judæ vocabatur Josephus: ergo.

XXVII. Lib. 2. c. 10. v. 11. Antiochus Eupator Epiphanis filius regno ſuſcepto Lyſiam regni negotiis præfeciſſe dicitur: atqui lib. 1. c. 6. habetur, quod Lyſias diu ante præfuerit, & Regem Antiochum Eupatorem inſtituerit: ergo.

XXVIII. Lib 2. c. 12. v. 13. Judas laudatur, quod pro mortuis Sacrificium offerri juſſerit: atqui ut Calvinus lib. 3. inſtit. c. 5. §. 8. dicit: pro mortuis orare eſt vanum, & ſuperſtitioſum: ergo.

XXIX. Etiam juxta Catholicos non licet orare pro iis, qui deceſſerunt cum peccato mortali: atqui tales erant illi, pro quibus Judas orare juſſit: nam dicitur loc. mox cit. *Invenerunt autem ſub tunicis interfectorum de donariis idolorum - - - à quibus lex prohibet Judæos:* ergo.

XXX. In libro 2. cap. ult. Auctor culpam à lectoribus deprecatur: atqui hoc eſt alienum à divina authoritate: arguit ſiquidem Calvinus c. 9. qui ſcripta ſua indigere venia fatetur, is Spiritus S. oracula non eſſe clamat. Ergo.

SOLUTIONES.

AD I. Expl. S. Hieron. ſubdiſt. Et loquitur S. Hier. de Scripturis Proto-Canonicis, conc. Et loquitur S. Hieron. de Scripturis Deutero-Canonicis, neg. Itaque cum libri Machabæorum ſint tantum Deutero-Canonici, meritò S. Hier. dicit, quod Eccleſia eos non recipiat inter Canonicas Scripturas nempe Proto-Canonicas.

Ad II. Neg. min. Cum enim Scriptura dicit, Alexandrum regnaſſe primum in Græcia, non de regno quocunque partiali loquitur, ſed de Monarchia Græcorum, quam primus obtinuit Alexander, cum totius Græciæ Regnum adeptus eſt excluſis aliis Regibus, qui in variis ditionibus regnabant, & ille ſolus in tota, vel vere tota Græcia imperavit; unde Ale-

xander fuit primus totius Græciæ Monarcha, & ab illo incœpit Græcorum Monarchia. ℞. 2. Quod Alexander dicatur primus regnasse in Græcia, hoc est, prius ibi regnavit, quam in aliis Regnis, quæ armis devicit: nam in textu Græco non dicitur primus, sed προτερον, id est, prius.

Ad III. Secundum Scripturam vere Alexandrum divisisse Regnum suum, dum adhuc viveret, licet illa divisio tantum post ejus mortem executioni data fuerit: quod utrum factum fuerit vel condito ab Alexandro testamento, sive alio modo, parum refert vel nihil contra Scripturæ locum. Et ita intelligendi sunt Authores citati.

Ad IV. Danielem non negare in plures quam in quatuor partes divisum fuisse Alexandri Regnum: sed quatuor tantum posuit, quia illæ erant præcipuæ, & Judæis, quibus scribebat, magis notæ. Ita Danielem explicat S. Hier. in cap. 11. Dan.

Ad V. Neg. maj. Quia de Danielis vaticinio nihil ibi dicitur, sed tantum dicitur: *ædificavit Rex Antiochus abominandum idolum desolationis super Altare Dei*: atqui illud idolum erat verè abominandum: sed non est sermo de eodem idolo, de quo loquitur Daniel. 2. ℞. Nihil obstare, quominus hæc Prophetia Danielis duplicem potuerit habere sensum etiam literalem: unum & principaliter intentum de Antichristo & ejus tempore: alterum minus principalem de hoc Antiocho & ejus persecutione, cum fuerit Antichristi figura, & ab aliquibus SS. PP. vocetur *Antichristus veteris testamenti.* Potest ergo dici, vaticinium Danielis ex parte impletum in Antiocho, & ex toto implendum in fine mundi.

Ad VI. Neg. min. ad prob. dist. ant. Et illi computus inter se non conveniunt quoad modum computandi, conc. ant. quoad rem computatam, neg. ant. & conseq. In re ergo nulla est hic diversitas: si enim aliqui computent annos Regni Græcorum ab initio regni Alexandri Magni à devicto Dario, inveniuntur

usque

usque ad Antiochum Epiphanem anni 156. vel 155. Si autem aliqui (ut & Author lib 1. Machab.) computent octodecim annis post, nempe duodecim annis post mortem Alexandri, hisque duodecim addantur sex anni, quibus Alexander regnavit, faciunt annos octodecim: unde Author lib. 1. Machab. incipiendo hoc modo suum computum, recte dicit, Antiochum regnasse anno 137. regni Græcorum: si enim his 137. annis addantur 18. efficent numerum 155. Tali modo omnia argumenta solvuntur, quæ de diversitate computus hujus libri objiciuntur.

Ad VII. Dist. maj Regnavit Alexander annis 12. â morte Patris, conc. maj. â. devicto Darío, neg. maj. Quando dicimus, quod Alexander tantum regnaverit 6. annis, non intelligimus hoc â morte Patris sui, sic enim regnavit 12. annis, sed â devicto Dario: ab illo enim tempore tantum 6. annis regnavit tanquam totius Græciæ Monarcha.

Ad VIII. Dico cum S. P. August. epist. 61. quod quamvis homo ipse fuerit laudatus, *factum tamen ejus narratum, est non Laudatum.* 2. ℞. Eleazarum merito laudari non solum, quia id potuit fecisse ex instinctu Spiritus S. sed etiam, quia se ipsum non directe occidit, sed tantum indirecte, & permissive se habuit ad mortem: nam directe intendit commune populi sui bonum, & ideo elephanti se supposuit, illumque occidit, sub cujus ruina est sepultus.

Ad IX. Conc. maj. neg. min. Nam in c. 10. Libri secundi ista verba *post biennium* non significant, post biennium â morte Antiochi, sed post biennium â prophanatione. Ita Bellarminus. Sed contra hanc solutionem.

Dices: A prophanatione templi usque ad ejus purificationem non tantum biennium, sed tres anni integri cum decem diebus fluxerunt, ut clare constat ex lib. 1. c. 1. v. 57. Item ex S. Hier. qui dicit in Dan. 12. *Tribus annis templum pollutum fuit in Jerusalem*: ergo. Unde aliter

℞. ad IX. Judam expurgasse templum anno 148. ut habetur lib. 1. c 4. v. 52. nempe uno anno ante mortem Antiochi, quæ contigit anno 149, ut habetur lib. 1. c. 6. v. 16. In secundo autem libro c. 10. v. 3. narratur quidem hæc purgatio post mortem Antiochi, non tamen asseritur facta post mortem Antiochi, & hoc ideo, quia cum Author cap. 9. vellet absolvere, quæ ad Antiochum pertinebant, noluit narrationem ipsa templi expurgatione interrumpere, & ideo hanc post mortem ipsius recensuit; neque illud post *biennium* referendum est ad mortem Antiochi, sed numerandum est ab initio Principatus Judæ, quod fuit anno 146. ut colligitur ex lib. 1. c. 2. v. 66. & ita uno anno ante ipsius Principatum fuit prophanatum, nempe 145. anno, & biennio post ejus Principatum fuit mundatum: ergo tribus annis integris mansit templum prophanatum. Et hac solutione salvatur concordia Scripturarum. Ex qua

Ad X. patet responsio: etsi enim illa templi mundatio in lib. 2. narretur post mortem Antiochi, non tamen asseritur facta post mortem Antiochi ex ratione, quia Author voluit absolvere, quæ de Antiocho dicturus erat, & tum demum redire ad Judam & templi purgationem.

Ad XI. Conc. maj. dist. min. Atqui fuit prophanatum die 15. incomplete, conc. min. Complete, neg. min. & conseq. Eadem quippe die & mense, id est, simili die & mense, nempe 25. mensis *Casleu* facta fuit prophanatio templi, & ejus renovatio, licet diverso anno, ut habetur lib. 1. c. 4. v. 52. & repetitur lib. 2. c. 10. v. 5. Quando autem die 15 mensis *Casleu* dicitur fuisse positum idolum super Altare, tantum fuit prophanatio incompleta: completa vero & perfecta prophanatio fuit facta die 25. ejusdem mensis, quando publice idolum fuit adoratum, ut dicitur lib. 1. c. 1. v. 62.

Ad XII. dico I. Epistolam, cujus fit mentio in illa priori v. 7. non esse eam, quæ statim in textu additur: sed esse aliam;

quod

quod facile esse potest. Dico 2. Epistolam v. 7. commemoratam, & ordine narrationis priorem esse revera posteriorem illa, quæ scripta dicitr 169. & hæc est, cujus sit mentio in priori epistola v. 7. commemorata: unde annus 188. qui ponitur v. 10. non pertinet ad initium Epistolæ scriptæ 169. cum annus soleat poni in fine Epistolæ: sed ille annus 188. pertinet ad finem præcedentis epistolæ v. 7. commemoratæ, & posterioris illa 169. scripta.

Ad XIII. Quod non positum fuerit punctum, sed tantum comma, vitium est typographi, quod facile hic poterat intervenire.

Ad XIV. Duplicem dari supputationem: unam ab anno primo Monarchiæ Alexandri Magni: secundam 18. annis post Monarchiam Alexandri incipiendo ab anno primo Æræ novæ seleucianæ: unde annus, qui juxta supputationem secundam sive Seleucianam est 152. annus, juxta supputationem primam sive Alexandrinam est 170 annus: si enim anno 152 addantur 18 anni, facient 170 annos: & sic Judas, qui dicitur mortuus anno 152. juxta supputationem seleucianam, adhuc vivebat anno 169 juxta supputationem Alexandrinam, cum juxta hanc supputationem Judas fuerit mortuus 170 anno, qui annus coincidit cum anno 152 supputationis Seleucianæ: adeoque Judas anno 169 facile potuit hanc epistolam scripsisse: & hoc supputationis modo utitur Author libri 1. Machab. Judas ergo hanc epistolam scripsit uno anno ante suam mortem, cum annus 151, qui est annus unus ante mortem Judæ, sit annus 169, quo anno hæc epistola dicitur scripta: est ergo tota diversitas in modo computandi, non in re computata.

Ad XV. Quod Antiochus Epiphanes non in persona propria, sed in suis comitibus in Templo *Naneæ* urbis *Persepolis* percussus fuerit, ac inde fuga elapsus, postmodum copiosiori militum apparatu hanc ab *Elemaitis*, seu *Persepolitanis* irrogatam

ſibi injuriam vindicare fuerit aggreſſus; at multitudine civium ad arma concurrente, exercitu ſuo majori ex parte fuſo ac debilitato, ſibi ſuisque ſalutem quantocius recedendo quæſierit, ut refertur lib. 2. c. 9. Cum autem ex illa præcipiti fuga, qua in *Babylonem* venire diſpoſuerat, in *Mediam* divertiſſet, contigit, ut nuntius, qui è Syria venerat, relaturus ea, quæ in Judæa acciderant, ipſum repererit circa *Ecbatanam Mediæ* urbem regiam, à quo cum audiſſet Antiochus, à Juda Machabæo fugatos ſuos Duces Lyſiam, Nicanorem, & Timotheum, ira ac furore abreptus juſſit currum ſuum citiſſime agitari, & iter Jeroſolymam verſus accelerari: contigit autem eum de curru velocius agitato cecidiſſe, graviterque colliſo corpore diro inſuper viſcerum dolore correptum fuiſſe ita, ut in ſella geſtatoria ipſum deinceps deferri neceſſe eſſet, quare *Babyloniam* ire decrevit, at morbo ingraveſcente præ dolore viſcerum in montibus inter fætores, quos exhalabat, miſere obiit ſuper lectum ſuum.

Ad XVI. Hic non dici: *venit Babylonem*, ſed *reverſus eſt in Babylonem*, in quo reditu accelerato in montibus miſere vitam finivit: unde particula *illic* non ad Babylonem, ſed ad locum, ubi morte correptus fuerat, referri debet: vel ſi mavis, intellige per Babylonem Regnum Babylonicum.

Ad XVII. Quod Antiochus dicatur cecidiſſe in Templo *Naneæ*, non quod ibi mortuus ſit, ſed quia exercitus ipſius ibi fuſus & percuſſus ceciderat, & ipſe Antiochus fuga vix evaſerat: non enim in Scriptura verbum *cecidit* ſemper ſignificat mortem in bello, ſed & multoties fugam: ſic Joſue c. 7. dicitur: *ceciderunt per prona fugientes*. Et Gen. c. 14. legitur Regem *Sodomæ* cecidiſſe in prælio, & tamen ibid. v. 17. vivus poſtea dicitur occurriſſe *Abrabæ*.

Ad XVIII. Hæc verba non intelligi de Antiocho, ſed de Duce exercitus ipſius: ſic enim ibidem dicitur: *Cum intraſſet Antiochus, apertoque occulto aditu Templi mittentes lapides percuſſerunt*

ſerunt Ducem, non vero, *percuſſerunt Ipſum:* relatio ergo non fit ad Antiochum, ſed ad Ducem ipſius.

Ad XIX. Authorem libri primi Machabæorum in annorum ſupputatione, quæ Alexandrina eſt, differre toto ſesqui-anno à calculo Chaldaico, quo utitur libri ſecundi Author: nam annus apud Authorem libri ſecundi 148. (quo jam mortuo Antiocho Epiphane regnarat aliquamdiu filius ejus Antiochus Eupator) ab Authore libri primi vocatur annus 149. & quidem ad finem vergens: nam mortem Antiochi Epiphanis annotat lib. 1. c. 6. v. 16. anno 149. contigiſſe: à cujus morte effluxerunt aliquot menſes indubie uſque ad præſentem copiarum Eupatoris cladem, quæ annotatur accidiſſe anno 148. menſe *Dyſtro*, qui noſtro partim *Februario* partim *Martio* reſpondet: hoc enim tempore ſolent in Aſia Reges ad bella procedere.

Ad XX. Patet ex mox dictis reſponſio.

Ad XXI. Authorem hujus libri *Perſidem* vocare non ſolum eam Regionem, quæ proprie dicitur *Perſis*, ſed etiam *Chaldæam* & alias finitimas regiones: quod affirmat S. Chryſoſt. hom. 6. in Matth.

Ad XXII. Nullos ex Canonicis libris Jeremiæ, vel Nehemiæ, qui modo extant, citari in libris Machabæorum: ſed potius quasdam deſcriptiones, & commentaria Jeremiæ, ut dicitur lib. 2. Mach. c. 2. v. 1. & v. 13. Commentaria autem longe differunt à libris Canonicis hiſtoriæ, vel Prophetiæ Jeremiæ & Nehemiæ, qui nunc inter libros Canonicos reperiuntur. Credendum vero eſt, olim fuiſſe hæc commentaria & deſcriptiones, licet modo non extent, quia ita refertur in libro Canonico, qualis eſt 2. Machab. citatus. Nec oppoſitum dicit Jerem. c. 3. quia hic ſolum prædicit ablationem Arcæ, quemadmodum revera ablata fuit: non tamen dicit eam nunquam apparituram, etiam in fine mundi.

Ad

Ad XXIII. Jeremiam hæc gerere potuiſſe, imo defacto geſſiſſe vel ante captam Jeruſalem non regnante *Sedecia* (tunc enim fuit in carcere) ſed *Joachim*, huic enim Jeremias erat in veneratione: unde ipſe ſuaſu Jeremiæ dedit ſe Chaldæis, ipſoque conſentiente potuit Jeremias Arcam & Tabernaculum aſportare. Vel capta jam à Chaldæis Jeruſalem, antequam Templum ab eis incenderetur, ſiquidem facile hoc potuit ab illis impetrare, cum ſummæ apud Nabuchodonoſorem eſſet Authoritatis, quippe qui durante obſidione multum pro reddenda civitate apud Regem Sedeciam & nobiles omnes inſtitiſſet, affirmans, talem eſſe Dei voluntatem, ut Civitas in manus Chaldæorum veniret, ut patet Jerem. c. 39. Non fuiſſe autem à militibus diripientibus urbem Jeroſolymam ablatam Arcam aut Tabernaculum, ſatis patet ex Jerem. c. 52. ubi enumerantur omnia, quæ ex Templo Domini Chaldæi abſtulerunt usque ad Phialas & mortariola: Arcæ autem & Tabernaculi nulla ſit mentio, quod tamen fieret, ſi fuiſſent ablata.

Quod vero dicatur Arca manifeſtanda, quando Deus, populum ſuum congregabit, non eſt intelligendum de congregatione Judæorum poſt Captivitatem Babylonicam facta, ſed de illa, quæ fiet noviſſimis diebus, quando Deus per Eliam & Henoch Judæos ad Chriſtum convertet: tunc enim Elias eis oſtendet arcam, ut eos in fide Chriſti confirmet: talis autem aſſervatio Arcæ usque ad illud tempus eſt miraculoſa, neque tunc Arca erit nociva, quia non oſtendetur, ut adoretur (idque ſignificant illa verba Jeremiæ c. 3. *Et non dicent ultra Arca Domini*, id eſt, non invocabunt, neque adorabunt eam: non enim dixit: *non erit Arca Domini*, ſed *non dicent ultra Arca Domini*) ſed erit proficua, quia Judæi convincentur viſo illo ſigno à Jeremia longe ante prædicto ad credendum Evangelio.

Ad XXIV. Quamvis duo Conſules quotannis crearentur, non tamen ſimul imperabant, ſed alternis diebus ſinguli. Et

hæc

hæc fuit institutio hujus dignitatis à suo exordio ut ait Livius lib. 2. *Ne si duo Consules simul imperarent, Regibus exactis non remotus, sed duplicatus error videretur.*

Ad XXV. Simonem hunc de Tribu Benjamin fuisse constitutum Præpositum Templi in rebus politicis v. g. ut præesset Templi prædiis, agris, redditibus, vel militibus ad Templi custodiam deputatis lib. 1. Mach. c. 4. v. ult. non autem in rebus sacris, quibus soli Sacerdotes de Tribu Levi præerant.

Ad XXVI. Josephum hunc alio nomine vocatum Joannem esse lib. 1. c. 2. v. 2. atque adeo Eum duo nomina habuisse.

Ad XXVII. Lysiam, qui sub Epiphane jam Dux belli erat, postea ab Antiocho Eupatore ejus filio, in eodem munere confirmatum esse, utpote nutritium & educatorem ejusdem.

Ad XXVIII. neg. min. quia pro mortuis orare pium est, ac religiosum, quando non constat eos vel beatos esse, vel damnatos, ut constat ex S. P. Aug. L. de cura pro mortuis c. 1. & ex continua praxi Ecclesiæ, & Judæorum, qui ad hunc usque diem orant pro defunctis.

Ad XXIX. dist. maj. Si constet eos mortuos esse in peccato mortali, conc. maj. Si non constet, neg. maj. & ita dist. min. neg. conseq. Judas itaque pie existimavit eos in articulo mortis dolorem de peccato acceptorum donariorum coram Deo concepisse, & misericordiam invenisse, quod significant illa verba: *quia considerabat, quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam:* & ideo credidit sacrificiis & precibus vivorum posse juvari.

Ad XXX. Aliud esse, loqui de ipsius historiæ veritate, aliud de interpretatione in aliam linguam. Interpres ergo veniam petit non falsitatis, quæ nulla erat, sed elocutionis, quæ ab homine erat. Vel dicatur, nihil impedire, ut Spiritus S. Scriptori assistat, qui in quibusdam tamen humano more ex modestia loquitur: sic enim Paulus ait: 1. ad Corinth. c. 11. *Etsi imperitus*

sermone non tamen scientia. Item 2. ad Corinth. c. 12. *Ut minus sapiens dico plus ego.* Item *Donate mihi hanc injuriam.* Ergo similiter in præsenti.

Objectiones Contra Ecclesiæ Romano-Catholicæ Librorum N. T. Canonem. Contra Evangelium Matthæi, Marci, Lucæ, & Joannis.

I. In Genealogia Christi, quam texuit Matthæus, nullibi usque ad ejus baptismum dicitur Christus esse Filius Dei, sed tantum filius hominis: atqui hoc pertinet ad hæresim Cerinthi, & Ebionitharum: ergo.

II. In toto Evangelio non legitur Christum dixisse, se Patrem, aut Matrem, aut Fratres habuisse: sed se Filium Dei esse, & nihil de hoc mundo se velle habere: ergo illud, quod de genealogia Christi in Evangelio Matthæi habetur, non pollet authoritate Divina.

III. Matthæus sic orditur: Liber generationis Jesu Christi, non autem liber Evangelii Jesu Christi: ergo quæ scripsit Matthæus saltem hoc capite, potius Genesis, quam Evangelium nuncupari possent.

IV. Matthæus aliique Discipuli viderunt tantum Christum in carne, & quæ gessit in terris, cum Christus annorum esset triginta: ergo Matthæus certo narrare, ac describere non potuit Genealogiam Christi, quam non vidit.

V. In Evangelio Matthæi c. 2. v. 15. de Christo dicitur: *ut adimpleretur, quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem: ex ægypto vocavi filium meum.* Et v. 17. *Tunc impletum est, quod dictum est per Jeremiam Prophetam dicentem: Vox in Rama audita est* &c. Et v. 23. *Habitavit in civitate quæ vocatur Nazareth, ut impleretur, quod dictum est per Prophetas, quoniam Nazareus vocabitur.* Atqui hæc Spiritu S. inspirante non sunt scripta, cum ex veteri testamento citentur, & in eo non inveniantur. Ergo.

VI.

VI. Marcus incipit ſuum Evangelium: *Initium Evangelij Jeſu Chriſti filii Dei. Sicut ſcriptum eſt in Isaia Prophetа: ecce ego mitto Angelum meum* &c. atqui in iſtis verbis eſt gravis error: ergo. min. prob. Hoc teſtimonium non invenitur in Iſaia, ſed Malachia c. 3. v. 1. ergo.

VII. *Marcus* c. 2. v. 25. dicit: Chriſtum dixiſſe Phariſæis: *Numquid legiſtis, quid fecerit David, quando neceſſitatem habuit, & eſuriit ipſe, & qui cum eo erant. Quomodo introivit in Domum Dei ſub Abiathar Principe Sacerdotum, & panes propoſitionis manducavit, quos non licebat manducare niſi Sacerdotibus, & dedit eis, qui cum eo erant.* Atqui hic multa falſa dicuntur: ergo. min. prob. nam *1.* dicitur, quod hoc contigerit ſub *Abiathar*: & ex lib. *1.* Reg. c. 2*1.* conſtat, hoc contigiſſe ſub *Abimelech.* 2. dicitur, quod *David* dederit panem eis ſanctum, qui cum ipſo erant: & lib. Reg. dicitur, *David* fuiſſe ſolum. 3. dicitur, *David* intraſſe in domum Dei: tunc temporis vero necdum erat ædificata domus Dei: nec Arca (quæ etiam vocatur domus Dei) erat in *Nobe*, ſed in *Silo*, ut conſtat ex lib. *1.* Reg. c. *1.* 3. & 4. ergo.

VIII. *Lucas* in ſuo Evangelio non ſcripſit ea, quæ vidit, ſed quæ habuit ex traditione, ut ipſe ait c. 1. v. 2. *Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipſi viderunt:* atqui ex iis, qui ei tradiderunt, potuit decipi: ergo.

IX. *Lucas* fuit deceptus ſcribendo hiſtoriam *Pauli*, *Theclæ*, & baptizati *Leonis*: nam S. Hier. de ſcript. Eccleſ. verbo *Lucas* ait: *Pauli & Theclæ, & totam baptizati Leonis fabulam inter apocryphas ſcripturas computamus*: ergo & in ſcribendo Evangelio Lucas fuit deceptus.

X. *Joannis* Evangelium contradicit aliis Evangeliis: ergo. ant. prob. Joan. c. 2. v. 11. de aqua in vinum mutata dicitur: *Hoc fecit initium ſignorum Jeſus in Cana Galilææ.* Et c. 4. v. 54. recenſens ſanationem filii Reguli ait, *Hoc iterum ſecundum ſignum fecit Jeſus;* atqui mutatio aquæ in vinum non fuit primum, nec

ſanatio filii Reguli fuit ſecundum ſignum Jeſu: nam Lucas c. 2. v. 42. narrat primum Jeſu ſignum, quando puer annorum duodecim prædicavit in templo: etiam ante ſanationem filii Reguli multa alia miracula narrant Evangeliſtæ: ergo.

XI. Hiſtoria de muliere adultera, quæ habetur Joan. c. 8. non eſt Canonica: ergo. ant. prob. Ipſi Catholici Scriptores fatentur illam in Græcis codicibus non inveniri, ut Maldonatus in c. 8. Joan. Et Cornel. à Lap.

XII. *Matthæus* c. 1. v. 8. dicit: *Joram genuit Oziam.* Et ex 4. Reg. habetur, Joram genuit Ochoziam. Et c. 8. v. 27. Ochozias genuit Joam. Et c. 11. v. 2. Joas genuit Amaſiam. Et c. 12. v. ult. Amaſias genuit Oziam. Ergo.

XIII. Juxta Matthæum *Joſias genuit Jechoniam*, *Jechonias genuit Salathiel.* Et ex lib. 1. Paralip. c. 2. v. 15. filii Joſiæ fuerunt *Johanan* ante patrem mortuus ſine filiis, *Joakim*, *Sedecias*, & *Sellum.* De *Joakim* natus eſt *Jechonias* & *Sedecias*: filii *Jechoniæ* fuerunt *Aſir*, *Salathiel* &c. Ergo.

XIV. Juxta Matth. *Salathiel genuit Zorobabel.* Et lib. 1. Paralip. c. 3. v. 9. dicitur *Zorobabel* natum eſſe ex *Phadaja* fratre *Salathielis*, de *Phadaja* orti ſunt *Zorobabel* & *Semei.* Ergo.

XV. Juxta Matthæum *Jechonias genuit Salathiel*, *Salathiel genuit Zorobabel*, *Zorobabel genuit Abiud.* Et ſecundum Lucam c. 3. *Neri* genuit *Salathiel*, *Salathiel* genuit *Zorobabel*, *Zorobabel* genuit *Reſa.* Ergo..

XVI. Matthæus annuntiat generationes ter 14. atqui tot non reperiuntur: nam ut ſint generationes ter 14. verbum *genuit* deberet repeti 42. vicibus: ubi tamen ſolum 39. vicibus reperitur. Ergo.

XVII. Matth. c. 2. dicitur de Chriſto: *Nazaræus vocabitur*, Et Lucæ c. 7. v. 34. Chriſtus dicitur *Manducans & bibens vinum.* Ergo non fuit Nazaræus, nam Numer. c. 6. Nazaræis vinum erat prohibitum.

XVIII.

XVIII. Matth. c. 5. v. 16. Christus dicit: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona.* Et Matth. c. 6. v. 1. dicitur: *Ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.* Ergo.

XIX. Matth. c. 8. v. 5. dicitur: *Accessit ad eum Centurio.* Et Lucæ c. 7. v. 3. dicitur: *Misit ad eum seniores Judæorum.* Et v. 6. *misit Amicos.* Ergo.

XX. Matth. c. 9. v. 18. Princeps Synagogæ dicit: *Domine filia mea modo defuncta est.* Et Marc. c. 5. v. 23. dicitur: *Deprecabatur dicens: quoniam filia mea in extremis est.* Ergo.

XXI. Matth. c. 10. v. 5. dicit Christus: *In viam gentium ne abieritis.* Et Marc. c. ult. dicitur: *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni Creaturæ.* Ergo.

XXII. Matth. c. 10. v. 10. Christus præcipit Apostolis, ne habeant *peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque Virgam.* Et Marc. c. 6. v. 8. Christus *præcipit eis, nequid tollerent in via, nisi Virgam tantum.* Ergo.

XXIII. Matth. c. 15. v. 24. Christus dicit: *Non sum missus, nisi ad oves quæ perierunt Domus Israel.* Et Zach. c. 2. v. 8. dicitur: *Misit me ad gentes*: ergo.

XXIV. Matth. c. 22. v. 46. dicitur: *Neque ausus fuit quisquam ex illa die* (tertia ante passionem) *eum amplius interrogare.* Et c. 24. v. 3. Eum iterum Apostoli interrogant: *Dic nobis, quando hæc erunt.* Ergo.

XXV. Matth. c. 27. v. 9. dicitur: *Tunc impletum est, quod dictum est per Jeremiam Prophetam dicentem: & acceperunt 30. argenteos.* Atqui hæc non reperiuntur in Jeremia, sed in Zacharia c. 11. v. 12. Ergo.

XXVI. Matth. c. 26. v. 29. ait Christus: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis usque in diem illum, cum bibam vobiscum novum in regno Patris mei.* Et Actor. c. 10. v. 41. testatur S. Petrus se & alios post resurrectionem cum illo manducasse & bibisse dicens:

manducavimus, & bibimus cum illo, postquam resurrexit à mortuis. Ergo.

XXVII. Marci 11. v. 13. dicitur de Christo: *quod cum vidisset à longe ficum habentem folia, venit, si quid forte inveniret in ea, & cum venisset ad eam, nihil invenit præter folia, non enim erat tempus ficorum, & respondens dixit ei, jam non amplius in æternum ex te fructum quisquam manducet.* Et ut loquitur Matth. c. 21. v. 9. *nunquam ex te fructus nascatur insempiternum. Et arefacta est continuo ficulnea.* Jam si hi textus essent authentici, Christus sibi contradiceret exsiccando, & arefaciendo arborem illam à se productam, exigendo fructus ab ea præter virtutem illi in productione datam, & extra tempus his producendis à natura destinatum. Ergo.

XXVIII. Lucæ c. 2. v. 34. de Christo dicitur à Simeone: *Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum.* Et c. 9. v. 56. dicitur: *filius hominis non venit animas perdere, sed salvare.* Ergo.

XXIX. Christus apud Joannem c. 5. v. 31. ait. *Si ergo testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verum.* Et c. 8. v. 14. dicit: *Et si ego testimonium perhibeo de me ipso, verum est testimonium meum.* Atqui hæc est manifesta contradictio. Ergo.

XXX. Marci c. 10. v. 46. dicitur: *Et proficiscente eo de Jericho, cæcus* &c. Et Lucæ c. 18. v. 35. dicitur: *Cum appropinquaret Jericho, cæcus quidam sedebat secus viam* &c. Ergo.

XXXI. Marc. c. 4. v. 22. dicitur: *Manducantibus illis.* Luc. vero c. 22. v. 20. dicitur: *postquam cænavit.* Ergo.

XXXII. Marc. c. 15. v. 25. dicitur: *Erat hora tertia, & crucifixerunt eum.* Joan. vero c. 19. v. 14. dicitur: *Erat autem Parasceve Paschæ hora quasi sexta,* quando Pilatus tradidit Jesum crucifigendum. Ergo.

XXXIII. Marc. c. 16. v. 8. Mulieres, quæ iverant ad monumentum, *nemini quidqam dixerunt.* Et luc. c. 24. v. 9. dicitur: *nuntiaverunt hæc omnia illis undecim.* Ergo.

XXXIV. Marc. c. 16. v. 14. Christus *novissime apparuit recumbentibus illis undecim.* Et Joann. c. 20. dicitur. *Thomas non erat cum eis.* Ergo.

XXXV. Evangelistæ non conveniunt in designanda hora resurrectionis Christi: nam Matthæus ait: quod mulieres venerint ad monumentum *Vespere Sabbathi.* Marcus *valde mane orto jam sole.* Lucas *valde diluculo.* Et Joannes *mane cum adhuc tenebræ essent.* Ergo.

XXXVI. Luc. c. 3. v. 36. *Sale* dicitur filius *Cainan*, *Cainan* filius *Arphaxad.* Et Gen. c. 11. v. 12. dicitur: *Arphaxad genuit Sale.* Ergo.

XXXVII. Luc. c. 16. v. 8. dicitur: *Laudavit Dominus villicum iniquitatis.* Et Exod. c. 20. furtum prohibetur. Ergo.

XXXVIII. Joan. c. 3. v. 22. dicitur: *Jesus baptizabat.* Et c. 4. v. 3. dicitur: *Quamquam Jesus non baptizaret, sed discipuli ejus.* Ergo.

XXXIX. Joan. c. 7. v. 8. Christus dicit: *Non ascendo ad diem festum.* Et eodem c. v. 10. dicitur: *tunc & ipse ascendit ad diem festum, sed quasi in occulto.* Ergo.

XL. Joan. c. 7. v. 34. Christus dicit: *Ubi sum ego, vos non potestis venire.* Et c. 17. v. 34. ait: *Volo, ut ubi sum ego, & illi sint mecum.* Ergo.

SOLUTIONES.

AD I. Dist. maj. nullibi usque ad ejus baptismum dicitur Christus esse filius Dei expressis terminis, trans. maj. virtualiter, neg. maj. & min. cum conseq. S. P. Aug. lib. 23. Contra Faustum Manichæum (cujus hoc est argumentum) c. 5. ostendit, falsum esse, quod dictitabat Faustus, scilicet in genealogia, quam texuit Matthæus, tantum dici Christum filium hominis; nam statim c. 1. v. 23. subdit, quod ille, quem filium David nun-

nuncupat, de Spiritu S. conceptus ſit, atque in eo completum ſit illud Isaiæ vaticinium c. 7. *Ecce Virgo in utero habebit, & pariet filium, & vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod eſt interpretatum, nobiſcum Deus.*

Ad II. S. P. Auguſt. lib. 7. c. 2. reſpondet, quod, quando Chriſtus ait ſe non habere in terris Patrem aut Matrem, aut conſanquineos, id eodem prorſus modo intelligendum ſit, quo modo intelligitur, dum ſuos edocens diſcipulos dicebat: *Ne vobis dicatis Patrem in terra, unus enim eſt Pater veſter Deus:* per quod non negavit Chriſtus ſecundum humanitatem aſſumptam ſe Matrem habere: ſed ſignificare voluit, nos eis, â quibus geniti ſumus, non ita adhærere debere, ut ſalutem, & regnum cælorum perdamus.

Ad III. Conc. ant. neg. conſeq. cum S. P. Auguſt. lib. 2. c. 6. quia licet S. Matthæus ſuum Evangelium non incipiat his verbis: *Liber Evangelii*, ſed *Liber Generationis*, inde tamen non ſequitur, iſtud capud ad Evagelium non pertinere: nam Evangelium ſignificat bonum nuntium: quod autem fauſtum, ac bonum mundo nuntium attulit, quam Chriſti generatio, qua ejus Incarnatio declaratur?

Ad IV. Dicit S. P. Auguſt. lib. 7. c. 2. quod licet Matthæus Chriſtum naſcentem non viderit, ſed Ei jam 30. annos nato adhærere cæperit, peculiari tamen Spiritus S. afflatu perſpectas habuerit omnes circumſtantias generationis Chriſti: aut eas â probatiſſimæ fidei teſtibus acceperit, in quibus poſtea deſcribendis Spiritus S. ei ſpecialiter adfuit, ne memoriæ lapſu vel minimum â vero aberraret.

Ad V. Conc. maj. diſt. min. non inveniuntur dicta *literaliter* de Chriſto, conc. min. non inveniuntur dicta *ſpiritualiter* de Chriſto, neg. min. & conſeq. nam. locus habetur Oſeæ 11. v. 1. *Ex ægypto vocavi filium meum.* Etſi enim Propheta ibi loquitur literaliter de populo Iſrael ex ægypto in manu Moyſis educto,

in-

intelligitur tamen etiam hic locus ſpiritualiter de Chriſto, quia reditus filiorum Iſrael ex Ægypto fuit figura reditus Chriſti. 2. locus invenitur Jeremiæ c. 31. v. 15. ubi Jeremias loquitur literaliter de Tribubus Juda & Benjamin ductis in captivitatem, & inducitur Rachel etsi mortua, plorans hanc ſtragem, cum Rachel fuerat ſepulta in Bethlehem, quæ eſt urbs de Tribu Juda, Rachel autem erat de Tribu Benjamin, & ita per Rachel duæ hæ Tribus intelliguntur; tamen etiam intelligitur ſpiritualiter, cum ploratus Rachel fuerit figura lamentationis matrum plorantium cædem innocentium. 3. locus deſumptus dici poteſt ex Judic. c. 13. v. 5. ubi de Samſone, qui fuit figura Chriſti dicitur: *Erit enim Nazaræus Dei ab infantia ſua.* Vel ut loquitur S. Hier. in c. 2. Matth. *Poſſumus aliter dicere, quod etiam eiſdem verbis juxta Hebraicam veritatem in Iſaia ſcriptum ſit: exiet virga de radice Jeſſè, & Nazaræus de radice ejus aſcendet.*

Ad VI. Conc. maj. neg. min. ad prob. diſt. ant. Hoc teſtimonium non invenitur in Iſaia quoad omnia, conc. ant. quoad aliqua, neg. ant. & conſeq. dicit enim S. Hier. in c. 3. Matth. *de diverſis teſtimoniis ſcripturarum unum corpus effectum eſt.* Adeoque teſtimonium hoc eſt conflatum ex Iſaia c. 40. v. 3. ubi habetur: *Vox clamantis* &c. Et ex Malachia c. 3. v. 1. ubi priora verba habentur. Marcus autem tantum citavit Iſaiam utpote celebriorem, & cujus teſtimonium ejus propoſito magis quadrabat. Nullum ergo in hoc eſt mendacium, aut error, quia non ponitur aliquod excluſivum, negando eſſe aliquid, quod alteri poteſt attribui.

Ad VII. Omnia illa vero ſenſu poſſe concordari. 1. Quia juxta Ven. Bedam in c. 2. Marci. Tam Abimelech quam Abiathar fuerunt illic, cum veniens David panes petiit & accepit, nempe Abimelech Princeps ſacerdotum, & Abiathar ejus filius. Occiſo autem Abimelech à Saule, fugit Abiathar ad David, quo regnante accepit ipſe ſummi Sacerdotii gradum, non ob-

ſtante quod Sadoch eſſet conſtitutus à Saule ſummus Sacerdos. Marcus autem vocat Abiathar Principem Sacerdotum, ut declarat Beda, quia *Abiathar multo majoris Excellentiæ quam Pater ſuus effectus eſt, ideoque dignus fuit, cujus memoriam Dominus etiam vivente Patre quaſi ſummi faceret Sacerdotis.* 2. Quamvis enim David ſolus ad Abimelech Sacerdotem acceſſerit ad panes petendos, tamen 1.Reg. c. 21. facit mentionem Sociorum dicens: *Pueris condixi in illum & illum locum:* & inter Socios hos panes propoſitionis, quos accepit pro illis, diviſit. 3. Æque non urget: etſi enim templum tantum poſt mortem David à Salomone fuerit ædificatum, tamen tabernaculum erat in civitate *Nobe*, quod poſtea Saul tranſtulit in Gabaon. Nec obſtat, quod Arca Domini erat in *Silo*, quia locus, in quo erat tabernaculum, poteſt dici Domus Dei, cum ibi Deus ſpeciali ratione colebatur non minus, quam Coram Arca. Quod vero tabernaculum fuerit in *Nobe*, conſtat: civitas quippe hæc erat civitas Sacerdotum, & panes, quos Achimelech dedit David, fuerant ablati de menſa propoſitionis, quæ erat indubie in Tabernaculo.

Ad VIII. diſt. maj. quæ habuit ex ſola traditione, neg. maj. quæ habuit ex traditione aliorum, & inſuper ex inſpiratione & aſſiſtentia Spiritus S. conc. maj. ſolutio de ſe patet.

Ad IX. Diſt. ant. Et illæ hiſtoriæ falſe attribuuntur S. Lucæ conc. ant. Et illæ hiſtoriæ verè à S. Luca fuerunt conſcriptæ, neg. ant. & conſeq. Hiſtoriæ illæ inter Apocryphas ſcripturas à S. Hieron. rejiciuntur. Ergo eſt diſpar ratio de ſcriptis à S. Luca.

Ad X. diſt. min. non fuit primum abſolute, nec ſecundum ſimpliciter, conc. min. reſpective, neg. min. & conſeq. Joannes enim non dicit id fuiſſe Chriſti miraculum primum ſimpliciter & abſolute, ſed primum poſt baptiſmum, & diſcipulorum aſſumptionem: hoc vero non tollit, quod alia miracula in ſua

pue-

pueritia fecerit. Similiter non vocatur absolute secundum miraculum, sed *cum venisset à Judæa in Galilæam:* Joan. 4. c. v. 54. quocum stat, plura alia miracula prius fecisse.

Ad XI. neg. ant. ad prob. dist. ant. Et hoc fatentur Catholici Scriptores de aliquibus Græcis Codicibus, conc. ant. de omnibus Græcis codicibus, neg. ant. & conseq. Quod hoc Catholici Scriptores non fateantur de omnibus Græcis codicibus, clare patet ex S. Hier. lib. 2. Dial. adversus Pelagianos. Ratio autem, quare non habeatur in aliquibus Græcis codicibus, est: quia temporibus illis res adhuc erat dubia, & ideo hæc adulteræ historia ponitur inter scripta Deutero-Canonica: sed jam post Concil. Trid. totum Joannis Evangelium, etiam ut comprehendit adulteræ historiam, est Canonicum.

Ad XII. Nullam hic esse contradictionem. Nam Joram genuit Oziam non immediate, sed mediate, quomodo Jesus fuit mediate Filius David: nec verbum genuit magis significat, quam verbum *Filius.* Evangelista ergo nolens excedere Tesseradecadem generationum in singulis trium ordinum classibus pro missam, omisit hic tres generationes. Quod vero hos potius omiserit quam alios, ratio esse videtur, quod hi essent geniti ex Athalia filia impiissimi Achab & crudelissimæ Jezabel, quorum memoriam ad 4. usque generationem Deus abolitam voluit, & ideo in odium parentum hæ tres generationes à Christi genealogia excluduntur.

Ad XIII. Vitio Scriptorum ex textu excidit una generatio; duo enim vocabantur *Jechonias*, nempe *Eliacim* filius *Josiæ*, cujus nomen in *Joakim* vertit Pharao 4. Reg. c. 23. v. 44. Et *Joachim* filius *Joakimi* nepos Josiæ, ut constat ex 4. Reg. c. 24. v. 6. Scriptores ergo videntes nomen *Jechoniæ* bis repetitum, mendum crediderunt, quod emendare volentes, textum corruperunt. Legendum ergo est: *Josias genuit Jechoniam*, seu *Joakim & fratres ejus. Jechonias autem genuit Jechoniam* seu *Joacbin*

 in

in transmigratione Babylonis, id eſt, ſub tempus abductionis Judæorum in Babyloniam, quæ cæpit anno 3. ejusdem Joachim. Ita 4. Reg. c. 24. v. 8. Hanc ſolutionem eſſe fundatam patet 1. ex eo, quia ſolus primus *Jechonias* filius *Josiæ* habuit plures fratres: ſecundus vero, qui fuit Pater *Salathielis* habuit unicum fratrem, nempe *Sedeciam.* Patet 2. ex eo, quia in Teſſeradecade tertia eſſent tantum 13. generationes, cum Evangeliſta annuntiet 14. quæ reperiuntur à *Salathiel* uſque ad Chriſtum incluſive.

Dices: Jerem. c. 22. v. 30. Hic *Jechonias* filius *Joakimi* vocatur ſterilis: ergo non fuit Pater *Salathielis.* ℞. Diſt. ant. vocatur ſterilis abſolute, id eſt, ſine liberis, neg. ant. nam lib. 1. Paralip. c. 3. v. 17. ipſi aſſignat octo filios. Vocatur ſterilis relative ad Sceptrum regium, à quo ipſos privandos prophetat Jeremias, conc. ant. neg. conſeq. Ipſemet Propheta Jeremias ſe explicat dicens: *Scribe virum iſtum ſterilem, nec enim erit de ſemine ejus vir, qui ſedeat ſuper ſolium David* &c quod etiam impletum eſt: nam licet filii Jechoniæ ſemper titulo Principum gaviſi fuerint, ut patet in Zorobabele filio *Salathielis*: Aggæi c. 1. v. 1. tamen imperium erat penes Pontifices.

Ad XIV. *Zorobabelem*, de quo loquitur lib. Paralip. non eſſe eum, de quo loquitur Matthæus. Nam *Zorobabel*, de quo loquitur Matthæus, ut ex 1. Eſd. c. 3. v. 18. Et ex Aggæo c. 1. conſtat, fuit filius *Salathiel*, & Pater *Abiud.* *Zorobabel* vero, de quo loquitur lib. Paralip. fuit filius Phadajæ fratris *Salathielis*, qui *Zorobabel* genuit *Moſellam*, *Hananiam*, & *Salomith* Sororem eorum: iſte ergo *Zorobabel* alium patrem, & alios filios habuit, quam *Zorobabel*, de quo loquitur Matthæus.

Ad XV. *Salathielem*, & *Zorobabelem*, de quibus loquitur hic Lucas, prorſus alios eſſe ab iis, quos deſcribit Matthæus. Neque enim rarum eſt in diverſis familiis reperire plures ejuſdem nominis, maxime ſi illæ familiæ ſanquine, vel affinitate ſint copulatæ.

Ad

Ad XVI. Reponendo in ſuum locum generationem *Jechoniæ* ſeu *Joakim*, quæ ex textu ſublata eſt vitio ſcriptorum, & numerando generationem Chriſti *filii Mariæ*, *de qua natus eſt Jeſus*, quod æquivalet verbo *genuit*, reperiuntur generationes 41. Tota ergo difficultas eſt de quadrageſima ſecunda, circa quam eſt duplex interpretum ſententia. Prima eſt eorum, qui comprehendunt generationem, qua *Abraham* genitus eſt, ita ut *Abraham* ſit primum caput genealogiæ, *Iſaac* ſecundum &c. Et hæc ſententia arridet. Secunda eſt eorum, qui non comprehendentes *Abraham* tanquam ſtipitem, bis numerant generationem *Davidis*, ita ut claudat pri-mam Teſſeradecadem, & aperiat ſecundam hoc modo, *David genuit Salomonem*, & ſic prima Teſſeradecas clauditur: & ut aperiatur ſecunda, dicendum, *David* itaque genuit *Salomonem*. Neque dicatur: ergo generatio *Joſiæ* deberet ſimiliter bis repeti. Non inquam dicatur, Nam Evangeliſta dicit ſolum, *ab Abraham uſque ad David generationes 14.* Sed non dicit *A David uſque ad Joachim*, ſed *à David uſque ad tranſmigrationem Babylonis*: & ſic *Joſias* claudit ſecundam Teſſeradecadem, ſed non aperit tertiam, quæ aperitur à tranſmigratione Babylonis.

Ad XVII. Chriſtum *Nazaræum* (id eſt floridum juxta Iſaiam c. 11.) dici à civitate *Nazareth*, in qua poſt ſui ex ægypto reditum habitavit: non vero à ſtatu Religioſo, cui per votum ſeſe addicebant Nazaræi illi, quibus vinum erat prohibitum. Ita exponit Tirinus.

Ad XVIII. Chriſtum non improbare opera bona facta coram aliis, ſed ſolum pravam corrigere velle intentionem eorum, qui ideo bene operantur, ut videantur ab hominibus, & inde humanam percipiant gloriam.

Ad XIX. Eum accedere, qui per alium à ſe miſſum accedit: quidquid enim aliquis per procuratorem facit, recte dicitur & ipſe feciſſe: procurator enim & agens principalis ſunt fictione juris una eademque moraliter perſona.

Ad XX. Filiam Archiſynagogi ita deſperatæ ſalutis fuiſſe, quando eam reliquit, ut veniret ad Jeſum, ut jam defuncta potuerit dici: quomodo de moribundo quotidie dicimus, jam mortuus eſt, id eſt, deſperatæ ſalutis eſt. Et ſic Archiſynagogus potuit utrumque dicere, & jam mortua eſt, & in extremis eſt.

Ad XXI. Diſtinquenda eſſe tempora: Chriſtus enim initio ſuæ prædicationis voluit, ut Apoſtoli ſuam miſſionem inciperent *ab ovibus quæ perierunt domus Israel*, ut Judæis Paulus & Barnabas Act. 13. declararunt: *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, ſed quoniam repellitis illud --- ecce convertimur ad gentes.* tandem poſt ſuam reſurrectionem, quæ plene Apoſtolos corroboraverat, præcepit, ut per univerſum orbem divulgarent Evangelium.

Ad XXII. Matthæum literaliter *per Virgam* intelligere *Virgam defenſoriam*, quam Apoſtolis prohibet Chriſtus; Marcum vero intelligere *Virgam viatoriam* ad innitendum in via. Sed utrumque myſtice intelligere nimiam curam corporis, quam Chriſtus Apoſtolis ſuis prohibuit: quem ſenſum myſticum ſemper retinuerunt Chriſtus & Apoſtoli, non vero ſenſum literalem.

Ad XXIII. Chriſtum alia per ſe facere, alia per Apoſtolos: non fuit miſſus, ut gentibus proponeret verba ſalutis per ſe ſed per Apoſtolos, quibus poſt reſurrectionem dixit: *Euntes in mundum univerſum* &c. Sed eſt miſſus, ut Judæis per ſe præſentem, & apud ipſos miracula operantem annuntiaret Evangelium: unde uterque textus eſt verus.

Ad XXIV. Primum textum loqui de Phariſæis, qui de facto eum tentandi cauſa *publice*, ut prius ſolebant, non amplius interrogaverunt; ſecundum textum loqui de Apoſtolis, qui eum, ut ait D. Marcus, *ſecreto* interrogaverunt.

Ad XXV. Nomen Jæremiæ hic incuria librariorum irrepſiſſe: tum quia Matthæus non ſolet exprimere nomina Prophe-

tar-

tarum, quos citat. Tum quia Syriacus, & nonnulli codices latini (quorum unus extat Romæ adhuc in bibliotheca Augustinianorum) non habent nomen Jeremiæ. Vel hæc verba non esse à Jeremia scripta, sed ore tantum prolata, scripta vero à Zacharia, qui ea per oralem traditionem acceperat, quod non rarum est in Prophetis. Vel cum S.P. August. Tertull. Corn. à Lap. Eusebio: hæc eadem omnia olim in Jeremia extitisse, sed incuria scriptorum intercidisse, vel à Judæis erasa fuisse.

Ad XXVI. Christum Dominum post resurrectionem cum suis discipulis manducasse, & bibisse vinum naturale, seu de genimine vitis, non tamen illud bibisse ordinario modo, & ad serviendum naturæ necessitati: & hoc solo modo negaverat ante passionem se deinceps cum illis comesturum, & bibiturum, sed solum ad majus suæ resurrectionis testimonium.

Ad XXVII. Ibi nullam esse contradictionem, sed meram Christi Sapientiam. Voluit namque Christus hoc signo manifestare Judæis, quod arefaciendo arborem illam ex se non tale promerentem, multo magis & à fortiori illorum Synagogam arefaciendam brevi, reprobandam, & eradicandam, utpote quæ præter mera sterilium cæremoniarum folia, nihil jam Deo obtulit: cum tamen illud inter arbores & homines sit discrimen, ut illæ nonnisi certo anni tempore fructus dare, isti vero toto vitæ suæ tempore dignos pœnitentiæ fructus afferre teneantur.

Ad XXVIII. Dum dicitur Lucæ 2. c. Christus *positus inruinam multorum*, sensum esse, Christum non esse causam formaliter, per se, & directam ruinæ multorum, sed solum occasionaliter, per accidens, & indirecte, quatenus multi ejus gratiæ, & doctrinæ resistentes majorem sibi damnationem acquirent.

Ad XXIX. Per ly *verbum* Christum intelligere *fide dignum*: unde sensus primi textus est: *si ego solus testimonium perbibeo de me ipso*,

ipso, *testimonium meum non est* communi æstimatione dignum, ut credatur, sed *alius est qui* una mecum *testimonium perbibet de me Pater*: ergo testimonium meum dignum est, ut credatur. Sensus secundi textus est: *si ego testimonium perbibeo de me ipso, verum est testimonium meum*---quia solus non sum: *sed ego*, & *qui misit me Pater*, duo testes omni exceptione majores.

Ad XXX. Verbum *appropinquaret* significare, *cum propinquus esset Jericho*, quod potuit dici de Christo sive egrediente de Jericho sive ingrediente urbem Jericho, quam paulo post egressum iterum Christus ingressus est, ut patet Luc. 19. v. 1. *Et ingressus perambulabat Jericho.*

Ad XXXI. Tres fuisse cænas. 1. Paschalem & Sacram. 2. Vulgarem & prophanam. 2. Eucharisticam. Porro cænæ Paschalis & vulgaris erant peractæ, quando Christus Eucharistiam instituit, sed adhuc cum Apostolis mensæ epulis constratæ accumbebat: & ideo Evangelistæ indifferenter dicere potuerunt, *cænantibus*, aut *postquam cænavit.*

Ad XXXII. Judæos divisisse diem in quatuor horas, quæ dicebantur *Prima*, *Tertia*, *Sexta*, *Nona*: & quælibet illarum complectebatur tres horas communes. Pilatus ergo tradidit Jesum hora quasi Sexta, idest, sub finem horæ tertiæ, quæ durabat à nona nostra communi usque ad meridiem, qua durante Christus fuit traditus, & crucifixus.

Ad XXXIII. Mulieres *nemini* per viam occurrenti *quidquam dixerunt* hac de re, quia *invaserat eas tremor*: sed *nuntiaverunt* Apostolis: in quo nulla contradictio.

Ad XXXIV. Collegium Apostolorum ante Apostasiam Judæ vocatum fuisse collegium duodecim: postea dictum fuisse collegium undecim, sive aliqui fuerint absentes, sive etiam aliqui alii, qui non erant Apostoli, fuerint præsentes: quia à nobiliori parte sic vocabatur consessus Apostolorum.

Ad

Ad XXXV. Evangeliſtas ibi diverſo modo loquendi idem ſignificare voluiſſe, ut lib. 3. de conſens. Evangel. c. 14. eos conciliat S. P. Auguſt. dicens: Matthæum nomine *Veſpere* ſumpſiſſe ſecundum conſuetudinem Scripturarum partem pro toto, nempe primam horam noctis, à qua cæperunt emere aromata, pro tota nocte, imo pro nocte, dum incipit luce terminari, quod indicant verba Mathæi: *veſpere autem ſabbathi, quæ luceſcit in prima ſabbathi*: prima enim pars noctis, utpote quæ terminatur in tenebras & medium noctis, non luceſcit in prima ſabbathi, id eſt, dominica poſt ſabbathum, ſed terminus noctis. Unde ordo rei geſtæ hic fuit, ut mulieres emerint aromata ſtatim, cum tranſiiſſet ſabbathum, ſicut Marci c. 16. v. 1. habetur, hoc eſt, illo veſpere ſabbathi poſt occaſum ſolis: deinde cum jam diu tranſiiſſet ſabbathum nocte ſabbathi jam luceſcente in primam diem poſt ſabbathum, id eſt Dominicam, venerint ad monumentum. Quod totum optime concordat cum Luca dicente *valde diluculo*, cum Joanne, *Mane cum adhuc tenebræ eſſent*, cum Marco *valde mane*: die quippe ſurgente aliquæ reliquiæ tenebrarum ſunt, quæ tanto magis attenuantur, quanto magis oritur lux. Quod autem Marcus dicat *Orto jam ſole*, non facit ſenſum, ſolem jam conſpicuum ſuper terram fuiſſe, ſed quod cælum ab Orientis parte jam albeſceret, quod utique non fit niſi orientis ſolis vicinitate, ſolis enim eſt ille fulgor, qui nomine Auroræ appellari ſolet.

Ad XXXVI. Cainam fuiſſe à Moyſe ex cauſis nobis ignotis prætermiſſum: ſed à LXX. vel ex veteribus Hebræorum hiſtoriis, vel ex Spiritu S. afflatu fuiſſe in locum ſuum inſertum, quos Lucas græce ſcribens eſt ſecutus.

Ad XXXVII. Non Chriſtum, ſed villici Dominum laudaſſe, non furtum, ſed induſtriam, qua prudenter fecit; unde non furti actionem, ſed modum actionis laudaſſe.

Ad XXXVIII. Jesum baptizasse non suis, sed discipulorum manibus, & hoc est, quod explicat c. 4. licet tamen Christus aliquos, scilicet Apostolos, propriis manibus baptizaverit, sed alio tempore.

Ad XXXIX. In Græco esse, *Nondum ascendo, quia tempus meum* ad ascendendum *nondum impletum est*, ut sequitur: unde nulla est contradictio.

Ad XL. Christum loqui de gloria cælesti, qua semper fruitus est; & c. 7. declarat, discipulos ipsa non posse donari, quamdiu sunt in hac vita. c. vero 17. vult, id est, summe desiderat, ut suo tempore recipiantur cum ipso in æterna gloria.

Objectiones Contra Acta Apostolorum.

I. S. Lucas Act. c. 1. v. 1. ait: *Primum sermonem feci de omnibus ó Theophile, quæ cæpit Jesus facere, & docere.* Joannes vero c. ult. sui Evangelii dicit: *Sunt & alia multa, quæ fecit Jesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt libri.* Ergo.

II. Act. c. 15. v. 28. Apostoli simul congregati definiunt: *Visum est Spiritu S. & nobis, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum.* Et D. Paulus 1. ad Timoth. c. 4. v. 3. ait: Doctrinam esse dæmoniorum abstinere à cibis, quos Deus creavit. Ergo.

III. Act. c. 7. v. 2. dicit S. Stephanus: *Deus apparuit Abrahæ, cum esset in Mesopotamia, priusquam moraretur in Charan*, seu Haran. Et Gen. c. 11. v. 41. Abraham dicitur non ex Mesopotamia, sed ex *Ur Chaldæorum eductus.* Ergo.

IV. S. Stephanus dicit Deum apparuisse Abrahæ, priusquam moraretur in Charan: & Moyses Gen. c. 11. dicit Abraham eductum de *Ur Chaldæorum* venisse *usque Haran, & habitasse ibi:* & postea immediate c. 12. addit: *Dixit autem Dominus ad Abraham, egredere de terra tua, & de cognatione tua, & domo Patris.*

tris tui &c. ergo Deus apparuit Abrahamo in *Charan*, non in *Ur*.

V. Act. c. 7. v. 6. Deus dixit: *Erit ſemen ejus accola in terra aliena, & ſervituti eos ſubjicient annis 400.* Et Exod. c. 12. v. 40. *Filii Israel manſerunt in Ægypto annis 430.* Ergo.

VI. Act. c. 9. v. 7. dicitur: *Viri autem illi, qui comitabantur cum illo* (Paulo) *audientes vocem, neminem autem videntes.* Et ipſe Saulus c. 22. v. 9. dicit: *Qui mecum erant, lumen quidem viderunt, vocem autem non audierunt.* Ergo.

VII. Act. c. 13. v. 21. dicitur: *Regem dedit illis Deus Saul annis 40.* Et Reg. c. 13. v. 1. dicitur: *Filius unius anni erat Saul cum regnare cæpiſſet, duobus autem annis regnavit ſuper Israel.* Ergo.

VIII. Act. c. 15. v. 1. dicitur: *Niſi circumcidamini, non poteſtis ſalvari.* Et Paulus ad Galat. c. 5. v. 1. dicit: *Si circumcidamini, Chriſtus nihil vobis proderit.* Ergo.

IX. Act. c. 15. v. 10. D. Petrus ait: *Quid tentatis Deum imponere jugum ſuper cervices diſcipulorum, quod neque Patres noſtri, neque nos portare potuimus.* Et Deut. c. 30. v. 11. dicitur: *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi, non eſt ſupra te.* Ergo.

SOLUTIONES.

AD I. S. Lucam non de omnibus abſolute loqui, ſed ſolum de præcipuis Chriſti geſtis, ac documentis à prima infantia uſque ad ejus in cælum aſcenſum. S. Joannem vero abſolute de omnibus loqui.

Ad II. Ibi Apoſtolum non dicere, quod abſtinere *abſolute* à certis cibis ſit doctrina dæmoniorum, ſed abſtinere ab illis *ſuperſtitioſe*, hoc eſt abſtinere ab illis quaſi immundis, ut Judæi ſolebant, vel quaſi per ſe malis, & à malo Deo ſeu dæmone procreatis, eo modo quo Simoniaci, Saturniani. Ebionitæ,

Marcionitæ & alij abstinebant hæretici: unde abstinere à quibusdam cibis ex motivo obedientiæ, temperantiæ, vel pænitentiæ, exemplo S. Joannis Baptistæ, & in eo sensu, in quo interdum præcipit abstinere Ecclesia, non dæmoniorum, sed Spiritus S. doctrina est.

Ad III. S. Stephanum accipere *Mesopotamiam* late & extensive, prout comprehendit etiam partem Chaldææ, in qua *Ur* sita erat: nam v. 4. dicitur: *Tunc exiit de terra Chaldæorum, & habitavit in Charan.*

Ad IV. Apparitionem Dei factam esse Abrahæ, dum esset in *Ur:* unde Moyses Genes. cap. 12. resumit historiam ejus à tempore, quo ex *Ur* egressus est, ponit ergo *Dixit* pro *Dixerat*, vel pro *Dixit autem, cum esset in Ur*, quod subintelligit; nam Haran non erat terra Abrahæ, ibi non erat ejus cognatio, nec domus Patris: ergo non potuit in *Haran* dicere, *Exi de terra tua, & de cognatione tua* &c.

Ad V. Annos 400. Actuum numerandos esse à nativitate Isaac, quem Abraham genuit anno ætatis suæ 100. hoc patet tum ex verbo *Semen*, id est posteritas: tum ex Gen. c. 5. v. 13. ubi dicitur: *Scito prænosciens, quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, & affligent 400. annis.* Annos vero 430. Exodi numerandos esse ab egressu de Ur Chaldæorum in Haran, ubi remansit 5. annis, quo tempore genuit filios, indeque ingrediens anno ætatis 75. *Tulit Sarai uxorem suam, & animas quas fecerant in Haran, & pervenerunt in terram Chanaan*, ubi ætatis anno 100. genuit Isaac, 30. annis post egressum ex *Ur*. Hoc totum colligitur ex c. 12. v. 4. & seq. Gen.

Ad VI. Illam vocem *Non audierunt* in c. 22. significare *non intellexerunt*, vel quia non callebant linquam Hebraicam, qua Christus usus est, ut dicitur Act. c. 24. v. 14. Vel quia non audierunt linquam articulatam, sed confusam instar tonitru: uti & legitur simile Joan. c. 12. v. 28.

Ad VII. In his 40. annis includi annos, quibus Samuel ante Saul præfuit Israeli. Senſus autem libri Regum eſt hic: jam regnaverat uno anno Saul, quando indixit bellum Philiſtæis, & poſtea duobus adhuc annis regnavit in Israel. Vel uno anno adhuc regnavit, qui annus junctus primo facit duos annos, & ſic duobus annis regnavit in Israel: qui ſenſus eſt conformis Hebræo originali, quod ſic habet: *Filius anni* (unius vel primi) *erat Saul in regno ſuo, & altero anno regnavit in Israel.*

Ad VIII. Illud Actorum dictum fuiſſe à quibuſdam Judæis, qui hæretice docebant, Gentiles non poſſe obtinere ſalutem, niſi prius fierent Proſeliti, & Judaiſmo insererentur, quem errorem damnarunt Apoſtoli in 1. Conc. Jeroſolymis, quem etiam damnat Paulus ſcribens ad Galatas, hominesque docens non ſalvari per circumciſionem, aliasque legis Moſaicæ cæremonias, ſed per per gratiam Jeſu Chriſti.

Ad IX. In primo textu D. Petrum redarguere eos, qui docebant neceſſe eſſe ad ſalutem, ut Gentiles ad Chriſtum converſi circumciderentur, & obſervarent legem Moyſis: contra quos D. Petrus docet, Chriſtianos non eſſe obligandos ad cæremonias legis non modo, quia ſunt jugum graviſſimum, & moraliter importabile, ſed etiam quia ſunt inutiles ad juſtificationem. Textum vero Deut. intelligi de præcepto Amoris Dei, quod eſſe facillimum obſervatu nemo non experitur, qui illud religioſe obſervat.

Objectiones Contra Epiſtolam D. Pauli ad Hebræos.

I. Illa Epiſtola canonica non eſt, quæ favere videtur hæreticis Novatianis: atqui Epiſtola Pauli ad Hebræos ita favere videtur: ergo non eſt canonica. min. prob. Hæc epiſtola c. 6. dicit: *Impoſſibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati iterum renovari ad pænitentiam.* Item c. 10. v. 26. dicit: *Non relinqui hoſtiam pro peccato*

cato illis, qui voluntarie peccant post acceptam notitiam veritatis. Et c. 12. v. 16. & 17 de Esau dicit: *Non invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquisisset eam.* Sed hæc omnia favere videntur hæresi Novatianorum, qui aliqua peccata irremissibilia volebant: ergo.

II. Hæc Epistola ad Hebræos favere videtur Arianis, Socinianis, & Unitarys, dum c. 1. v. 3. Filius Divinus non pronuntiatur *Patri consubstantialis*, sed solum *splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus.* Et v. 4. solum excellentissima inter Creaturas asseri videtur, dum dicit: *melior Angelis effectus.* Ergo.

III. Hæc Epistola c. 1. v. 5. probat Christum esse filium Dei ex verbis 2. Reg. c. 7. v. 14. *Ego ero illi in Patrem*: quæ verba ad literam de Salomone dicta sunt: ergo ex his verbis hujus Epistolæ non probatur idipsum solide: cum solum ex sensu literali firmum argumentum sumi possit.

IV. Hæc Epistola c. 9. v. 4 dicit, fuisse in Arca urnam auream habentem Manna, & Virgam Aaron, quæ fronduerat, & Tabulas legis: sed hoc contradicit L. 3. Reg. c. 8. v. 9. ubi habetur: *in Arca autem non erat aliud, nisi duæ tabulæ lapideæ, quas posuerat in ea Moyses in Horeb.* Ergo.

V. Hæc Epistola dum c. 9. v. 15. loquitur de testamento proprie dicto, quod morte testatoris confirmatur, allegat verba Exod. c. 24. Et Levit. c. 14. v. 49. *Hic sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus.* Ubi nomine testamenti intelligitur fœdus, seu pactum; atqui non omne pactum est testamentum: ergo.

VI. Ipsi Ss. Patres fatentur, certum non esse, hanc Epistolam esse S. Pauli: Ita Tertul. lib. de pudicitia eam tribuit Barnabæ. Hieron. ait: certum non esse fœtum esse Paulinum. S. P. Aug. lib. 16. de Civit. Dei c. 22. ita scribit: In Epistola, quæ scribitur ad Hebræos, quam plures Apostoli Pauli esse dicunt,

cunt, quidam vero negant, multa & magna conſcripta ſunt. Ergo hæc Epiſtola Canonicis non eſt annumeranda libris.

VII. Hæc Epiſtola ad Hebræos non eſt fœtus D. Pauli: ergo. ant. prob. Initio hujus Epiſtolæ neque exprimitur nomen Pauli Apoſtoli, neque hæc Salutatio: *gratia vobis & pax* &c. quam in aliis omnibus ſuis Epiſtolis ſolet apponere: ergo.

VIII. In hac Epiſtola eſt longe diverſus ſtylus à ſtylo aliarum Epiſtolarum Pauli: ornatior & gravior eſt, quam in aliis tredecim Pauli Epiſtolis, in quibus ſe ipſum imperitum ſermone, nec in ſublimitate ſermonis veniſſe dicit: ergo.

IX. Author ſub finem hujus Epiſtolæ ſcribit ſe reverſurum ad Judæos: quod certe in Paulum non cadit, qui, ut eos tanquam ſuos capitales hoſtes effugeret, Cæſarem appellavit: ergo.

X. Author hujus Epiſtolæ c. 2. v. 3. ſeſe annumerat iis, qui non à Chriſto, ſed ab Apoſtolis doctrinam acceperunt; atqui Paulus ad Galat. c. 1. affirmat, ſe non ab homine, ſed à Chriſto per revelationem accepiſſe Evangelium: ergo.

SOLUTIONES.

AD I. Apoſtolum loqui de eo, qui peccat contra Spiritum S. id eſt, qui à Spiritu S. illuminatus, habens plenam cognitionem veritatis, adhuc voluntarie & ex malitia cognitam & exploratam veritatem oppugnat. Hunc ergo impoſſibile eſt, ait Paulus, rurſus renovari ad pœnitentiam: id eſt, moraliter impoſſibile, ſeu perquam difficile eſt, ut convertatur; tum quia qui ſic peccant, ut plurimum non convertuntur: tum quia qui in Spiritum S. peccant, directe reſiſtunt gratiæ, qua ſola curari poſſent: quæ eſt unicum remedium ad recuperandam ſalutem & veniam: quamvis contingere poſſit abſolute, ut tales peccantes tandem ſuaſionibus cedant, gratiam

ac-

acceptent, & ſic eis remittatur peccatum. Et ſic intellectus textus Apoſtoli minime Novatianis favet, utpote qui aliqua peccata abſolute prorſus, ac omnino irremiſſibilia eſſe docebant. Præterea S. Chryſoſt. & Theodoretus cum aliis Ss. Patribus dicunt, textus citatos primum, & ſecundum debere intelligi de renovatione rurſus per baptiſmum, non autem reconciliatione per pœnitentiam: ita ut ſenſus ſit iſte: Impoſſibile eſt rurſus renovari ad pœnitentiam, id eſt, recuperare baptiſmatis gratiam, quatenus gratia renovationis & regenerationis eſt: non autem quod impoſſibile ſit obtinere veniam peccatorum per pœnitentiam, & juſtificari per gratiam reconciliationis; nomine hoſtiæ enim hic intelligitur baptiſmus, aut potius mors & paſſio Chriſti, quatenus in baptiſmo operantur. Unde ſequitur quod Apoſtolus in utroque textu non excludat pœnitentiam, ſed tantum iterationem baptiſmi, ita ut velit in Eccleſia non eſſe locum ſecundi baptiſmatis, qua iterum ſicut prius abluamur. Tertius textus minime ſervire poteſt Novatianis, quia Eſau pœnitentia non fuit vera: nam ut loquitur Theodoretus in hunc locum, *Eſau non flevit agens pœnitentiam, ſed fratris felicitati invidens.* Tandem ſi hæc verba faverent Novatianis: etiam iſta Chriſti verba Matth. c. 12. v. 32. *Qui autem dixerit* (verbum) *contra Spiritum S. non remittetur ei, neque in hoc Sæculo, neque in futuro:* Novatianis faverent.

Ad II. Nomina *Splendoris* & *figuræ*, ſeu ut ait Græcus, *Characteris* ſubſtantiæ ejus (ut explicat Theodoretus in hunc locum) mire exprimunt, & explicant coexiſtentiam, coæternitatem, conſubſtantialitatem Filii cum Patre: ſicut enim ignis aut ſol non eſt ſplendore, duratione anterior, nec ipſum libere, ſed neceſſario, immutabiliter & perpetuo diffundit, nec ab eo ſeparabilis eſt: ita Pater æternus filium ſuum duratione non præcedit, nec eum libere, ſed naturaliter & continuo generat, eſtque ab eo prorſus inſeparabilis. Ita etiam ſentit S. Chryſoſt.

Hom.

Hom. 2. ad Hebr. Illa verba: *tanto melior Angelis effectus:* juxta Theodorethum in epist. ad Ephes. intelligi debent quoad humanitatem.

Ad III. Verba illa, *ego ero illi in Patrem* in literali sensu de Salomone quidem dicta esse, qui filius Dei per adoptationem, & proinde improprie talis fuit: attamen ex intentione Spiritus S. verba hæc etiam Christum mystice ac prophetice respexisse, qui natura filius Dei est. Et negatur, quod solum ex sensu literali ad stabiliendam fidei veritatem validum argumentum sumi possit, si enim hoc verum esset, nullum ex iis, quæ mystice, ac typice in veteri testamento Christum designant, efficax argumentum confici posset: quod nullus dixerit.

Ad IV. Apostolum per præpositionem *in* non significare *intra*, sed juxta Arcam in aliquo sinu, qui erat appendix Arcæ: quomodo Christus Luc. c. 3. dicitur moriturus *in Jerusalem*, cum tamen juxta civitatem illam sit mortuus, & non intra muros ejus; sic licet D. Joannes baptizaret juxta urbem Bethaniæ, dicitur tamen *Hæc in Bethania facta sunt.* Vel dicatur cum Theophilacto & aliis, quod tempore Salomonis non fuerit in Arca nisi duæ tabulæ legis, cætera autem postea fuerint reposita à Jeremia, quando abscondit Arcam, ut refertur 2. Machab. c. 2. v. 5.

Ad V. Quod licet vox Hebraica *Berith* fœdus & testamentum promiscue significet, tamen LXX. Interpretes, quorum hic versionem S. Paulus secutus est, *Diathicin*, id est, ultimam dispositionem non sine Divino afflatu verterint, quia cum fœdus illud cum Israel non esset consummandum nisi per sanquinem, & mortem Jesu, quo fiebat, ut esset pactum de conferenda per mortem ejus hæreditate vitæ æternæ, aptissime pactum illud vocare potuit Paulus nomine testamenti, prout ad Rom. c. 9. Ad Galat. c. 3. & 4. alibi loquens de lege veteri semper testamentum vocat id, quod Hebræi dicunt *Berith.* Imo adeo trita est in Ec-

clesia vox hæc *testamentum* pro Hebraica voce *Berith*, ut nihil frequentius dicamus, vel audiamus, quam testamentum vetus, & testamentum novum.

Ad VI. Licet scriptor hujus Epistolæ esset incertus, tamen ex Ecclesiæ traditione habemus eam esse canonicam. Neque hæc Epistola quovis tempore, aut omnibus fuit indubia: inde neque libris Protocanonicis annumeratur: attamen jam ut Canonica, & genuinum Pauli scriptum respiciendum est, ut antiquitas demonstrat: hanc enim Epistolam ut Pauli fœtum agnoscebant. Ex Græcis Patribus Clem. Alexand. apud Euseb. l. 6. Hist. c. 14. Dionys. Alexand. in Epistola contra Paulum Samosatenum. S. Athan. Epist. ad Alexandrum Episc. Constantinop. &c. E Latinis PP. præter Concil. Carthag. III. & Innoc. I. Epist. 3. ad Exup. S. Hier. Epist. ad Dardanum. S. P. Aug. l. 2. de doct. Christ. c. 8. S. Hilarius l. 4. de Trin. S. Ambros. l. 1. de fide c. 4. &c. Ergo. immerito Lutherus cum suis hanc epistolam è Canone Librorum Sacrorum expungit.

Ad VII. Neg. ant. ad prob. conc. ant. neg. conseq. quia D. Paulus justas habuit causas non exprimendi suum nomen initio hujus Epistolæ. *Prima* est: Cum enim Paulus sciret nomen suum esse invisum Hebræis, ne eos à lectione averteret, consulto nomen suum non inscripsit, neque salutationem ordinariam apposuit, ut in aliis. Ita Clem. Alexand. Apud Euseb. l. 1. c. 11. cui consentit D. Hier. l. de script. Eccles. in Paulo. *Secunda* est: ne cum Apostolus gentium esset, præter officium ad Hebræos scribere videretur. Ita Theodoreth. præfat. Comment. in c. 1. ad Galat.

Ad VIII. Paulo non defuisse sublimitatem styli: sed ut omnes Christo lucrifaceret, nunc grandiori, nunc simpliciori stylo usum esse, uti unicuique expediebat.

Ad IX. Paulum, cum Romæ esset, ad Judæos scribere potuisse se ad illos reversurum: hanc enim Epistolam Paulus nominc-

minatim non direxerat ad Judæos Hierosolymis commorantes, quorum ut rabiem effugeret, cæsarem appellaverat, sed ad Ju, dæos in Asia dispersos, ad quos citra periculum redire poterat.

Ad X. Paulum hic non agere de confirmatione Evangelij per doctrinam, quod hoc doctrina Christi sit: sed de confirmatione per miracula & prodigia, quibus usque ad ipsum, & suo tempore doctrina Christi per Apostolos confirmabatur: ut proinde in Epist. ad Galat. c. 1. dicere potuerit, se non audivisse, aut didicisse Evangelium ab homine, sed à Christo: & in epist. ad Heb. c. 2. scribere potuerit, doctrinam à Christo enarratam confirmatam fuisse in ipsum, & usque ad ipsum per prodigia, & miracula Apostolorum.

Objectiones Contra reliquas Epistolas Pauli.

I. Rom. c. 4. v. 20. Abraham *in repromissione Dei non hæsitavit diffidentia.* Et Gen. c. 17. v. 17. *Risit Abraham dicens in corde suo: putasne centenario nascetur filius, & Sara nonagenaria pariet.* Ergo.

II. Rom. c. 5. v. 13. dicitur: *Usque ad legem peccatum erat in mundo: peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset.* Et Gen. c. 6. v. 3. Deus delevit homines propter eorum peccata: ergo semper fuit imputatum peccatum, etiam ante legem scriptam.

III. Rom. c. 8. v. 16. dicitur: *Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei.* Et Eccl. c. 9. v. 1. dicitur: *Nescit homo, utrum amore an odio dignus sit.* Ergo.

IV. Rom. c. 12. v. 19. dicitur: *Non vosmetipsos defendentes, sed date locum iræ.* Et Act. c. 24. v. 2. Paulus seipsum coram Agrippa defendit. Ergo.

V. Corinth. c. 1. v. 17. dicitur: *Non me misit Christus baptizare, sed evangelizare.* Et Matth. ult. c. omnibus Apostolis Christus dicit: *Docete omnes gentes baptizantes eos.* Ergo.

VI. 1. Corinth. c. 13. v. 7. dicitur: *Charitas omnia credit.* Et 1. Joan. c. 4. v. 1. dicitur: *Nolite credere omni spiritui.* Ergo.

VII. Galat. c. 1. v. 10. dicitur: *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.* Et 1. Corinth. c. 10. v. 33. dicitur: *per omnia omnibus placeo.* Ergo.

VIII. Galat. c. v. 25. dicitur: *Sina mons est in Arabia, qui conjunctus est ei, quæ nunc est Jerusalem.* Atqui Sina à Jerosolyma longe distat. Ergo.

IX. Coloss. c. 1. v. 24. dicitur: *Adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi.* Et Joan. c. 19. v. 30. Christus moriendo dixit: *Consummatum est.* Ergo.

X. 1. Ad Timoth. c. 2. v. 12. dicitur: *docere mulieri non permitto.* Et ad Titum c. 2. v. 3. dicitur: *ut senes prudentiam doceant adolescentulas.* Ergo.

XI. 1. Ad Timoth. c. 5. v. 14. dicitur: *Volo juniores nubere, filios procreare.* Et 1. Corinth. c. 7. v. 7. dicitur: *Volo omnes vos esse* cælibes, *sicut me ipsum.* Ergo.

SOLUTIONES.

AD I. Abraham non fuisse incredulum: unde non ex incredulitate, sed ex admiratione, quærit, *putasne centenario* &c. & ideo pro verbo *risit*, Chaldæus habet, *gavisus est.*

Ad II. Peccatum à Deo semper fuisse imputatum: sed non semper fuisse imputatum, id est, reputatum tale ab hominibus solo lumine naturali instructis, qui non existimabant, se esse peccato obnoxios. Ideo existentiam peccati originalis probat Apostolus ex effectu & pæna ejusdem peccati, puta ex morte, quæ regnavit in omnes, quotquot ab Adamo usque ad Moysen vixerunt: ergo & causa mortis, nempe peccatum originale.

Ad III. Apostolum ad Rom. loqui de testimonio, quod, licet sit certissimum ex parte Spiritus S. non est tamen certum ex parte nostri, nisi certitudine conjecturali, & ad summum morali: nam non sumus certi, an illud testimonium sit à Spiritu S.

S. an vero à ſpiritu maligno transfigurante ſe in Angelum lucis? Ecclſ. vero loqui de certitudine abſoluta & infallibili, quam nemo de ſua ſalute poteſt habere abſque ſpeciali revelatione quamdiu eſt in vita.

Ad IV. Verbum *defendere* in Primo textu ſumi pro *ulciſci*, quomodo Judith c. 1. dicitur: Nabuchodonoſorem juraſſe *per thronum, quod ſe defenderet*, id eſt, ulciſceretur. In ſecundo textu ſumi pro innocentiam ſuam probare, ſuæque indemnitati conſulere, quod valde licitum eſt, licet vindicta ſit lege Dei prohibita.

Ad V. Apoſtolum dicere, quod non ſit miſſus baptizare *principaliter*: quia primarium Apoſtolatus officium eſt *prædicare*: baptiſmi enim diſpenſatio committi ſolet Parochis, & aliis preſbyteris.

Ad VI. Apoſtolum non loqui de doctrina, ſed de recte factis proximi, quibus relatis homo charitatem habens non contradicit, ſed narrantibus facile aſſentitur. D. Joannem vero loqui de doctrina, docereque, probandos eſſe *ſpiritus, ſi ex Deo ſint.*

Ad. VII. Apoſtolum velle placere omnibus, omnes ædificando, neminem offendendo &c. ſed non velle placere, id eſt, gratiam illorum occupare docendo grata illis, qui Chriſti doctrinæ repugnantia docent, ac faciunt: ſic enim ſervus Chriſti non eſſet.

Ad VIII. Montem *Sina* non realiter, ſed myſtice eſſe conjunctum, id eſt, ut vox græca ſonat, *ſimilis* Jeroſolymæ ut nunc eſt: ſicut enim in Sina olim, ita nunc in Jeruſalem traditur lex mere Cæremonialis & ſervilis, utrobique generantur filii, non liberi, ſed ſervi.

Ad IX. Opus fuiſſe, ut Chriſtus multa pateretur in ſuo corpore naturali, & etiam in ſuo corpore myſtico. Porro Chriſtus moriendo perſonales paſſiones conſummavit, ſed non conſum

ſummavit paſſiones corporis myſtici, cujus membra multa pro Chriſto & Eccleſia patiendo *adimplent ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti.*

Ad X. Apoſtolum non permittere docere Mulieri publice in Eccleſia, ut ſeſe explicat 1. Corinth. c. 14. v. 34. his verbis: *Mulieres in Eccleſiis taceant.* Sed non tantum non permittere, verum ſuadere, ut privatim domi ſuæ puellas ſuas, & ancillas ſuas doceant.

Ad XI. Apoſtolum 1. ad Corinth. exoptare, ut omnes à nuptiis abſtineant, ut ipſe abſtinuit: verum velle juniores viduas, quibus ineſt periculum incontinentiæ, nubere, cum melius ſit nubere, quam uri. Hic ergo Apoſtolus *non legem figit*, ait S. P. Auguſt. de viduis. *Sed remedium oſtendit.*

Objectiones Contra Epiſtolam Jacobi, & Judæ.

I. Euſebius l. 2. hiſt. c. 28. aſſerit: Epiſtolas Jacobi & Judæ eſſe adulterinas: ergo non ſunt Canonicæ.

II. In multis Exemplaribus græcis hæc Epiſtola Jacobi nomine S. Jacobi non inſcribitur: ergo.

III. Author hujus Epiſtolæ Jacobinæ utitur ſalutatione tantum prophana, non gratiam divinam Sonante: *Jacobus Dei & Domini N. J. C. ſervus 12. tribubus ſalutem.* Ergo ejus Author non eſt Apoſtolus Chriſti.

IV. In hac Epiſtola Jacobi juſtificatio non fidei, ſed operibus adſcribitur, cum tamen Paulus ad Rom. c. 3. dicat hominem juſtificari ex fide ſine operibus: ergo aberrat à doctrina Apoſtolica.

V. Solent Apoſtoli aliquid ſemper interſerere de Fidei doctrina; atqui hæc epiſtola tota eſt in operibus commendandis, de fide autem omnino ſilet: ergo non eſt Apoſtolica.

VI.

VI. Author hujus epiſtolæ profert teſtimonia ex epiſtolis Petri, & Pauli: ergo non eſt Apoſtolus, ſed aliquis ex Apoſtolorum diſcipulis.

VII. In hac Epiſtola c. 1. v. 13. dicitur: *Deus neminem tentat.* Et Gen. c. 22. v. 1. dicitur: *Tentavit Deus Abraham*: ergo

VIII. Author hujus epiſtolæ cap. 1.& 2. Legem veterem vocat legem libertatis. Et Paulus ad Gal. c. 4. vocat eam legem ſervitutis. Ergo.

IX. Judas aſſerit ſe poſt Apoſtolos vixiſſe, cum ait: *Memores eſtote verborum, quæ prædicta ſunt ab Apoſtolis Domini N. J. C. qui dicebant vobis, quoniam in noviſſimis temporibus venient illuſores &c.* Citatque aliqua loca Petri 2. Pet. c. 3. & Pauli. 1. ad Timoth. c. 4. 2. ad Timoth. c. 3. Ergo.

X. Judas citat librum *Enoch*, qui eſt apocryphus: ergo & ejus Epiſtola eſt apocrypha, & ſic conſequenter minine Canonica.

XI. Judas teſtimonium *Enoch* non ut apocryphum, ſed ut propheticum citat: ergo approbat totum librum.

SOLUTIONES.

AD I. neg. ant. Sic enim ſcribit Euſebius Cæſarienſiis lib. 2. hiſt. Eccleſ. c. 23. *Tamen & iſtas* (Jacobi & Judæ) *cum reliquis in quam plurimis Eccleſiis plublico receptas approbataſque lectitari cognovimus.* Dum autem ſcribit ante iſta verba, quod Epiſtolas has nonnulli ſpurias & ſuppoſititias eſſe exiſtimarint, & pauci admodum ex veteribus harum Epiſtolarum mentionem fecerint, dicendum, quod hoc Euſebius duntaxat hiſtorice referat, cum ab horum opinione ſe abhorrere allatis mox ſubſequis verbis declaret.

Ad II. Nomen *Jacobi* caſu vel malitia in quibuſdam ſolum exemplaribus græcis excidiſſe, cum illud adhuc in vetuſtiſſimis

lati-

latinis codicibus, & in compluribus græcis tam editis quam manuſcriptis extet.

Ad III. neg. ant. quia quando Apoſtoli apprecantur alicui ſalutem, adprecantur haud dubie ſalutem Chriſtianam, quæ & Dei gratiam & pacem complectitur: ergo ſalutatio non eſt prophana, alias etiam illa, quæ habetur Act. c. 15. eſſet prophana.

Ad IV. neg. Conſeq. Inter doctrinam utriusque Apoſtoli nulla eſt oppoſitio: nam Paulus excludit à negotio juſtificationis opera citra fidei & gratiæ Spiritum facta: & D. Jacobus requirit opera fidei & gratiæ: quæ etiam requirit Paulus ad Rom. 3. dicens: *Factores legis juſtificabuntur.*

Ad V. neg. min. Nam in hac Epiſtola ſcribitur: *Probatio fidei veſtræ patientiam operatur* c. 2. v. 3. & *Fides cooperatur operibus illius*, Abrahæ, *& ex operibus fides conſummata eſt.* c. 2. v. 22. Præterea magis commendat opera quam fidem, quia contra eos ſcribit, qui neglectis operibus ex ſola fide ſalutem ſibi pollicebantur, uti noſtri Sectarii: unde dicit. c. 2. v. 24. & 26. *Ex operibus juſtificatur homo, & non ex fide tantum* - - - fides *ſine operibus mortua eſt*: utrumque ergo commendat & opera, & fidem.

Ad VI. Neg. ant. Equidem ad marginem hujus Epiſtolæ e regione verborum Jacobi annotantur quædam loca Petri & Pauli, verum inde concludi non debet unum Apoſtolum ab alio citari, ſed ſimiles ſententias in Apoſtolis inveniri: quod ideo fecit Spiritus S. ut oſtenderet ſe unum eundemque eorum omnium eſſe Authorem.

Ad VII. Tentationem duplicem ſpectari poſſe, Primam *ſeductionis*, quæ ad peccatum ſollicitat, & hanc Apoſtolus Deo denegat, qui neminem excitat ad male agendum. Secundam *probationis*, quæ eſt materia luctæ & victoriæ, meritorum & gloriæ, hac tentatione probavit Deus Abraham.

Ad VIII. negatur loqui S. Jacobum c. 1. v. 25. nominando legem perfectam libertatis, loqui de lege teſtamenti veteris:

loqui-

loquitur enim tunc de lege nova seu Evangelica, quæ non est lex timoris & servitutis, sed amoris & charitatis.

Ad IX. Neg. ant. Judas enim cum aliis Apostolis vixit: sed quibusdam, nimirum Petro & Paulo, Jacobo supervixit, posteriusque Epistolam scripsit, & ideo merito potuit ita loqui.

Ad X. Retorquetur argumentum: Paulus Apostolus Act. c. 17. & 1. Corinth. c. 15. profert testimonia ex Ethnicis Poetis, Menandro, & Epimede: ergo ejus scripta sunt profana? In apocryphis ergo & Ethnicis libris potest esse aliquid veri, & illud est, quod Apostoli Spiritu S. inspirante protulerunt: nec tamen propterea totum librum approbant.

Ad XI. Sine dubio credendum esse, Enoch aliquid prophetici & Divini scripsisse, & ejus vaticinium in eo libro, quem Judas citat, insertum fuisse: liber nihilominus est apocryphus, quia multa fabulosa simul cum hoc vaticinio, quod Judas citat, continet.

Objectiones contra Epistolam secundam Petri, secundam & tertiam Joannis & Apocalypsim.

I. *Contra Epistolam secundam Petri* Hæretici nihil aliud opponunt, quam diversitatem styli à prima Epistola, quam esse Petri certo constat. Verum hæc diversitas provenit vel à diverso interprete: vel à diverso tempore, quo scripsit Petrus: non enim novum est eundem hominem diverso tempore diverso stylo scribere. Hæc Epistola secunda Petri à Concilio Laodiceno anno 372. Et Carthagiensi III. anno 397. Demum à Florentino & Tridentino in Sacrorum Librorum Canonem est relata: & D. Petro indubitanter adscripta est, ut ipsum nomen *Simon Petrus* initio positum testatur.

II. *Contra 2. & 3. Joannis.* opponunt authoritatem Papiæ, qui apud Euseb. l. 3. hist. Eccles. c. 39. duos fuisse Joannes asse-

rit, unum Apoſtolum, & alium qui *Senior* dicebatur: & cum Author harum Epiſtolarum non Apoſtolum ſed *Seniorem* ſe nominet, veriſimile eſt has epiſtolas eſſe ab illo Joanne Seniore ſcriptas. ℞. Neg. conſeq. Papias enim non dixit has Epiſtolas non eſſe Joannis Apoſtoli, ſed ſolum duos Joannes nominat, uter autem epiſtolas ſcripſerit, tacet. Porro Joannes Apoſtolus poterat ſe Seniorem appellare, tum quia poſt omnes alios Apoſtolos vixit, & ad extremam ſenectutem pervenit: vixit enim uſque ad Trajani tempora, & imperium, ac mortuus eſt anno circiter ab Incarnatione Domini 101. ut S. Hier. l. de Script. Eccleſ. obſervat. Tum quia *Senior* idem eſt ac *Presbyter*, Joannes autem erat Presbyter & Apoſtolus.

III. D. Hieron. l. de Script. Eccleſ. in Joan. aſſerit, Epiſtolam ſecundam & tertiam Joannis adſcribi Joanni Presbytero: ergo. ℞. D. Hieron. per Joannem Presbyterum intellexiſſe Joannem Apoſtolum: ut conſtat ex ſua ad Evagrium epiſtola 85.


IV. *Contra Apocalypſim* opponunt: Titulum hujus libri non eſſe Joannis Apoſtoli, ſed Joannis Theologi: ergo. ℞. Eundem eſſe Joannem Apoſtolum & Joannem Theologum: & quidem præ cæteris Apoſtolis eſt Theologus nominatus, quia cæteri de humanitate Chriſti, Joannes vero de ejus Divinitate præcipue ſcripſit.

V. In hoc libro c. 1. & ult. dicitur: *Beatus homo qui ſervat verba prophetiæ hujus*: cum tamen nemo ſciat, quid hæc Prophetia ſignificet? ergo. ℞. D. Joannem per Prophetiam intelligere totum librum, in quo non mirum eſt, quod multa, quæ prophetice prædicuntur, ſint obſcura: in eo tamen multa ſunt vitæ præcepta clariſſima, quibus nos hortatur ad patientiam & perſeverantiam in perſecutionibus.

VI. Author Apocalypſis favere videtur c. 19. v. 7. & c. 20. errori Cerinthi de Millenario terreno Chriſti regno, de nuptiis & deliciis, quibus juſti, qui ante judicium generale mille annis

annis una cum Christo in terris regnaturi erant, frui debebant. ℞. Illa, quæ citatis locis libri Apocalypseos referuntur, non ad literam, & carnaliter esse intelligenda, ut perperam interpretatur Cerinthus, sed spiritualiter de Ecclesia sponsa Christi, quam Joannes immortalitatis, aliisque dotibus exornatam vidit, non tamen priusquam fieret resurrectio prima, id est resurrectio spiritualis animæ à peccatis, quæ soluta corpore mox cælo donatur. Hanc autem resurrectionem appellat S. Joannes *primam*, ad discrimen resurrectionis secundæ generalis, in qua omnes animæ cum suis corporibus iterum erunt unitæ, & resurgent. Per mille vero annos hujus primæ resurrectionis denotat S. Joannes spatium illud, quo animæ justorum gloria in cælis una cum Christo potituræ sunt à tempore Ascensionis Christi usque ad universale judicium, in quo animæ justorum reassumentes corpora sua beatitudine completa æternum fruentur. Ponit autem S. Joannes determinatum mille annorum pro indeterminato, quod in sacris literis sæpe fieri solet.

VII. Cap. 6. Apocalypsis favere videtur errori docentium, animas justorum ante finale judicium non habere stolam gloriæ, seu facialem visionem Dei. ℞. Verba illius capitis intelligenda non esse de beatitudine animæ, qnasi hæc animabus Martyrum sit differenda, donec compleatur numerus electorum in finali judicio, nam c. 7. v. 9. Hæ animæ apparent stantes ante thronum Dei in conspectu agni amictæ stolis albis, & consequenter jam fruentes beatitudine: sed esse referenda ad unionem earundem cum suis corporibus, pro qua obtinenda requiescere debent ad finale judicium.



PARS SECUNDA

De Sacris Traditionibus, ſeu Verbo Dei non ſcripto.

Secundus locus Theologicus, unde doctrina Theologica haurienda eſt, ſunt Traditiones, ſeu Verbum Dei non ſcriptum, ex quibus Divina ac infallibili authoritate difficultates deciduntur, quæ tum circa ipſum Verbum Dei ſcriptum, ſeu ſcripturam Sacram, tum circa alia fidei & morum dogmata emergunt, & ex S. ſcriptura ſatis dirimi non poſſunt. Igitur unica quæſtione ſubdiviſa in Paragraphos de his agemus. Unde ſit

QUÆSTIO UNICA

An præter Scripturam Sacram aliquæ Traditiones tanquam Verbum Dei non ſcriptum pro regula fidei admitti debeant?

§ I.

Præ Notanda neceſſaria ad ſtatum quæſtionis.

NOtandum 1. in præſenti nos loqui de Traditione ſtricte & Theologice ſumpta, ſeu de Traditione Sacra: & hæc definitur, quod ſit *doctrina fidei aut morum non ſcripta, ſed viva voce quaſi de aure ad aurem ſucceſſive tradita.*

Notandum 2. Dum dicitur in definitione traditionis ſacræ, *doctrina non ſcripta*: hœc verba non eſſe intelligenda, quod traditio ſacra nullibi ſcripta eſſe debeat: nam traditiones in ſcriptis SS. PP. & actis Conciliorum revera aſſervantur; ſed eſſe intelligeuda, quod ejuſmodi doctrina viva voce non ſcripto â ſuo primo Authore tradita eſſe debeat, quamvis deinde â ſucceſſoribus fuerit literis conſignata.

No-

Notandum 3. Traditionem ſpectato ſuo Authore dividi in divinam & humanam. *Divina* prout extitit in lege naturæ, in lege Moſaica, atque etiam hodie in lege Evangelica exiſtit, eſt *Verbum Dei non ſcriptum, ſed traditum: ſeu doctrina Dei in S. literis non ſcripta, ſed à Deo immediate revelata, & a Majoribus ad poſteros quaſi de aure in aurem ſucceſſive tradita.* Talis fuit in lege naturæ doctrina de mundo iſto à Deo condito, de remedio adhibendo pro originali peccato delendo, de ritibus, quibus tunc Deus colebatur: cum enim illo tempore doctrina Dei non eſſet ſcripta, regebantur homines doctrina à Deo tradita, & de aure in aurem communicata. Poſt legem ſcriptam & ante Chriſtum fuit talis doctrina de Divinitate Sacrorum Librorum, de remedio pro delendo peccato originali in fæminis, quæ ſcripta non erant, & tamen ut à Deo dicta habebantur. *Traditio Divina* prout hodie in lege nova exiſtit non incongrue deſcribitur, quod ſit *doctrina à Chriſto, vel Spiritu S. Apoſtolis revelata, ab his ad poſteros ore duntaxat transfuſa, licet in libris Scripturæ Canonicis conſignata non ſit, ſed in aliis fide dignis monumentis*: tales traditiones ſunt, quod Evangelia ſecundum Matthæum, Lucam, Marcum, Joannem, Actus Apoſtolorum: Epiſtolæ Pauli: aliique Scripturæ Sacræ libri ſint Canonici. Item de perpetua Deiparæ Virginitate: de parvulis ante uſum rationis baptizandis: de non rebaptizandis Hæreticis: de ſeptenario Sacramentorum numero: aliæque ad fidem vel Sacramentorum materias & formas ſpectantes, quæ nullibi verbo Dei ſcripto exprimuntur, ſed tamen à Chriſto, vel Spiritu S. Apoſtolis revelata creduntur. *Traditio humana* eſt *doctrina quædam non revelata divinitus, ſed ab humana tantum authoritate dimanans, & ab uno alteri communicata.*

Notandum 4. Traditionem humanam dividi in *Apoſtolicam* & *Eccleſiaſticam*. *Apoſtolica* eſt doctrina, quam Apoſtoli

ipſi quatenus Eccleſiæ Paſtores propria authoritate aſſiſtente tamen Spriritu S. inſtituerunt, & ad nos viva voce transmiſerunt, v. g. obſervatio diei Dominicæ loco Sabbathi, Paſchæ, jejunii quadrageſimalis &c. Traditio *Eccleſiaſtica* eſt illa, quæ poſt deceſſum Apoſtolorum ab Eccleſiæ Prœlatis Apoſtolorum Succeſſoribus accedente ſidelium uſu fuit introducta, & tandem per modum conſuetudinis tacito ſibi ſuccedentium fidelium uſu recepta, & ad nos uſque transmiſſa v. g. Vigiliæ, feſtorum celebrationes, aquæ luſtralis uſus, abſtinentia à carnibus, ovis, lacticiniis certis anni diebus, pia & laudabilis formandæ crucis conſuetudo, &c.

Notandum 5. Traditionem Eccleſiaſticam humanam aliam eſſe *Eccleſiæ Univerſalis*, ſive univerſam reſpicientem Eccleſiam: ut diei Dominicæ obſervatio loco Sabbathi: aquæ benedictæ aſperſio &c. Aliam *particularem*, quæ Eccleſiæ particulari eſt commiſſa, ut jejunium Sabbathi olim Romæ obſervatum: aliam *perpetuam*, quæ dogma aliquod proponit: aliam *temporalem*: qualis fuit obſervatio legalium uſque ad Evangelii promulgationem: aliam *neceſſariam*, quæ in forma præcepti eſt tradita, ut admixtio aquæ cum vino in Miſſæ Sacrificio: aliam *liberam*, quæ in forma tantum Conſilii eſt tradita, ut aquæ luſtralis aſperſio.

Notandum 6. Ex ſola Traditione Divina, utpote ſola à Deo revelata, elici poſſe concluſionem Theologicam. Ratio eſt: quia Concluſio Theologica ducitur ex propoſitionibus ſupernaturalibus, & a Deo revelatis: atqui ſolæ propoſitiones Traditionis Divinæ ſunt à Deo revelatæ: reliquæ enim ut Apoſtolicæ, & Eccleſiaſticæ Authores habent Apoſtolos, & eorum Succeſſores. Ergo.

Notandum 7. Ex Traditionibus Apoſtolicis, & Eccleſiaſticis contra Hæreticos Theologum poſſe trahere firmum ſaltem Argumentum & ad Eccleſiæ conſuetudines, & fidei

Dog-

Dogmata comprobanda, etſi ſcripta in ſacris literis non reperiantur. Ratio eſt: quia & ipſe S. Paulus 1. Corinth. c. 11. v. 16. Eccleſiæ conſuetudinem contentioſis Corinthiis oppoſuit: ergo & nos pariter Eccleſiæ morem ab Apoſtolis receptum, tot ſæculorum uſu, ac gentium conſenſione probatum recte hæreticis opponimus, maxime dum hi à nobis Scripturam in alicujus rei confirmationem efflagitant. Imo Paulus ipſe ad convincendos contentioſos Corinthios non tam Scriptura & ratione, ſed potius traditione utendum eſſe duxit, cum eos ad morem Eccleſiæ his verbis revocaverit dicens: *Si quis videtur contentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus, nec Eccleſia Dei*: quaſi diceret: ſi quis adeo eſt durus & pertinax, ut argumentis poſitis non adducatur, ſed adhuc contendat fæminam aperto capite orare oportere, hunc ego (Paulus) non aliter refello, quam quod Eccleſiæ Dei conſuetudinem non habeat. Ex quo patet quantam vim ipſe Apoſtolus in traditione agnoverit, dum eos, quos nec Scriptura, nec ratio moviſſet, Eccleſiarum more & conſuetudine movendos exiſtimarit. Quod ſi tanta vis conſuetudinis Eccleſiæ in rebus ad ſolum ritum ſpectantibus, (ut erat fæminam non debere aperto capite orare) quanto major erit in rebus fidem ſpectantibus? Ergo convincens Theologus ex his traditionibus contra hæreticos argumentum deſumit.

Notandum 8. Lutheranos Traditiones credere imbecilliores eſſe, quam ut ductis inde argumentis dogmata fidei confirmentur. Nam quod Eccleſiæ Traditiones à Chriſto & Apoſtolis deſcenderint, exiſtimant nullo modo poſſe probari: cum omnia Verba Chriſti (quæ Chriſti eſſe conſtant) ab Evangeliſtis fuerint ſcripta. Sed quidquid Chriſtus, quid Apoſtoli fuerunt locuti, ii ſolum noſcere potuerunt, qui Chriſtum & Apoſtolos audierunt, quorum cum nullus extet, nos nunc ne unum quidem dogma poſſe traditione probare: adeoque opor-

oportere, omnes fidei & Religionis controversias sacrarum literarum testimoniis componere, & nihil finire, nisi quod sacris literis est expressum; hinc eruditionis vere Theologicæ esse, nihil ultra nisi quod S. literis proditum est, definire: Cœtera omnia esse problemata in illud rejicienda tempus, cum sublato speculo videbimus Deum facie ad faciem. Ista est genuina mens & doctrina Lutheranorum.

Notandum 9. Hæreticos nostri temporis traditiones sacras rejicientes, nec esse primos, nec solos hujus erroris Authores: sed hujus farinæ hæretici jam aliis retro sæculis fuére, qui ad solas Scripturas provocantes, Traditiones aspernabantur: quos S. Bernardus hom. 66. in Cantica commemorat. Sed & Arianis hanc hæresim tribuit S. P. August. in conflictu contra Maximinum: & ut Author est Epiphanius hœres. 73. (qui & ipse hunc errorem Arianis hæres. 75. assignat.) dicit: Ariani certe, qui in Synodum Seleucianam convenerunt, non obscure sunt testati, se in fidei quæstionibus præter divinas Scripturas nihil omnino recepturos. S. Basilius Eunomium in eodem errore versatum dicit c. 25. de Spiritu S. & L. 1. contra Eunomium. Semi Arianis eundem errorem tribuit S. Epiphanius hæres. 73. æque Pelagiani dicunt, credamus quod legimus, & quod non legimus, nefas adstruere credamus. Ita S. P. Aug. c. 39. de nat. & grat. Nestoriani B. V. Mariam Theothocon, hoc est, Deiparam dicere nolunt, quod hæc vox nusquam in Scriptura extet, ut acta Concilii Ephesini, Cyrillus, & alii de Nestorianis scribentes referunt. Eutyches in Concilio Calcedonensi Act. 1. dicebat: *In qua Scriptura jacent duæ naturæ?* Cui respondit *Mamas* Presbyter, & *quæ scriptura dicit Homousion?* Quid ad hæc Lutherani? damnant priores ut hæreticos: nonne & se ipsos ut hæreticos damnare debent, quia hi iisdem ac priores innituntur principiis: *nihil præter Scripturam sacram Apostolicam habere authoritatem:*

tem : sed solam Scripturam S. esse solam fidei & morum regulam, extra quam nullum dogma haberi potest de fide credendum. His prænotatis sit contra hos hæreticos

§. II.

CONCLUSIO PRIMA.

In statu Legis naturæ extiterunt Traditiones Divinæ.

PRobatur: Nulla potest esse vera Religio sine certa fidei & morum regula: atqui in statu legis naturæ fuit vera erga Deum Religio: ergo in statu legis naturæ fuit certa fidei & morum regula. Subs. Atqui illa regula non erat Scriptura S. nulla siquidem tunc extabat: ergo ea regula erat Traditio. maj. est certa. min. constat ex eo, quia tempore legis naturæ toto illo intervallo, quo ab Adam usque ad Moysem bis mille & fere quingenti anni fluxerunt, exercebatur fides, & ritus ac cultus Deo per Adam, Abel, Seth, Enoch, Noe, Abraham, Isaac, Jacob, Melchisedech, aliisque justis exhibebatur. Adamus proinde filios suos docuit mysteria sibi revelata: filii Adami, quæ à patre didicerant, suis posteris ad Moysem usque non interrupta serie communicarunt. Hinc Deus Gen. c. 18. commendat Abrahamum, *quod præcepturus sit filiis suis, & domui suæ post se, ut custodiant viam Domini, & faciant judicium & justitiam.* Ex quibus patet, quod posteri Adami ritum colendi Deum acceperint non per Scripturam, sed per traditionem.

Confirmatur: Illa quæ tunc ad fidem in lege naturæ pertinebant, ipsi Adamo, cæterisque Patriarchis revelata, & ab his orali traditione ad posteros propagata fuisse, innegabile est: unde enim alias sequentia fidei suæ dogmata hausissent? quæ sunt de existentia Dei Remuneratoris: de Immortalitate animæ, de pæna æterna impiis infligenda, & justis æterna beatitudine de-

ſtinata: de peccato originali & ejus remedio: de venturo Meſſia Redemptore generis humani: de ritibus ſacrificiorum Deo offerendorum: de actibus fidei, ſpei, & charitatis &c. Profecto hæc haberi non potuerunt, niſi à Deo Patriarchis revelata, & ab his per ſucceſſores ad poſteros transfuſa fuiſſent. Ergo.

CONCLUSIO SECUNDA.

In lege Moſaica præter Scripturam extiterunt divinæ Traditiones ad fidem & mores ſpectantes.

PRobatur 1. Israelitæ non ſolum jubebantur ſcripturam legere, ſed etiam Patres interrogare: nam Deut. c. 21. dicitur: *Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi, majores tuos, & dicent tibi.* Item Eccli. c. 8. *Non te prætereat narratio ſeniorum, ipſi enim didicerunt à patribus ſuis.* Item Pſal. 77. *Quanta mandavit patribus noſtris* (Deus) *nota facere ea filiis ſuis, ut cognoſcat generatio altera, filii, qui naſcentur, & exurgent, & narrabunt ea filiis ſuis, ut ponant in Deo ſpem ſuam.* Ergo.

Probatur 2. Ipſe Moyſes Deut. c. 32. v. 7. jamjam moriens populum Judaicum ad Traditionem in cantico ſuo provocavit: *Memento dierum antiquorum, cogita generationes ſingulas, interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi* &c. Ergo.

Probatur 3. Uſque ad tempora Esdræ ſcripturæ in formam librorum redactæ non fuerunt, & in variis chartis diſperſæ longo tempore inveniri non potuerunt, ut ex 4. Reg. c. 22. eruitur, ubi tanquam aliquid novum refertur, quodunum volumen legis Domini in templo repererint. Ergo

Probatur 4. Judæi plura ut fidei dogmata credere debuerunt, quæ in Scripturis non expreſſa erant: v. g. Lib. omnes in ſuo Scripturarum Canone contentos eſſe Divinos: pro tollendo originali peccato dari remedium aliquod etiam pro fœminis pro quibus

non

non erat circumcisio: imo & pro omnibus sive masculis sive fœminis ante octavum diem decedentibus: ergo ea tantum ex Traditione scire potuerunt, cum vetus testamentum nullam de his faciat mentionem.

Probatur 5. Per bis mille annos à Moyse usque ad Christum fuit quidem Scriptura Sacra, sed solum penes Israeliticum populum: cum tamen ex aliis gentibus multi haberent veram fidem, & ad veram Ecclesiam spectarent, quæ sola traditione adjutæ sunt, ut Job & amici ejus, uti D. P. Augusst. lib. 2. de peccat. Orig. c. 24. Item lib. 1. de Prædest. Sanct. nec non lib. 18. de civit. Dei c. 47. constanter asserit. Ergo.

Dices cum AA. Ex his nihil probari. Tum quia viva semper vox Dei sonabat in veteri Ecclesia. Tum quia Religio etiam sine Papatu, baptismo, cœna Dominica &c. fuit in veteri Ecclesia conservata: an idcirco ista in nova Ecclesia non sunt necessaria? sed

Contra Primum, quod temere dicitur, est: unde probatur, Dei vocem continuo auribus fidelium per bis mille annos insonuisse? certe gentes non ita assiduo senserunt vivam Apostolorum vocem: ergo.

Secundum conceditur, nempe Papatum, baptismum, cœ- Dominicam &c. non esse absolute necessaria, sed tantum ex supposita Christi voluntate, qui utique sine his aliter suam Ecclesiam instituere potuisset: sed quid hoc ad rem nostram?

CONCLUSIO TERTIA.

In lege nova quamvis omnia, quæ in S. Scriptura seu Bibliis continentur, infallibili fide sint credenda: non tamen omnia credenda continentur in S. Scriptura seu Bibliis, sed alia multa per antiquas Traditiones cognita, credita, & observata, credi & observari debent.

Hæc conclusio est omnium Catholicorum contra hæreticos, & aperte definita à Concilio Tridentino Sess. 4. in Decreto de Canonic. Scriptur.

PRobatur 1. ex S. Script. Joannes Evangelista c. 21. v. 25. de Christo ait: *Sunt autem & alia multa quæ fecit Jesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse, qui scribendi sunt, libros.* Quæ per hyperbolen dicta volunt S. P. August. Cyrillus, & alii Patres ad designandam multitudinem, & magnitudinem rerum à Christo gestarum: sicuti Joan. c. 12. v. 19. *Ecce mundus totus post eum abiit.* Et quamvis Joannes facta solum Christi commemoret: hisce tamen factis utique dicta erant admixta: quemadmodum nullum prope factum Christi ab hoc aut aliis Evangelistis commemoratur sine aliquibus ejus dictis; Atqui ea dicta, & doctrina Christi nullibi scripta sunt: ergo pertinent ad Traditiones, ac Verbum Dei non scriptum. Ergo non omnia credenda continentur in S. Scriptura. Hic locus pro Traditionibus adeo clarus est, ut ex hæreticis Joannes Brentius in Proleg. de Tradit. scribat: *Certum esse, multa fecisse Christum & dixisse, quæ scripta non sunt.*

Dicunt AA. 1. Non minus antiquos hæreticos inde suos colorare posse errores. Dicunt AA. 2. Nos non posse probare, quod ea, quæ Christus dixit, non fuerint postea ab Apostolis scripta. Sed

Contra 1. est: Ea quæ nos Catholici ex Traditione affirmamus, consonant veterum Patrum, & Conciliorum doctinis, nec scripturis repugnant: ea autem, quæ antiqui hæretici ex Traditione affirmarent, nec consonarent veterum Patrum & Conciliorum doctrinis, nec scripturis, sed potius his repugnant: ergo.

Contra 2. est. 1. Non nobis, sed Adversariis probatio incumbit: cum pro nobis stet præsumptio, & possessio veræ doctrinæ

ctrinæ antiquæ contra illorum novas accusationes: nam qui Titium homicidam dicit, affirmat, & accusat: etiam homicidium probare tenetur. Qui Cajum dicit injustum domus possessorem, actor est, & ad probationem obligatur, ut apud omnes clarum est: ergo cum nos Catholici à mille & septingentis annis teneamus, utrumque Dei Verbum, tam scriptum quam traditum: & Sectarii hodie erroris nos accusent circa Verbum Dei, & negent non Scriptum seu traditum aliquod Verbum Dei extare, sunt accusatores & actores: ergo illis incumbit probatio. Unde jure merito contra eosdem utimur ultimis illis verbis Jephte Jud. c. 11. v. 11. & 27. *Quid mihi & tibi est, quia venisti contra me, ut vastares terram meam? non ego pecco in te, sed tu contra me male agis, indicens mihi bella non justa.*

Contra est 2. Si ea, quæ Christus dixit, postea ab Apostolis fuissent scripta, necessario in Scriptis Apostolorum invenirentur: atqui in illorum scriptis non inveniuntur: vel AA. ostendant: ergo.

Probatur Conclusio 2. Quod libri in S. Scriptura contenti sint Divini: quod libri in Canone non repositi sint spurii & apocryphi: quod Pater in Divinis sit ingenitus: quod filius in Divinis sit consubstantialis Patri: quod B. V. Maria semper permanserit virgo in & post partum: quod parvuli sint baptizandi etiam absque actuali propria fide: quod baptizatus hæreticus non sit rebaptizandus, adeoque baptismum ab hæreticis collatum esse validum: Quod symbolum Apostolorum necessario acceptandum & retinendum sit: quod dentur quatuor Evangelia: quod Christus descenderit ad inferos, &c. hæc omnia Calvinistæ & Lutherani credunt: atqui nullum ex his credere possunt propter authoritatem Scripturæ Sacræ: nullius enim nequidem apex est in Scripturis: nihil horum continetur in Verbo Dei nec aperte, imo nec obscure, ergo ex sola Traditione illa credunt: ergo non omnia, quæ ad fidem & mores spe-

ctant, continentur in Scripturis: sed per Traditionem credi debent.

Hoc argumentum multum torquet Sectarios: unde & varias adhibent responsiones, & effugia ut elabantur:

Aliqui dicunt 1. Se mirari, quod nos Catholici hos non Scriptos fidei articulos eis objiciamus, cum inter Evangelicos, & Romano-Catholicos non sint controversi. Ast inane hoc effugium, nam

Contra est: In præsenti non controvertitur, an enumerati in argumento articuli sint veri? sed solum controvertitur: an sint aliqui articuli credendi, qui neque per se in S. Scriptura continentur? neque ex ea per bonam consequentiam deducantur? Sectarii negant: Catholici affirmant, enumeratos articulos credendos, & ab ipsis Sectariis Creditos proferunt, qui in S. Scriptura non continentur: ergo potius nobis mirandum est, quod Sectarii in materia luce meridiana Clariori Catholicis adversentur.

Dicunt 2. Alii: Omnia enumerata esse Scripta: idque probant ex Bellarm. Lib. 4. de Verbo Dei c. 11. ubi hic Author ab omnibus Catholicis magni habitus ait: omnia scripta esse, quæ sunt omnibus necessaria. Ast inane iterum effugium. Nam

Contra est. 1. Cardinalis Bellarminus loquitur solum de omnibus Scitu ad salutem simpliciter, & expresse necessariis: atqui pleraque enumerata in argumento non sunt omnibus scitu necessaria ad salutem simpliciter & expresse: ergo. Proinde nonnisi perverse effatum illud Bellarmini generaliter accipitur, & ad quælibet credenda applicatur.

Contra est 2. Si omnia enumerata Scripta sunt, designent AA. illum locum, ubi scripta inveniantur: atqui nullum certe assignare poterunt: ergo inaniter id dicunt, & sinistre Bellarminum pro se citant.

Contra

Contra eſt 3. Dato etiam non conceſſo, quod AA. aliquem locum Scripturæ deſignarent, in quo enumerata Scripta invenirentur: unde conſtat, quod hic ipſe locus deſignatus ſit genuinum Dei Verbum ſcriptum? unde & ex quo loco id conſtat? certe nullum AA. aſſignare poterunt: cum quolibet aſſignato eadem redeat quæſtio: cum nulla Scriptura doceat, quinam ſint libri Canonici, qui vero apocryphi: ergo AA. fateri compellentur, non de quovis Scripturæ loco, quod Verbum Dei ſit, ex Scripturis conſtare. Semper ergo AA. ſic reſpondendo petunt principium, & ſupponunt id, quod quæritur: ſupponitur enim, quod alius ille locus, qui ad probandum affertur, ſit genuinum Dei verbum: quod ipſum autem quæritur: ergo non ſupponendum foret, ſed probandum, priusquam ex eo aliud probaretur.

Dicit 3. Calvinus l. 1. inſtit. Hoc haberi ex evidentia rei, quæ probationibus non eget his verbis: *Non obſcuriorem veritatis ſui ſenſum ultro Scriptura præſefert, quam coloris ſui res albæ ac nigræ: Saporis ſuaves & amaræ.* Sed

Contra: Si hoc verum eſſet, jam nullus eſſet ſanus mente, qui libros ſacros à prophanis facillime non diſcerneret: ſicut nullus eſt ſanus oculis, qui non facillimè diſcernit res albas à nigris: nullus eſt ſanus palato, qui non illico diſcernit res ſuaves ab amaris: atqui plurimi viri mente ſani fuerunt, & ſunt, qui ita libros ſacros à prophanis non diſcreverunt, aut diſcernunt: uti fuerunt Irenæus, Clemens Alexandrinus, Origenes, Tertullianus, viri in Sacris literis verſatiſſimi, & tamen librum Hermetis, qui Paſtor inſcribitur, ut ſacrum venerati ſunt: mente ſani erant Patres tum Latini tum Græci, qui ante conſtitutum ab Eccleſia ſacrorum librorum Canonem de quibusdam libris, an ſacri eſſent, dubitarunt: mente ſani ſunt tot hodie in Eccleſia viri ingenio & doctina præſtantiſſimi, & tamen inter illos nemo eſt, qui poſſit libros ſacros à non ſacris ex ſenſu veritatis,

quem

quem ultro præſefert Scriptura, diſcernere: ubi tamen ex colorre res albas & nigras, & ex ſapore dulces & amaras diſcernunt omnes. Ergo falſa eſt Calvini reſponſio. Quod ſi Catholicorum teſtimonia non accipit Calvinus, quid dicet de Luthero, Brentio, Kemnitio &c. qui circa epiſtolam ad Hebræos, & Apocalyſim vacillarunt, & ex Canone exploſerunt? Aut omnes illi mente ſic deſtituti ſunt, uti ſenſu deſtitutus eſt, qui lucem à tenebris, album à nigro, ſuave ab amaro non diſcriminat: aut Certe modus ipſe Calvinianus diſcernendi Scripturam omni prorſus ratione deſtituitur: quod ultimum veriſimilius eſt.

Dicunt AA. 4. Quod hoc habeant ex Spiritu privato. Sed hunc Spiritum privatum jam in ſuperioribus impugnavimus pluribus: nihilominus breviter.

Contra eſt 1. Tota Spiritus privati authoritas nititur teſtimonio hominis alicujus privati aſſerentis, ſe intus à Spiritu S. doceri: atqui talis homo certe falli poteſt, & à ſua phantaſia, vel dæmone decipi, dum à Spiritu S. doceri ſe putat: ergo recurrendum eſt ad authoritatem humana majorem, quæ falli, aut fallere non poteſt, qualis eſt authoritas Verbi Divini Scripti, vel traditi: & ſi in verbo Dei Scripto fide Divina tenendum non inveniatur, id ex Verbo Dei tradito diſcernendum eſt. Ergo.

Contra eſt 2. Si hæc omnia Sectarii ex ſuo ſpiritu privato habeant, neceſſe eſt, ut ille illorum Spiritus privatus in illorum mente ſit Divinus: per conſequens nunquam contrarius ſibi eſſe poſſit. Jam quomodo miſeri Sectarii in tam contrarias partes abeunt? Cur Lutherus Epiſtolam S. Jacobi reſpuit, quam ut Canonicam Calvinus admittit? cur in varias partes ſcinduntur, ubi de genuino illorum verborum ſenſu agitur: *Hoc eſt Corpus meum?* quorum verborum tot inventi ſunt ſenſus, quot fuere hæretici, qui ea per Spiritum privatum interpreta-

ti

ti ſunt: ergo cum ſpiritus veritatis ſibi contrarius eſſe nequeat, neque hæc & alia multa ex Scriptura haberi poſſint, manet, quod ex Traditione Divina repetenda ſint.

Dicunt AA. 5. ad argumentum. Adducta in argumento & ſimilia exempla pro Traditionibus ſaltem ex Scriptura Sacra per bonam conſequentiam deduci poſſe. Aſt & hoc effugium eſt fruſtraneum: nam

Contra eſt 1. Scripturam, ex qua deduci poſſent, eſſe veram Scripturam Canonicam, & genuinum Dei Verbum ſcriptum nullo modo ex Scriptura Sacra oſtendi poteſt, ut jam ſupra diximus: ergo adducta & ſimilia exempla ex Scriptura per bonam conſequentiam deduci nequeunt.

Contra eſt 2. Spiritum S. ex Patre & Filio procedere negant Græci: atqui non negarent, ſi iſtud ex S. Scriptura per bonam conſequentiam deduci poſſet: ergo. Unde Patres ex verbo tradito id probarunt: quibus ſubinde victi Græci conſenſerunt, & Catholicæ Eccleſiæ adhæſerunt, quamvis ex inconſtantia poſtea ſe iterum ſepararint.

Contra eſt 3. Deiparam Mariam ſemper etiam poſt partum Virginem permanſiſſe, eſſe articulum fidei omnium credendum, aperte docet S. P. Auguſt. cap. 69. de Eccleſ. Dogm. (hujus enim libri ipſe à plerisque creditur Author) ſic ſcribens: *Integra fide credendum eſt, B. Mariam Dei Chriſti Matrem & Virginem concepiſſe, & Virginem genuiſſe, & poſt partum Virginem permanſiſſe. Nec eſt blasphemiæ Helvidii acquieſcendum, qui dixit, fuit Virgo ante partum, non virgo poſt partum.* Jam ex quo textu S. Scripturæ probari hoc poteſt? ex nullo, ſed ex mera habetur traditione. Unde & S. Hier. refellit Helvidium, & confirmat, Mariam fuiſſe perpetuo Virginem, etiamſi hoc non ſit aperte ſcriptum in literis Divinis, ſed Apoſtolorum & Patrum traditione veluti per manus ad nos derivatum, & omnium Chriſtianorum conſenſu comprabatum. Ergo cum & ſectarii

concedant esse articulum fidei, quod Deipara Maria fuerit virgo etiam post partum: etiam admittere debent, non omnes articulos in S. Scriptura contineri, aut per bonam consequentiam ex ea deduci.

Contra est 4. Baptismum recte parvulis dari, & his prodesse, docent nobiscum Sectarii contra Anabaptistas: atqui cum Sectarii dicant, totam Scripturam testari, neminem absque propria fide salvari & justificari: non possunt ex S. Scriptura vel unicum textum allegare, infantes habere propriam & actualem fidem: ergo. Unde etiam Lutherus in epist. Cont. Anabapt. ad duos Parochos aperte concedit, *ex nulla sententia S. Scripturæ valide concludi, infantes recte baptizari: nihilominus laudabiliter istud fieri, quia à tempore Apostolorum in Ecclesia iste mos viget*: adeoque ex traditione habetur: ut præter alios Patres Origenes docet lib. 5. c. 6. in epist. ad Roman. his paucis verbis: *Ecclesia ab Apostolis traditionem accepit etiam parvulis baptismum dare.* Quid ad hoc Sectarii?

Contra est 5. Baptizatos hæreticos non esse rebaptizandos, ita recte iterum nobiscum Catholicis admittunt Sectarii: atqui hunc articulum contra Cyprianum ejusque adhærentes non potuit sufficienter probare ex S. Scriptura Stephanus Romanus Pontifex, sed solum Ecclesiæ traditionem fortissime ut constantissime opposuit: ex qua etiam rem felicissime evicit, & consensum totius Christianitatis obtinuit: ergo. Unde & S.P. August. lib. 5. de baptis. contra Donatistas c. 23. ait: *Apostoli quidem nihil ex inde* (de hæreticis non rebaptizandis) *præceperunt. Sed consuetudo illa, quæ opponebatur Cypriano, ab eorum traditione exordium sumpsisse credenda est. Sicut sunt multa, quæ universa tenet Ecclesia, & ab hac ab Apostolis præcepta bene creduntur, quamquam scripta non reperiantur.* Quod Clarius?

Contra est 6. Symbolum Apostolorum de fide necessario credendum, & tenendum esse, agnoverunt SS. Patres, asseren-

ferentes illud ab Apostolis oretenus editum, & Ecclesiæ traditum fuisse. Illud ipsum retinent moderni Acatholici integrum verbotenus, licet quoad sensum à veritate recedant. Calvinus quoque non vult dubitare, quin symbolum illud ab Apostolis proficiscatur: nam lib. 2. Instit. c. 16. §. 18. dicit: *neque vere mihi dubium est, quin à prima statim origine Ecclesiæ, adeoque ab ipso Apostolorum sæculo instar publicæ omnium calculis receptæ confessionis obtinuerit* &c. Jam unde ipsi Calvino, & cæteris Sectariis dubium non est? Ex S. Scriptura certe non: cum in ea nullibi reperiatur. Ergo ex traditione Ecclesiæ & SS. Patrum, qui ab ipsis Apostolis traditum affirmant. Ex quibus omnibus luculenter patet, non omnia (quod probandum erat) quæ ad mores & fidem spectant, in scripturis contineri, sed plura ex sola traditione credere debere.

CONCLUSIO QUARTA.

In lege nova præter Verbum Dei scriptum, necessario est admittenda Traditio Divina, tanquam altera fidei regula.

PRobatur 1. Ex S. Script. quæ 2. ad Tessal. c. 2. v. 14. jubet: *State & tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem*, scilicet ore prolatum, *sive per Epistolam*, scilicet scripto transmissam, ut explicat D. Th. 3. p. q. 25. a 3. ad 4. ubi præcepit Apostolus expresse post scriptum jam Evangelium aliaque, ut etiam traditiones non scriptæ serventur. Unde ex hoc loco adversus omnem sinistram interpretationem tale formatur argumentum: si Paulus hortetur Thessalonicenses, ut observent, quæ verbo prædicavit, non autem scripto consignare voluit, tunc præter Verbum Dei scriptum necessario est admittenda traditio: atqui Apostolus Paulus Thessalonicenses hortatus est, ut ob-

ſervarent, quæ verbo illis prædicavit, ſcripto autem conſignare non voluit, nempe de tempore adventus Anti-Chriſti poſt deſtructum Romanum imperium, ut interpretantur Patres: ergo. Unde S. Chryſoſt. hom. 4. in Epiſt. ad Teſſal. in hunc locum ait: *Hinc patet, quod non omnia per Epiſtolam tradiderunt Apoſtoli ſed multa etiam ſine literis. Eadem vero ſide digna ſunt tam illa quam iſta. Itaque Traditionem quoque Eccleſiæ ſide dignam putamus: Traditio eſt, nihil quæras amplius.* Similiter loquitur Theophylactus in Epiſt. 1. Corinth. c. 11. ſuper illa verba Apoſtol. v. 2. ſicut tradidi vobis, præcepta mea tenete, ita ſcribens: *Liquet ex his, cum Paulum tum Apoſtolos reliquos haudquaquam omnia literis mandaſſe præcepta, quæ populis tradidiſſent.*

Probatur 2. S. Paulus 2. ad Timoth. c. 1. v. 13. ait: *Formam habe ſanorum verborum, quæ à me audiſti.* Non ait, quæ tibi ſcripſi: etenim affirmat 2. ad Timoth. c. 2. v. 2. *penes ipſum fuiſſe verbum Dei depoſitum coram teſtibus*, quod non foret opus, ſi ſcripſiſſet: aut ubi ſcripta conſpiciuntur? hinc Apoſtolus hortatur Timotheum, 2. ad Timoth. c. 4. v. 1. ut quæ à ſe audivit, *Hæc commendet fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.* Item 1. Corinth. c. 11. v. 34. ait Apoſtolus: *cætera, cum venero, diſponam.* S. Chryſoſt. & Theophyl. notant expreſſe in hunc locum, D. Paulum loqui de præceptis non ſcriptis: aut ubi ſunt illa, quæ diſpoſuit Apoſtolus? Item Act. c. 1. v. 13. dicitur de Chriſto, *quod Apoſtolis ſe poſt reſurrectionem ſuam manifeſtarit, per dies 40. apparens, & loquens de regno Dei*, hoc eſt, de futuro Eccleſiæ ſtatu, & inſtitutis; ubi hæc leguntur ſcripta? ergo.

Probatur 3. ex SS. Patribus quatuor priorum ſæculorum, quos Novatores admittunt. In 1. Sæculo D. Dionyſ. lib. 1. de Eccleſ. Hierarch. ait: *Apoſtoli ſumma illa & ſuperſubſtantialia partim ſcriptis, partim non ſcriptis inſtitutionibus ſuis nobis tradiderunt.* In II. Sæculo D. Iren. l. 3. c. 4. ait: *Quid autem, ſi neque Apoſtoli Scripturas reliquiſſent nobis, nonne oportebat ordinem ſequi traditionis,*

tionis, quem tradiderunt iis, quibus comittebant Ecclesias? In III. Sæculo Origenes in c. 6. ad Rom. dicit: *Ecclesia ab Apostolis traditione accepit etiam parvulis baptismum dare.* In IV. Sæculo S. Basil. lib. de Spiritu S. c. 27. sic scribit: *Dogmata quæ in Ecclesia prædicantur, quædam habemus ex doctrina scripto prodita, quædam rursus ex Apostolorum traditione in mysterio, id est, in occulto, tradita recepimus --- Nec his quisquam contradicit, quisquis sane, vel tenuiter expertus est, quæ sint jura Ecclesiastica.* Item S. Epiphan. hæres. 6. dicit: *Oportet autem & traditione uti: non enim omnia à Divina Scriptura possunt accipi: quapropter aliqua in Scripturis aliqua in traditione Sancti Apostoli tradiderunt.* En minime dubium sensum primitivæ Ecclesiæ de Traditionibus Divinis præter Verbum Dei scriptum.

In omnibus subsequentibus sæculis SS. Patres eadem energia de Traditionis existentia scripserunt. S. Gregorius Nyssenus lib. 3. Evang. Evnom. S. Hieronymus Dial. cont. Lucif. c. 8. ex Cypriani & Co-Episcoporum ejus errore docet, nunquam recedendum à Traditionibus. In sæculo V. S. P. August. non solum multa ab Apostolis sine scripto Ecclesiæ tradita & conservata sæpe recenset, sed etiam ex illis fidei dogmata contra hæreticos confirmat Epist. 118. Item lib. 10. de Genesi ad literam c. 23. hæc notatu digna verba habet: *Consuetudo Matris Ecclesiæ in baptizandis parvulis nequaquam spernenda, neque ullo modo superflua deputanda, nec omnino credenda est, nisi Apostolica esset Traditio.* Quid ad hæc Prædicantes? cum in Colloquio Ratisbonensi hæc verba objicerentur, nihil aliud respondere potuerunt, nisi pudendum illud: *Nos ab Augustino hac in parte libere dissentimus*, ut videre est in Protocollo Monachiensi Edit. 2. sub finem pag. 367. Si Sectarii à S. Augustino hac in parte libere dissentiunt, debent etiam Sectarii ab omnium Patrum sana doctrina libere dissentire, qui similia de Traditionibus habent: ergo Sectarii reliquum nihil habebunt, nisi insanos hæreticorum errores. Tandem qua Authoritate dictis Patrum primitivæ Ec-

clesiæ libere dissentire, & eos respuere audent? Ergo magis suos Magistros Hæresiarchas ab Ecclesia damnatos Calvinum & Lutherum æstimabunt, quam Sanctos Ecclesiæ Patres?

Probatur 4. Ex Conciliis. Concilium Nicænum II. anno 789. celebratum Act. 7. ita habet: *Ab Apostolo edocti tenemus Traditiones, quas accepimus, omnia recipientes, & amplectentes, quæcunque Ecclesiæ Catholicæ antiquitas scripta, & non scripta recipit.* Eadem act. definit: *Si quis Traditionem Ecclesiæ sive scripto, sive consuetudine valentem non curaverit, anathema sit.* Quid ad hoc fulmen asseclæ Lutheri? quod jam in ipsos, antequam essent, ab Ecclesia vibratum est, & quidem eo tempore, quo Ecclesiam Romanam ab omni errore puram fuisse, ipsi Sectarii fatentur.

Synodus V. non ex Scripturis solum, sed etiam ex doctrina Patrum & Conciliorum sua de fide decreta formavit: & definitiones suas in hunc modum conclusit: *Cum igitur hæc ita recte confessi simus, quæ tradita nobis sunt tam à Divinis Scripturis, quam à Sanctorum Patrum doctrina, & ab his quæ definita sunt de una eademque fide à prædictis quatuor Conciliis* &c.

Synodus VI. Synodus VII. & Synodus VIII. Act. 10. can. 1. Traditiones diserte asserunt, & observandas decernunt. Et novissime Synodus Tridentina Sess. 4. Ergo.

Probatur 5. Ratione. Christus Dominus illa, quæ audivit à Patre sine scripto locutus est mundo: & quæ didicit in sinu Patris, ea sine scripto hominibus enarravit: neque Consilium ipsius fuit, Evangelium suum per literas imprimere chartis & membranis, aut lapidibus insculpere (quod proprium veteris legis fuit) sed per auditum cordibus (quod proprium est novæ legis) mandare. Unde nec Apostolis suis mandasse legitur, ut scriberent aliquid, sed tantum præcepit, ut *euntes per mundum universum prædicarent Evangelium omni creaturæ*: quod præceptum Domini sedulo executi sunt Apostoli ac Discipuli, &

omnes

omnes quidem Evangelium prædicarunt verbo, ſed non omnes ſcripto vulgarunt: nam ab Andrea, Thoma, Bartholomæo, & Philippo nihil Scriptum accepimus. Cæteri Apoſtoli quidem ſcripſere, non autem ideo, quod propoſitum illis eſſet omnem Doctrinam Evangelicam ſcripto edere, & complecti, ſed quod varie neceſſitas & utilitas eos ad ſcribendum aliquid compelleret, nempe ut aut fideles in fide, & in ſanis moribus inſtruerent, aut ad bonorum operum ſtudium hortarentur, aut hæreticos de erroribus convincerent, atque ad veritatem revocarent, manifeſtum eſt, quod per illa, quæ ſcripſerunt, non totius Doctrinæ Chriſtianæ quoddam veluti Symbolum tradere voluerint, ſed multa Traditioni orali reliquerint. Ergo.

OBJECTIONES.

I. Traditiones à Scriptura S. aperte damnantur: ergo. ant. prob. Deut. c. 4. v. 12. dicitur: *Non addetis ad Verbum, quod loquor vobis, nec auferetis ex eo.* Ergo.

II. Deut. c. 12. v. 32. dicitur: *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito: nec addas quidquam, nec minuas.* Ergo.

III. Prov. c. 30. v. 6. dicitur: *Ne addas quidquam verbis illius*, Dei, *& arguaris, inveniarisque mendax.* Ergo.

IV. Apocalyp. c. 18. v. 22. dicitur: *Conteſtor omni audienti verba prophetiæ libri hujus: ſi quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto: & ſi quis diminuerit de verbis libri prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ.* Ergo.

V. S. Paulus ad Galat. c. 1. v. 8. dicit: *Licet autem Angelus de cælo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema ſit.* Ergo Traditiones, quæ ſunt aliquid præter id, quod evangelizavit Paulus, non ſunt admittendæ.

VI.

VI. Idem S. Paulus ad Gal. c. 3. v. 15. dicit: *Hominis confirmatum testamentum nemo spernit, aut superordinat*: quasi diceret: quanto minus testamento Dei aliquid superaddendum. Ergo.

VII. S. Paulus epist. 2. ad Timoth. c. 2. v. 16. dicit: *omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus:* ergo sola Scriptura est sufficiens.

VIII. S. Joannes c. 20. v. 30. & 31. dicit: *Hæc autem scripta sunt, ut credatis, quia Jesus & Christus filius Dei, & ut credentes vitam habeatis in nomine ipsius.* Ergo Scripturæ sufficiunt ad salutem, nec opus est Traditionibus.

IX. Christus ipse improbat Traditiones Matth. c. 15. inquiens: *Irritum fecistis mandatum Dei propter traditiones vestras.* Ergo.

X. Scriptura 1. Petri Traditiones appellat esse vanas, & humanas, quæ fallibilem authoritatem habent: ergo Traditiones non solum non sunt necessariæ, sed plane sunt improbatæ.

XI. Veteres Patres, si quandoque admittunt Traditiones, non intelligere per has nisi in S. Scriptura contentas: vel certe non loqui de Traditionibus Dogmatum, sed solum quarumdam cæremoniarum, rituum, & consuetudinum in Ecclesia observari solitarum: atqui de his in præsenti non est controversia, sed solum de Traditionibus divinis ad fidem spectantibus: ergo.

XII. Tertullianus lib. contra Hermogenem c. 22. ita procedit: *An de aliqua subjacenti materia facta sint omnia, nusquam adhuc legi: scriptum esse doceat Hermogenis officina. Si non est scriptum, timeat væ illud adjicientibus, aut detrahentibus destinatum.* Ergo Traditiones non scriptas rejecit Tertullianus.

XIII. Tertullianus de Carne Christi c. 7. sic Marcionem alloquitur: *Non recipio, quod extra Scripturam de tuo infers*: ergo extra Scripturam non recipiebat Tertullianus Traditiones.

XIV.

XIV. S. Cyprianus lib. 2. epist. 3. docet Christum solum audiendum his verbis: *si solus Christus audiendus est, non debemus attendere, quid alius ante nos faciendum putaverit, sed quid, qui ante omnes est, Christus prior fecerit.* Ergo.

XV. S. Cyprianus epist. 74. ad Pompejum loquens de Stephano Romano Pontifice, qui Cypriano traditionem opponebat, inquit: *unde est ista traditio? ea facienda esse, quæ scripta sunt, Deus testatur*, &c. ergo Cyprianus rejiciebat traditiones, quæ scriptæ non erant.

XVI. S. Cyril. Alexand. l. 12. in Joan. c. ult. ait *Non omnia, quæ Deus fecit, conscripta sunt, sed quæ scribentes tam ad mores quam ad dogmata putarunt sufficere.* Ergo neque ad mores neque ad fidem necessariæ sunt Traditiones.

XVII. D. Irenæus l. 3. c. 1. docet, omnia, quæ prædicaverunt Apostoli, postea scripserunt, his verbis: *Quod tunc prædicaverunt, postea per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt*: ergo nihil reliquerunt non scriptum.

XVIII. D. Athanasius Epist. ad Serapionem ait: *Unius cujusque quæstionis inventionem non ex propriis ratiocinationibus dicere possumus, sed ex Scripturarum consequentia.* Ergo.

XIX. D. Athanasius Orat. contra gentes initio ait: *sufficiunt per se Sacræ, & divinitus inspiratæ Scripturæ ad instructionem veritatis.* Ergo non est opus Traditionibus.

XX. D. Athanasius in Epist. ad Serapionem ait: *Ne igitur interroges, sed solum ex Sacris literis condiscas, sufficiunt enim, quæ in illis reperies documenta.* Ergo.

XXI. D. Athanasius lib. de Incarnat. Christi contra Appollinarium inquit: *Hæc scripsi dilecti, tametsi nihil omnino opus fuit, ut scriberem: sufficit enim per se Evangelica traditio.* Ergo.

XXII. D. Athanasius Epistola Festali 39. postquam libros Canonicos utriusque testamenti recensuit, subjungit: *Hi sunt fontes salutares, ex quibus sitiens haurire possit eloquia. In his*

Solis pietatis Schola beatè annuntiatur. Ergo juxta S. Athanasium non annuntiatur in Traditionibus: ergo hæ non sunt necessariæ.

XXIII. S. Irenæus lib. 3. c. 2. ait: *Cum ex Scripturis arguuntur, in accusationem convertuntur ipsarum Scripturarum, quasi non recte habeant, neque sint ex authoritate, & quia variæ sint dictæ, & quia non possit inveniri ex his veritas ab his, qui nesciunt Traditionem.* Ergo.

XXIV. S. Basilius in Asceticis c. de vera ac pia fide inquit: *Manifestissimum hoc infidelitatis argumentum fuerit, & signum superbiæ certissimum, si quis eorum, quæ scripta sunt, aliquid velit rejicere, aut eorum, quæ non scripta, introducere.* Ergo.

XXV. S. Chrysost. hom. in Psalm. 95. ait: *Neque enim oportet quidquam dicere sine testibus, solaque animi cogitatione, nam si quid dicitur absque Scriptura, auditorum cogitatio claudicat*, &c. Ergo.

XXVI. S. Chrysost. hom. 1. in Epist. ad Tit. ait: *omnia Evangelium continet, & præsentia & futura, honorem, pietatem, fidem* &c. Ergo Traditio non est necessaria.

XXVII. Theophilus l. 2. Paschali ait: *Diabolici est Spiritus aliquid extra Scripturarum Divinarum auctoritatem putare Divinum:* ergo Traditiones nullæ sunt Divinæ.

XXVIII. D. Hier. in c. 22. Matth. ait: *Quod de Scripturis auctoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, qua probatur.* Ergo.

XXIX. S. P. August. lib. 2. de doctr. Christ. c. 9. ait: *In his, quæ aperte posita sunt in Scriptura, inveniuntur illa omnia, quæ continent fidem, moresque vivendi.* Ergo non est opus traditionibus.

XXX. S. P. August. lib. de bono viduitatis c. 1. inquit: *Sancta Scriptura nostræ doctrinæ regulam figit:* ergo non est opus traditionibus.

XXXI. S. P. August. Tract. 19. in Joan. ait: *Electa sunt, quæ scriberenter, quæ saluti credentium sufficere videbantur.* Ergo cætera non sunt necessaria. XXXII.

XXXII. S. Hier. in Aggæum Prophetam c. 1. inquit: *Gladius Verbi Dei percutit omnia, quæ absque authoritate & testimoniis Scripturarum, quasi traditione Apostolica reperiunt, atque confingunt.* Ergo.

XXXIII. Si præter Scripturam etiam essent credendæ Traditiones, Scriptura esset mutila & insufficiens: atqui hoc dici nequit. Ergo.

XXXIV. Multæ traditiones sunt Apostolicæ, quæ referuntur in Canone Apostolorum; item in libris recognitis à S. Clemente Papa editis, quæ tamen non habent certam fidem. Ergo nec aliæ traditiones Apostolicæ sunt infallibiles, consequenter nec sunt regula fidei.

XXXV. Ecclesiæ Dogmata non debent committi principio defectibili: sed traditio est principium defectibile: ergo. min. prob. principium, quod de aure in aurem transit, est defectibile: sed traditio de aure in aurem transit: ergo. maj. prob. quod facillime alteratur ac deperditur, est principium fallibile: atqui quod de aure in aurem transit, facillime imperitia ac perversitate alteratur, & per oblivionem & negligentiam deperditur; ergo.

XXXVI. Admissa necessitate traditionum, quilibet suo marte prætextu traditionum Apostolicarum poterit fabulosa & erronea proponere, sicut accidit Papiæ circa regnum Christi mille annorum, & ætatem Christi quasi 50. annorum: ergo traditiones nedum non sunt necessariæ, quin potius sunt maxime noxiæ.

XXXVII. Christus in controversiis fidei remisit Judæos ad Scripturas dicens Joan. c. 5. v. 39. *Scrutamini Scripturas*: Ergo non remisit ad Traditiones.

XXXVIII. Christus instruens peregrinos discipulos in Emaus, solas scripturas ad probandum adhibuit, explicans illis Moysem & Prophetas: & non adhibuit traditiones: ergo.

XXXIX. Paulus ſive cum Judæis diſputaret, ſive diſcipulos ſive Eccleſias doceret, nonniſi ex Scripturis loquebatur, ut videre eſt ex Actis Apoſtolorum c. 17. v. 2. Item 2. ad Timoth. c. 3. Ergo ſi Paulo ſola Scriptura fuit fidei regula, debet & nobis eſſe.

XL. Non eſt ratio, cur Deus voluiſſet aliqua credenda tradere ſcripto, & alia non ſcripto, & per verba oris: ergo ſine fundamento adſtruuntur traditiones. ant. prob. Dum aliqua meliori modo fieri poſſunt, ſine ratione adſtruitur modus deterior, maxime ex parte Dei perfectiſſime operantis: atqui meliori modo credenda & obſervanda in Scriptura, quam ſine hac traduntur: quia ſi hæc ſemel authentica agnoſcatur, de ea dubitari fas non eſt: econtra vero plerumque dubitatur de iis, quæ de aure ad aurem dicuntur: ut patet in fide debitoris ore ſe tantum obligantis, quæ non habetur pro tam certa, ſicut ejus, qui ſe ſcripto obligat; ergo.

XLI. Traditio quæcunque eſt narratio humana, quæ non eſt infallibilis: nam omnis homo mendax: ergo eſt obnoxia erroribus, conſequenter nequit eſſe regula fidei.

XLII. Admiſſis Traditionibus facimus circulum vitioſum: nam probamus Traditiones ex Scripturis, & has viciſſim ex Traditionibus: ergo Traditiones non ſunt admittendæ.

SOLUTIONES.

Ad I. Illum locum non tantum de verbo Dei ſcripto, ſed etiam de tradito intelligendum eſſe: non enim dicitur: *non addetis ad Verbum, quod ſcribo*, ſed *ad verbum quod loquor*. Dato autem non conceſſo, locum illum tantum de verbo Dei ſcripto eſſe intelligendum, non alia per illum prohibetur additio, quam quæ textus Verbi Dei alteret, vel corrumpat: nequaquam vero additio, quæ genuinum verbi Dei ſenſum exponit, & elucidat: alias illi-

illicitum fuiſſet Deuteronomio alios addere libros. Porro tantum abeſt, ut à Traditionibus noſtris textus ſcripturæ corrumpatur, quin potius illum defendant, & germanum ſenſum exhibeant. Denique traditiones non ſunt proprie additiones ad verbum Dei, ſed illius complementum.

Præterea quæro: vel iſtud præceptum hoc loco expreſſum ſpectat ad ſolos Judæos, vel ad ſolos Chriſtianos, vel ad utrosque. Si ad ſolos Judæos, Cur Sectarii Lutherani æque ac Calviniſtæ id nobis Chriſtianis objiciunt? ſi ad ſolos Chriſtianos, cur Sectarii non ſe circumcidunt, cum cirumciſio tunc fuerit præcepta? ſi ad utrosque: ergo Chriſtiani omnes nunc ſunt obligati ad omnia præcepta cæremonialia, quæ olim Deus in veteri teſtamento dedit, quod eſt falſum, cum lex Moyſis non amplius valeat, ut ipſi Novatores fatentur.

Ad II. Illum locum eſſe tantum intelligendum, ut Judæi in ritu colendi Deum utantur cæremoniis ſibi à Deo præſcriptis, non vero aliis, quæ uſitatæ erant gentilibus. Deinde etiam Deus per Traditiones præcipit, unde has obſervando etiam tantum facimus, quod Deus præcipit.

Præterea particula *tantum* in Hebraico textu non reperitur. Demum verbum *faciendi* hic non ſignificat quaslibet hominum actiones, ſed tantum ſacrificia, *hoc tantum facito*, id eſt, aliter mihi non ſacrificato, ut docent antecedentia verba, quibus prohibita fuerunt Gentium ſacrificia, quæ filios & filias immolabant igni comburentes, tali modo Deus ſibi non vult ſacrificari, ſed ritu à ſe præſcripto: cui expoſitioni favet linqua Hebraica, quæ verbum *faciendi* ſæpe accipit pro *ſacrificare.*

Ad III. Illo loco ſolum eos impugnari, qui aliquid venditant pro Verbo Dei, quod non eſt tale more Pſeudo-Prophetarum, qui dicebant, hæc dicit Dominus, cum tamen Dominus locutus non eſſet, quod non fit admittendo traditiones.

Ad IV. Ex illo textu aliud non ſequi, niſi quod tam Apocalypſi quam aliis omnibus & ſingulis S. Scripturæ libris nihil veluti ad illos ſpectans ſit addendum, aut ex ipſis auferendum, adeoque nullum librum Bibliorum eſſe vitiandum: quod ipſum etiam Concil. Trid. in decreto de Canon. ſcriptur. graviſſime prohibet. Quocum conſiſtit, quod, licet Evangelio S. Matth. v.g. nihil ſit addendum tanquam ſpectans ad illud, adhuc alia Evangelia ab aliis Evangeliſtis ſcripta addantur. Pariter ergo cum tota Sacra Scriptura integre conſervata traditum verbum Dei optime cohæret. Viderint autem Sectarii, quomodo ipſi evadant plagas in Apocalypſi expreſſas, cum non ſolum ex diverſis S. ſcripturæ libris capita, ſed etiam ex Canone totos libros tollant.

Ad V. Illa verba *præterquam quod evangelizavimus* idem ſonare, ac contra id *quod evangelizavimus.* Ita exponit S. P. Auguſt. tract. 98. in Joan. Unde patet, quod Apoſtolus nequaquam anathema dicat iis, qui annuntiarent aliquid præter id, quod Galatis prædicaverat: nam & ipſe tum in hac epiſtola, tum in aliis ſcriptis poſtea quædam docuit, & tradidit, quæ antea Galatis non prædicaverat: & S. Joannes poſtea ſuum ſcripſit Evangelium & Apocalypſim, in quibus multa ſunt *præter*, ſed non *contra* ea, quæ Galatis evangelizaverat Paulus.

Ad VI. S. Paulum intelligendum eſſe de additamento contrario, quod mentem Teſtatoris everteret: etenim teſtes ſubſcribendo teſtamento addunt aliquid de ſuo abſque vitio. Verum Traditiones Eccleſiæ verbo Dei ſcripto ſeu teſtamento nihil addunt contrarium, quo Dei diſpoſitionem evertant: ergo non repugnant teſtamento Dei, nec ab Apoſtolo improbantur.

Ad VII. Neg. idem eſſe: eſſe utilem S. ſcripturam, ut perfectus ſit homo ad omne bonum: ac eſſe ſufficientem excluſo omni alio medio ad eum finem. Nunquid enim ſol eſt utilis ad omne vivens producendum? an idcirco etiam ſufficiens ſine cauſis particularibus ſecundis, & univerſali prima? dicit

Apo-

Apoſtolus: *ſacræ literæ*: ubi dicit *Solæ?* dicit *Scripturæ utiles ſunt*, ubi dicit, *ſufficienter ſunt*, ut traditionibus opus non ſit? nam ſi Paulus dixiſſet *ſufficit*, ſequeretur ſcripturas novi teſtamenti eſſe inutiles: Apoſtolus enim ibi loquitur de ſcriptura veteris teſtamenti, tum quia ſcriptura novi teſtamenti nondum erat relata in canonem ſacrorum librorum, nec totaliter ſcripta: tum ex his verbis præcedentibus, *ab infantia ſacras* literas noſti, non enim potuit Timotheus ab infantia noſcere literas novi teſtamenti, utpote nondum extantes.

Ad VIII. S. Joannem hic non loqui de ſufficientia doctrinæ, ſed de ſufficientia miraculorum & ſignorum poſt reſurrectionem, quod hæc ſatis ſint ad perſuadendum hominibus Chriſtum eſſe filium Dei: male igitur ex hoc loco inferunt Sectarii poſt Evangelium Joannis ſuperfluas eſſe traditiones, niſi eadem ratione inferant, ſuperflua etiam eſſe alia tria Evangelia, Epiſtolas Apoſtolicas &c.

Ad IX. Diſt. ant. Chriſtus ipſe improbat traditiones Phariſaicas, humano ſpiritu inventas, & Scripturæ repugnantes, Conc. ant. Divinas, Divino ſpiritu inſpiratas, neg. ant. Chriſtus cit. loc. apud Matthæum loquitur de ſuperſtitioſis tum Judæorum, tum gentilium traditionibus, de quibus ut caveamus, monuit nos S. Paulus ad Coloſſ. c. 2. v. 8.

Ad X. Expl. ſub diſt. appellat eſſe vanas & humanas, quando ſolo humano ingenio concipiuntur, Conc. quando Spiritu S. dictante prædicantur, neg. ſolutio de ſe patet.

Ad XI. Quamquam Veteres Patres nomine Traditionis ſubinde intelligant doctrinas in Scriptura contentas, aut ſenſus Scripturæ ex traditione Eccleſiaſtica habitos: item formulas verborum, ut *Homuſion*, Deothocon &c. demum nonnulla quædam ad ritus & cæremonias potius, quam ad Dogmata pertinentia: attamen clariſſimum eſt plures Ss. Patres loqui expreſſis verbis, & quidem in actu ſignato de Dogmatibus, ut Ss.

Baſi-

Basilius, Chrysostomus, S. P. Augustinus, uti liquet exemplo vel solius symboli Apostolici. Et si etiam loquerentur de solis ritibus, verborum formulis, & sensu scripturarum, jam haberetur Traditionum necessitas; quisquis enim pertinaciter contenderet ejusmodi rituum institutionem non niti in authoritate in Scripturis à Deo concessa, absque dubio hæreseos labe sorderet; unde falsum est, Sectarios de Traditionibus in hoc sensu non movere litem; licet enim fateantur, veteres nomine Traditionum interdum ritus, cæremonias, & ordinationes Ecclesiasticas intelligere, negant tamen hisce virtutem & dignitatem sacram, item ordinationibus & ritibus Ecclesiæ vim obligandi. Equidem ejusmodi res v. g. formare crucem, uti aqua benedicta, observare dies festos, & abstinentiam à carnibus certo tempore, non sunt articuli fidei, nec spectant ad fidem, sed ad mores, innituntur tamen duobus fidei articulis: 1. quod Ecclesia in ordinatione & observatione illorum errare non possit. 2. Quod quilibet Christianus in conscientia sit obligatus Ecclesiæ leges & ordinationes servare.

Ad XII. Ex hoc textu Tertulliani nil aliud concludi posse, quam Hermogeni timendum esse illud *Væ*, quod adjicientibus aliquid ad scripturam, vel de ea detrahentibus destinatum est: quia Hermogenes docet contra scripturam cælum & terram ex nihilo factam confirmantem, factam esse ex aliqua materia subjacenti: ergo addit aliquid scripturæ contra scripturam.

Ad XIII. Tertullianum non dicere Marcioni: *non recipio, quod extra scripturam infers:* sed *non recipio*, quod extra scripturam infers *de tuo.* Unde ipse Tertullianus ibidem c. 2. contra Marcionem, extra scripturam infert Traditionem.

Ad XIV. Tempore D. Cypriani fuisse hæreticos, qui voluerunt in sacrificio Missæ solam aquam Calici esse infundendam, unde A*quarii* appellati sunt: Contras hos Cyprianus scribit, & docet, *nihil alienum ab hæreticis excogitatum in hoc mysterium cænæ Domi-*

Dominicæ inducendum, sed id duntaxat faciendum, quod Christus Jesus fecit, & nobis, ut faceremus, præcepit. Ex quo nihil sequitur contra Traditiones, imo hæ potius per hoc confirmantur. Nam in sacrificio facere debemus, quod Christus fecit: quid autem fecit Christus? non solum vinum, nec solam aquam, sed vinum aqua mistum in sacrificio obtulit. Unde hoc scimus? ubi scriptum? nullibi. Ergo à sola Ecclesia, & traditione id habemus, & tenemus.

Ad XV. Hanc Cypriani epistolam non esse admittendam, eo quod eam scripserit, cum errorem suum de rebaptizandis hæreticis tueretur, & in qua consequenter traditionem circa illam quæstionem rejiciebat, quia eam esse contra Scripturam putabat: verum alias traditiones admittebat, nam l. 2. Epist. 3. ait: *Admonitos nos scio, ut in calice offerendo dominica traditio servetur --- ut calix mixta vino offeratur.*

Ad XVI. D. Cyrillum non excludere necessitatem eorum fidei articulorum, & morum præceptorum, quæ non continentur in libris canonicis: sed excludere necessitatem scribendi plura Christi facta, cum Joannes ex omnibus, quæ Christus fecit, & dixit ea selegerit, quæ saluti credentium scripto mandari videbantur sufficere, cætera ad nos per traditionem transmittenda relinquens.

Ad XVII. Dist. ant. Apostoli omnia, quæ omnibus prædicaverunt, qualia sunt ea, quæ omnibus sunt expresse credenda, postea scripserunt, conc. ant. hocque solum vult D. Irenæus. Apostoli omnia, quæ perfectioribus, Prælatis, Episcopis prædicaverunt, qualia sunt ea, quæ spectant rationem gubernandæ Ecclesiæ, administrandorum Sacramentorum, refellendorum hæreticorum, postea scripserunt, neg. ant. non enim illa secretiora mysteria omnes indifferenter docebant, nam Apost 2. ad Timoth c. 2. dicit: *Hæc commenda fidelibus hominibus,*

qui idonei erunt & alios docere. Et D. Irenæus l. 4. c. 43. docet: *Apostolos cum Episcopatu tradidisse successoribus Charismata scientiæ.*

Ad XVIII. Explicando textum sub dist. sed ex scripturarum consequentia simul & traditionis, conc. ex scripturarum consequentia tantum, neg. Nam ibidem adhibet authoritatem traditionis, cum subjungit: *videmus tamen adhuc illam ipsam ab initio traditionem, & fidem Catholicæ Ecclesiæ quam Christus quidem dedit, Apostoli vero prædicaverunt.*

XIX. Expl. text. sub dist. ad instructionem omnis veritatis, neg. veritatis quam ibi astruit nempe Idola non esse Deos, & Christum esse Deum & hominem, conc. Porro ista duo habent in scripturis expressa testimonia. Præterea hæretici istum locum objiciunt corruptum: interposita voce *omnem:* objiciendo sic: *sufficiunt scripturæ - - - ad omnem veritatis indicationem;* quæ particula *omnem* in textu S. Athanasii non reperitur.

Ad XX. S. Athanasium dicere, quod sufficiant ista documenta ad refutandas blasphemias Arianorum, Pnevmatomachorum de filio & Spiritu S. interrogationes, quod verissimum erat: an autem sufficerent adalia quævis fidei dogmata, exponenda? ibi non quærebatur.

Ad XXI. sufficere (ait S. Athanasius hoc loco) ad refellendum errorem Apollinarii, de quo illic loquitur, & quem impugnat: sufficere ad quævis alia fidei dogmata probanda, ac propugnanda? non dicit.

Ad XXII. Dum S. Athanasius ait, in solis Scripturis pietatis scholam annuntiari, non opponit Scripturas sacras traditionibus, libros Canonicos apocryphis, qui ab hæreticis obtrudebantur.

Ad XXIII. S. Irenæum scribere contra Gnosticos, & illos hæreticos, qui in circuitu ambulant, & à scriptura ad traditionem, à traditione rursus ad scripturam provocant, atque undique se implicant: hinc S. Pater mox subjungit: illos ad

tra-

traditionem provocatos adverſari etiam traditioni. Hæc autem non ſunt adverſus nos Catholicos, ſed contra Sectarios: iſti enim pro libitu ſcripturas, quæ ad palatum non faciunt, rejiciunt, ut libros Machabæorum, epiſtolas Jacobi & Judæ &c. tanquam non ſint ex authoritate: dum verſione latina impugnantur, hæc inquiunt non recte ſe habet: dum traditione ex communi Eccleſiæ ſenſu premuntur, adverſantur traditioni, ſeſe Patribus, & doctoribus omnibus præferentes. Cæterum ex cit. loc. luculenter conſtat S. Irenæum admittere traditionem, *quæ*, ut ipſe loquitur, *ab Apoſtolis per ſucceſſionem Presbyterorum in Eccleſiis cuſtoditur.*

Ad XXIV. De iis introducendis agere Baſilium, quæ à Scriptura ſacra ſunt aliena, eique contraria, cujusmodi erant, quæ contra ſcripturas introducebant hæretici.

Ad XXV. S. Chryſoſtomum non negare, aliquid dici poſſe absque Scriptura, ſi nitatur traditione, ſed ſolum dicere, nihil eſſe dicendum absque Scriptura, ita ut ſola animi cogitatione nitatur, quod utique verum eſt.

Ad XXVI. S. Chryſoſt. per *Evangelium* non intelligere Scripturam: addit enim, *Omnia ſimul prædicationis verbo concluſit.* Illa autem prædicatio partim eſt ſcripto mandata, partim ſine ſcripto tradita.

Ad XXVII. Neg. conſeq. Nam Theophilus per hæc verba non excludit traditionem, ſed libros apocryphos, qui pro Divinis à quibusdam ſupponebantur, quosque hoc loco redarguit Theophilus.

Ad XXVIII. S. Hieronymum non fideliter citari: qui loquens de particulari quadam ſententia, qua quidem nitebantur ex libro apocrypho probare Zachariam, quem Judæi interfecerunt inter templum & altare, fuiſſe patrem Joannis Baptiſtæ, ait: *Hoc quia de Scripturis auctoritatem non habet* &c. Et ſenſus eſt: hæc ſententia, quia ex libro apocrypho probatur,

non ex Canonico, facile contemnitur. Non ergo S. Hier. rejicit Traditionem, ex qua probat jejunium Epist. ad Marcel. Imo illius necessitatem probat. In Dialog. cont. Lucifer. admittens hanc sententiam: *Etiamsi Scripturæ auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret; nam & alia multa, quæ per traditionem in Ecclesiis observantur, auctoritatem sibi scriptæ legis usurparunt.*

Ad XXIX. Expl. text. sub dist. *Inveniuntur illa omnia* &c. quoad ea, quorum fides & cognitio explicita cuique sunt necessaria ad salutem, conc. quoad ea, quorum cognitio explicita non est sic necessaria ad salutem, neg. Nam D. P. August. l. 1. Cont. Crescon. c. 33. dicit: *Scripturæ veritatem à nobis teneri, quando facimus, quod Universæ Ecclesiæ placet, etiamsi nihil de ea re scriptum legamus.*

Ad XXX. S. P. Augustinum regulam quidem figere, sed & addere; *ne audeamus sapere plus quam oportet sapere* &c. quo significat, scripturam sic esse regulam, ut contra illam sapere non liceat: unde regulam esse adæquatam non dicit.

Ad XXXI. Eodem modo hoc loco explicatur S. P. Augustinus, quo ad XVI. supra explicuimus D. Cyrillum.

Ad XXXII. Verba S. Hieronymi in Edit. Paris. anno 1609. tom. 9. pag. 102. ita sonare: *Sed & alia, quæ absque authoritate & testimoniis Scripturarum quasi traditione Apostolica sponte reperiunt, atque confingunt, percutit gladius Dei.* Ubi apud D. Hier. non videtur verbum *omnia*: sed *alia*: *Omnia* autem & *alia* non sunt Synonima. Item non legitur *gladius verbi Dei*, sed *gladius Dei*: loquitur quidem Hier. de gladio Verbi Dei, sed hoc verbum non habet in textu. Pariter D. Hieron. apponit in textu particulam *sponte*, à qua pendet tota rei substantia, & illam idcirco hæretici hunc textum allegando omittunt. Hieronymus ergo dicit, gladium Dei percutere adhuc alia, quæ hæretici sine authoritate & testimoniis Scripturarum sponte, & ex perversa sua volun-

voluntate reperiunt, & fingunt, quasi Apostolicæ essent traditiones. Sed quid hoc contra Ecclesiam Romanam, quæ non invenit & fingit traditiones Apostolicas, sed eas à Majoribus per legitimam successionem acceptas custodit? Dolendum sane, ab hæreticis ita inique tractari veneranda antiquorum Patrum scripta.

Pro intelligendis aliis Patrum locis, qui hic objici possent, pro regula tenendum est: quod dum hi sæpe ad S. scripturam provocant, & ejus testimonio standum esse asserunt, quod hi inquam de casu quodam particulari, in quo scriptura clara est, & evidenter hæreticorum erroribus repugnat, intelligendi sint. Aut quod illas tantum traditiones, quas forte pro se adducere voluerunt hæretici, tanquam Dei verbo contrarias rejiciant. Similiter quod, dum scripturas S. quandoque sufficere dicunt, vel de sufficientia ad confirmanda quædam dogmata, de quibus disputant, vel de sufficientia ad præcepta, aut vitiorum generalia remedia, & virtutum incitamenta loquantur, non vero de sufficientia absoluta. Aut quod tantum traditiones apocryphas reprobent: Aut quod non habita generali traditione ab Ecclesia recepta, solam tunc scripturam sequendam esse doceant.

Ad XXXIII. Neg. maj. quia mutilum est, & dicitur illud, cui aliquid deest ad justam & debitam integritatem, S. scripturæ autem nihil tale deest: ergo. Imo & Traditiones non sunt de præcipuis & explicite credendis mysteriis fidei, ac necessariis absolute necessitate medii ad salutem, sed solum necessitate præcepti.

Ad XXXIV. Dist. ant. Et tales sunt recognitæ tantum testimonio humano non fundato in assistentia Spiritus S. Conc. ant. tales sunt recognitæ testimonio Ecclesiæ fundato in assistentia Spiritus S. neg. ant. & conseq. Sicut Ecclesia est regula animata discernens inter Canonicam & apocrypham scripturam, sic

etiam discernit inter vere Divinam & Apostolicam & inter traditionem apocrypham. Nec tamen propterea omnes apocryphas traditiones simpliciter rejicit, sed quæ bonæ sunt, illis utitur ad instructionem fidelium, licet eas de fide esse non determinet: sic enim jure Canonico utitur, in quo non omnia de fide sunt.

Ad XXXV. Dist. ult. min. quod de aure in aurem transit, facile alteratur, & deperditur, si nullæ sint causæ ad illius conservationem adjuvantes, conc. min. si sint tales causæ, neg. min. In servandis traditionibus multæ sunt causæ. 1. est specialis Dei providentia, qui Ecclesiam regit, & conservat, *ne portæ inferi prævaleant adversus eam.* 2. est cura SS. Patrum, qui in suis scriptis traditiones Christi & Apostolorum mandarunt. 2. est perpetuus ac successione continuus fidelium usus, in quo ritus Sacramentorum, dies festi, jejuniorum tempora, celebratio Missæ, servantur. 4. Est ipsa hæresis: cum enim singulis sæculis novi oriantur hæretici, qui diversa Ecclesiæ dogmata impugnant, ita semper à Deo suscitantur Viri docti, qui ut hæreticis resistant, doctrinam Ecclesiæ, traditionesque antiquas diligenter investigant, propugnant, & magna diligentia posteris commendant.

Ad XXXVI. Neg. conseq. Equidem fieri potest, ut aliqui hac in parte fallantur: verum huic incommodo opponitur infallibilis universæ Ecclesiæ authoritas, quæ collatione facta ad scripta veterum, & ad successiones Ecclesiarum Apostolicarum errorem detegit, & traditiones falsas rejicit, sicut revera rejectus est ille millenariorum & ætatis Christi error, quem tamen non ex traditione, sed ex Scriptura male intellecta multi tuebantur, nempe ex Apoc. c. 20. v. 4. Et ex illo Joan. c. 8.

Ad XXXVII. Conc. ant. neg. conseq. Quia Christus Judæos ad scripturas remisit, ut eos ex Scripturæ testimonys de sua Divinitate tanquam fortissimis argumentis convinceret: ex

quo

quo minime argui poteſt, quod præter Scripturam etiam tradtiones pro regula fidei admittendæ non ſint.

Ad XXXVIII. Eadem eſt reſponſio, ac prioris: quia clariſſima pro his doctrinis firmandis teſtimonia expreſſa in S. Scriptura reperit.

Ad XXXIX. Eadem pariter eſt reſponſio.

Ad XL. Neg. ant. quia alias de certitudine Scripturæ non conſtaret: ſi enim extaret ſcriptus codex teſtificans libros ſacros ſpecialiter enumeratos eſſe canonicos, deberet etiam extare codex alius teſtificans & hunc eſſe Canonicum, quo caſu certe in infinitum procederetur. Et licet in Humanis certior ſit fides ſcripto quam ore data: ſed non in præſenti, cum ita congruum fuerit, ut non omnia ſcripta eſſent, ſed quædam ab inſtructione Eccleſiæ peterentur, ita ut ab omnibus ſuſpiciatur Eccleſiæ authoritas, nec quilibet quodlibet credere, aut docere præſumat.

Ad XLI. Diſt. ant. eſt narratio humana à Chriſto profecta, conc. ant. à puro homine profecta, neg. ant. & conſeq. Vel aliter, eſt narratio humana Eccleſiæ authoritate firmata, quæ in ſimilibus aſſiſtente Spiritu S. ab omni errore præſervatur, conc. ant. eſt narratio humana nulla altiori aſſiſtentia firmata, neg. ant. & conſeq. ſolutio patet ex terminis.

Ad XLII. Neg. committi circulum vitioſum, quia non probatur idem per idem eodem modo, ſiquidem aliquam ſcripturam Divinam dari probatur ex eo, quod Deus nobis ſuam voluntatem revelare debeat: quod vero hæc ſit Scriptura legitima, probatur ex traditionibus.



Quæsita quædam necessaria pro complemento tam ad S. Scripturam quam Traditiones pertinentia.

QUæritur I. Quid sit sensus Scripturæ? ℞. Est ejus genuina significatio, sive est res, quam Spiritus S. tanquam Author Scripturæ S. voluit significare per scripturam.

Quæritur 2. Quotuplex sit sensus S. Scripturæ? ℞. Est duplex, *litteralis*, & *mysticus*. Sensus *litteralis* est ille, quem verba sive proprie, sive metaphorice accepta immediate significant. Ex qua definitione patet, sensum litteralem esse duplicem, *proprium* nempe & *metaphoricum*: *proprius* est ille, quem verba proprie accepta immediate significant, ut in hac propositione: ad Gal. c. 4. v. 22. *Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, & unum de libera.* Sensus literalis *metaphoricus* est ille, quem verba figurate accepta immediate significant, ut cum Christus dicitur *Leo*, *Agnus*, *Vitis*: quia unum dicit verbis, & aliud sub illis intelligitur, nempe sub illis vocibus *Leo*, *Agnus*, *Vitis*, Christi fortitudo, mansvetudo, & fœcunditas intelliguntur. Hic

Observandum I. In sensu literali verba debere significare ex Spiritus S. loquentis intentione, quia ex ea pendet, ut verba vel proprie sumantur, vel metaphorice: ut si quis dicat: *Leo rugiens circuit*: ambiguum est, simpliciterne & ut verba sonant, an vero tropice intelligenda sint, de leone animali, an de dæmone?

Observandum 2. Si metaphora, aut alio tropo sensus aliquis exprimatur, non facit, quo minus sensus ille sit litteralis. Exemplum hujus habetur Matth. c. 16. v. 11. ubi Christus ait: *cavete à fermento Pharisæorum*: quod idem est remota metaphora ac cavere â doctrina Pharisæorum; sensus enim spiritualis nititur sensu litterali. Neque ullus locus est scripturæ, in quo non etiam ipsa verba aliquid immediate significent: quandoquidem

dem nec mediate quidem aliquid ſignificare poſſent, niſi mediante re illa, quam immediate ſignificant.

Senſus *Myſticus*, ſeu ſpiritualis eſt ille, qui non proxime per voces, ſed mediate & remote, mediantibus ſcilicet rebus per voces ſenſu litterali ſignificatis à Spiritu S. indicatur: ſic quod in Geneſi c. 16. v. 22. & c. 21. v. 12. dicitur de duobus filiis Abrahæ, Apoſtolus ad Galat. c. 4. in ſenſu Myſtico exponit de duobus teſtamentis.

Quæritur 3. Quotuplex ſit ſenſus Myſticus? ℞. Triplex, *Allegoricus*, *Tropologicus*, & *Anagogicus*: ſicut enim tres ſunt virtutes Theologicæ, fides, ſpes charitas: ita tres ſunt ſenſus myſtici: allegoricus reſpondet fidei, anagogicus ſpei, & tropologicus charitati. Senſus *Allegoricus* eſt rei ad Chriſtum & Eccleſiam militantem pertinentis ſignificatio per aliam rem ſcripturæ verbis immediate ſignificatam, unde eſt de rebus credendis. Senſus *Anagogicus* eſt rei ad Eccleſiam triumphantem pertinentis ſignificatio per aliam rem ſcripturæ verbis immediate ſignificatam: unde eſt de rebus ſperandis. Senſus *Tropologicus* ſeu moralis eſt rei ad morum inſtructionem ſignificatio per aliam rem ſcripturæ verbis immediate ſignificatam, unde eſt de rebus agendis. Quadruplex iſte ſenſus in una voce *Jeruſalem* occurrit: nam *litteraliter* ſignificat Urbem Palæſtinæ capitalem. *Allegorice* Eccleſiam, *Anagogice* Patriam cæleſtem: *Tropologice* animam hominis.

Quæritur 4. An ſit de fide, Scripturam ſub una littera continere plures ſenſus? ℞. Affirmative. Nam illud eſt de fide, quod expreſſe in Scriptura reperitur: atqui quod Scriptura ſub una litera plures ſenſus contineat, expreſſe reperitur in ipſa Scriptura: nam hiſtoriam litteralem de *Jona*, qui tribus diebus & noctibus tribus extitit in ventre ceti, de ſe ipſo per Allegoriam exponit Chriſtus Joan. c. 3. v. 14. Item quod Exod. c. 12. litteraliter de Agno Paſchali ſcribitur: *Os non commi-*

tis ex eo, impletum eſt in Chriſto, ut habetur Joan. c. 19. v. 36.

Quæritur 5. An ſub iisdem S. Scripturæ verbis, aliquando multiplex ſit ſenſus litteralis? ℞. Affirmative. Ipſæ S. Scripturæ id innuunt. ſic v. g. quod dictum fuit de Israel Oſeæ c. 11. v. 1. *Ex Ægypto vocavi filium meum*, id de Chriſto interpretatur Matthæus c. 2. v. 15. Item illud Pſalmiſtæ: *Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te*, Apoſt. ad Hebræ. c. 1. exponit de generatione Chriſti æterna: *Cui Angelorum dixit, filius meus es tu* &c. Quod idem Apoſt. Act. c. 13. explicat de Reſurrectione Chriſti, *Reſuſcitans Jeſum. Sicut in Pſalmo 2. ſcriptum eſt, filius meus eſt tu, ego hodie genui te.* Item illud Isaiæ c. 33. *Generationem ejus quis enarrabit?* à Patribus intelligitur de æterna ſimul & temporali Chriſti generatione, utraque enim eſt ineffabilis.

Quæritur 6. An in quolibet S. Scripturæ textu tam V. quam N. T. reperiatur ſenſus litteralis? ℞. Affirmative. Ratio eſt: quia verba non nude & quoad litteras duntaxat poſita ſunt, ſed ſemper ſenſum aliquem à Spiritu S. intentum vel immediate vel mediate reddunt: ſi mediate, erit ſenſus ſpiritualis neceſſario litteralem præſupponens, ut & S. Th. 1. p. q. 1. a 10. docet. Si vero immediate verba ſenſum reddunt, ſicut revera reddunt, hoc ipſo ſenſus litteralis habebitur.

Quæritur 7. An in quolibet S. Scripturæ textu tam V. quam N. T. præter ſenſum litteralem contineatur aliquis ſenſus Myſticus? ℞. 1. In V. T. in plurimis ſed non in omnibus reperiri & contineri; docet enim S. P. Aug. q. 2. ſuper Geneſim: *In quibusdam locis ſolus ſenſus litteralis quærendus.* Quis enim ſenſus Myſticus quærendus in his textibus: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Non occides, non furtum facies* &c. Ergo concludit D. Epiph. lib. 2. Hæreſ. 61. *Non omnia habent verba Divina opus allegoria, ſed prout ſe habent, accipienda ſunt.* ℞. 2. Id ipſum de N. T.

Quæ-

Quæritur 8. Quid ſit ſenſus *accomodatitius*? ℞. Eſt ille, quo verba S. Scripturæ ad ſignificandum aliquid à Theologo, Concionatore, aut Interprete accomodantur, quod Spiritus S. per ea nec mediate nec immediate ſignificare voluit, ut v. g. ſi quis bella & perſecutiones, quibus olim Iſraelitæ agitati fuerunt, trahat ad perſecutiones, quas à Tyrannis & Hæreticis paſſa eſt Eccleſia Catholica: ex quo patet, ſenſum hunc non eſſe ſenſum S. Scripturæ, ſed ſenſum illius, qui verbis S. Scripturæ utitur ad ſignificandum aliquid, quod iis ſignificare non voluit Spiritus S.

Quæritur 9. Quid ſit ſenſus *Parabolicus?* ℞. Eſt ille, quo aliquid dicitur, & aliud per quandam comparationem intelligitur; ſicut dum brachium Dei pro ipſius poteſtate & fortitudine ſumitur. In parabolis ergo duæ ſunt partes: 1. Quæ continet rem, quæ in ſimilitudinem affertur. 2. Quæ applicationem continet, & utraque ſuum habet ſenſum litteralem.

Quæritur 10. Ex quo ſenſu S. Scripturæ Theologus certa & firma poſſit deducere argumenta? ℞. 1. Ex ſenſu litterali ſemper Theologus firma & certa poteſt deducere argumenta. Ratio eſt: quia ex illo Scripturæ ſenſu ſemper firmum eruitur Argumentum, qui eſt ſenſus à Spiritu S. intentus: ſed talis eſt ſenſus litteralis: ergo.

Reſ. 2. Etiam ex ſenſu Myſtico, ſi aut ab Eccleſia proponatur, aut ſcripta & Traditionis authoritate nitatur, aut ex ipſa textus ſacri ſerie colligatur: ſecus non. Ratio eſt 1*mi* quia tunc certum eſt, illum ſenſum myſticum à Spiritu S. fuiſſe intentum. Ratio 2*di* eſt: quia tunc pro ſuo quisque ingenio ac pietate ſenſum cudit myſticum.

Reſ. 3. Ex ſenſu accomodatitio nunquam. Ratio eſt: quia hic ſenſus nec à Spiritu S. intentus eſt, nec Spiritum S. ut Authorem reſpicit, ſed à quolibet interprete pro ingenii ſui dexteritate S. Scripturæ accomodatur.

Moderni Sectarii quosvis ſenſus myſticos tanquam nugas & inſanias derident, & ſolum ſenſum litterâlem admittunt: dicunt enim 1. fundamentum fidei oportet eſſe certum, quales non ſunt ſenſus myſtici, hi enim ſunt varii & incerti: aſt ad hoc patet reſponſio ex ſuperius poſita ℟. 2*da*. Dicunt 2. Ipſimet Doctores Pontificii fatentur ex myſtico ſenſu non peti firmum argumentum. At & ad hoc patet reſponſio ex mox dicta ℟. 2*da*. Dicunt 3. Varietas, & pluralitas ſenſuum parit æquivocationem, quæ vim argumenti minuit. Aſt dicendum, verba æquivoca vim argumentationis minime impedire, ſi modo determinate conſtet, quo ſenſu illa uſurpentur.

Errori huic conſentit Apologia Confeſſionis Auguſtanæ Tit. de ſacrificio Miſſæ, ubi dicitur: *Allegoriæ non pariunt firmas probationes.* Interim tam Calviniſtæ alyque Sectary: quam Lutherani parum memores hujus ſuæ doctrinæ, quando de Pontifice agendum eſt, perpetuis iisque plerumque ineptiſſimis Allegorys ex Daniele & Apocalypſi petitis, convincere ſe poſſe temere exiſtimant, Romanum Pontificem eſſe Antichriſtum.

Hactenus de varietate ſenſuum Scripturæ egimus! quibus ſolum breviter addendum, nullum ſenſum S. Scripturæ, quem Novatores contra doctrinam ac fidem Romano - Catholicæ Eccleſiæ afferunt, eſſe legitimum. Ratio eſt: quia nec S. Scripturæ habent verſionem legitimam, ex qua ſenſus ille eruatur: nec teſtimonia Patrum ex primis quinque Sæculis, quibus idem ſenſus comprobetur: quæ duo fundamenta ad probandum aliquod dogma fidei ipſi unice admittunt.

Jam Quæritur 11. An detur regula, per quam legitimæ traditiones ab illegitimis dignoſcantur? ℟. Affirmative, & hæc regula eſt in judicio, & Authoritate Eccleſiæ Romano-Catholicæ ſita. Ratio eſt: quia Eccleſiæ Catholicæ infallibiliter conſtat de una traditione legitima, ut ipſi Adverſarii confitentur in colloquio Ratisbon. ſupra citato, nempe hoſce libros eſſe S.

Scri

Scripturam: de qua etiam Martinus Kemnitius in exam. Trid. Sess. 4. Sic ait: *Hanc Traditionem, qua nobis in manum dantur S. Scripturæ Libri, reverenter accipimus.* Cur ergo eidem constare infallibiliter nequeat de aliis quibusvis traditionibus, cum eadem via & ratio discernendi ad omnes æque suppetat? Et si Ecclesia est infallibilis in una Traditione ad posteros propaganda, cur non in omnibus? Certe Apostolus 1. ad Tim. c. 3. v. 15. non limitate, sed absolute illam vocat *columnam & firmamentum veritatis.* Ipse etiam Lutherus in omnibus illam infallibilem agnoscit Tom. 7. fol. 562. Germ. sic scribens: *Ecclesia nec debet, nec potest mentiri, nec errores docere ne in minimis quidem, cum Deus sit Os Ecclesiæ, & Deus mentiri non possit, sic etiam Ecclesia nequit.* Sed vel maxime S. P. August. lib. de utilit. credendi c. 14. diserte docet, eandem Ecclesiæ authoritatem sufficere generatim ad discernendas Traditiones legitimas ab illegitimis.

Quæritur 12. Quot sint regulæ, quibus Traditiones Divinæ Secerni possint à Traditionibus pure Apostolicis? ℟. Plures assignari, quæ tamen ad quatuor recte revocantur: non quidem quod una Triditio ex una harum regularum, & alia ex aliis dignoscatur (constant enim fere omnes ex illis omnibus) sed quod singulæ illarum regularum sufficiant ad quamlibet Apostolicam Traditionem deprehendendam.

Prima igitur est: Si quod fidei Dogma Patres ab initio secundum suorum temporum successionem concordissime tenuerunt, ejusque contrarium ut hæreticum refutarunt, nec tamen in scripturis Divinis reperitur, illud est traditionis Divinæ, quia omnia dogmata fidei habemus ex Divina revelatione. Hujusmodi sunt Virginitas perpetua Deiparæ etiam post partum: quidquid pertinet ad materiam & formam Sacramentorum saltem in genere, &c.

Secunda est: Si quidquam est nunc in Ecclesia communi fidelium consensione probatum, quod humanam excedit potestatem, illud est traditionis Divinæ: talis est praxis v. g. vota dissolvendi, remittendi juramenta, matrimonii rati per solemnem Religionis professionem dirimendi &c. Cum enim illa omnia jure naturæ stent, eorum dissolutio non potest esse juris humani.

Tertia est: Si Ss. Patres in aliquam traditionem unanimiter consentiant, eamque Divinam esse doceant, tenendum est hanc esse Traditionem Divinam, etiamsi materia illius non excedat potestatem Apostolorum & Ecclesiæ: Secus si solum ut institutionem Apostolicam vel Ecclesiasticam tradiderint. Ra-est, quia si communiter deciperentur Ss. Patres, qui sunt Ecclesiæ Doctores & Magistri, necessario deciperetur tota Ecclesia, quæ tamen ex Divina promissione est infallibilis.

Quarta est: Quando aliqui Patres in hanc Traditionem non consentiunt (ut accidit in traditione de non rebaptizandis hæreticis, cui S. Cyprianus cum nonnullis Africanis contradixit) judicandum est eam Traditionem esse Divinam, quæ reperitur in præcipua sola Ecclesia Romana, in qua interrupta non fuit Pontificum Successio.

Quæritur 13. Ubi depositæ sint, & custodiantur Traditiones Divinæ. ℞. Apud Ecclesiam Romano-Catholicam. Ita D. Paulus 1. ad Tim. c. 6. v. 20. Item 2. ad Tim. c. 1. v. 13. & 14. Id diserte affirmant, S. Irenæus lib. 3 advers. Hæreses c. 3. Tertull. lib. de præscript. c. 21.

Quæritur 14. Quomodo Sacræ Traditiones non scriptæ à tot Sæculis incorruptæ custodiri potuerint, & custodiri possint deinceps usque ad consummationem sæculi? ℞. Id fieri potuisse, & posse citra omnem difficultatem. Nam si potuit doctrina veræ Religionis sine scripto custodiri ab Adamo usque ad Moysem, potuit profecto etiam custodiri à Moyse usque ad

Chri-

Chriſtum, potuit & à Chriſto uſque ad nos, & à nobis uſque ad conſummationem ſæculi: ex nulla alia ratione, quam ex illarum uſu frequenti, & quotidiano: ſic frequentantur quotidie ferme ſeptem Sacramenta adhibita certa materia & forma, variisque in adminiſtrando ritibus: oratur quotidie: offeruntur ſuffragia pro defunctis: invocantur, & coluntur Sancti: reliquiis defertur veneratio: offertur Miſſæ Sacrificium: adoratur Euchariſtia: obſervantur jejunia &c. Ergo.

Quæritur 15. Quæ Traditiones mutari, vel abrogari poſſint? ℟. Divinæ, & à Chriſto Authore profectæ nullo modo, bene autem pure Apoſtolicæ diſciplinam ſpectantes, ſicut & Eccleſiaſticæ, quales reipſa quam plurimæ pro temporum exigentia mutatæ ſunt. Ratio primi eſt: quia Verbum Dei mutari non poteſt. Traditiones autem Divinæ nil aliud ſunt, quam Verbum Dei non ſcriptum ſed traditum: ergo. Ratio ſecundi eſt: quia Traditiones pure Apoſtolicæ, hoc eſt, ab Apoſtolis ut Paſtoribus ortæ non excedunt jus & poteſtatem Eccleſiæ: ergo. Sic abrogata eſt traditio Apoſtolica, quæ habetur Act. c. 15. v. 28. abſtinentia à ſanguine, & ſuffocato: conſuetudo de trina merſione in baptiſmo ſervanda: conſuetudo de quotidiana laicorum communione peracta conſecratione facienda: uſus pœnitentiæ publicæ, &c. Ergo.

Dices 1. Traditiones Apoſtolicæ ſunt juris Divini: ergo per Eccleſiam abrogari nequeunt. ℟. diſt. ant. traditiones Apoſtolicæ à Chriſto Authore, vel Spiritu S. Apoſtolis revelatæ, & ab Apoſtolis ad nos transfuſæ, quæ ſunt traditiones ſolum denominative Apoſtolicæ, Conc. ant. Traditiones pure Apoſtolicæ ab Apoſtolis ut Eccleſiæ rectoribus profectæ, neg. ant. & conſeq.

Dices 2. Traditiones Eccleſiaſticæ ſunt juris Divini: ergo & pure Apoſtolicæ. ant. prob. qui reſpueret traditiones Eccleſia-

clesiasticas, haberetur pro hæretico: ergo. ℞. neg. ant. ad prob. dicendum, talem non ideo præcise, quia traditionem talem negaret, censendum fore hæreticum formaliter, sed tantum illative & præsumptive, quia de tali negante traditionem recte præsumi potest, quod simul illud fidei dogma negaret, quo scilicet Ecclesiam leges condendi potestatam habere credimus.

Hæc omnia cedant ad Majorem Dei Gloriam, B. V. M. Honorem, S. P. Augustini Venerationem, & Romano - Catholicæ Ecclesiæ subjectionem, & Correctionem.

